DE PASTORE EVANGELICO

TRACTATUS:

IN QUO

Universum munus PASTORALE, tam quoad Pastoris Vocationem, & Præparationem, quàm ipsius muneris Exercitium, accuratè proponitur.

Operâ & studio

OLIVERI BOWLES ANGLI, Ecclesiæ quæ *Suttoniæ* est, in agro *Bedfordiensi*, nuper Pastoris eximii.

ET

In Synodo *Westmonasterii* nuper convocatâ egregii Theologi.

LONDINI,
Apud SA. GELLIBRAND, 1655.

LIBRARY
CAMBRIDGE

Illustrissimo & Honoratissimo Viro

DVARDO

Comiti de

MANCHESTER,

Baroni de

KIMBOLTON,

Posthumum hunc

(Charissimi Patris)

e PASTORE EVANGELICO

Tractatum,

In devotissimi

am Authoris (dum in vivis esset)

quàm Filii superstitis,

Obsequii Testimonium,

D.D.D.

EDVARDUS BOWLES.

Reverendiſsimis, Colendiſſimis, & Dilectiſsimis in Domino, Evangelii Miniſtris & Paſtoribus fideliſſimis, Gratiam, Miſericordiam, & Pacem in Chriſto.

Patres Fratreſque in Chriſto Reverendiſſimi, Colendiſſimi,

Miniſterii & Paſtorum Dignitas.

NOn vos latet quàm excelſum, quàm verè Angelicum, quod nobis non homo, ſed Deus per homines, concredidit, munus Paſtorale. Eſt miniſterium, *Dei ſcil. cum homine*, reconciliationis [a], *eſt non literæ ſed Spiritûs* [b], non condemnationis ſed juſtitiæ quæ ad vitam, miniſterium [c]. *Ita Evangelium quod nobis annunciandum eſt* brachium Jehovæ [d], potentia

a 2 Cor. 5. 18
b 2 Cor. 3. 6
c Ibid. v. 9
d Iſai. 53. 1

Reverendiſsimis, Colendiſſimis, & Dilectiſsimis in Domino, Evangelii Miniſtris & Paſtoribus fideliſſimis, Gratiam, Miſericordiam, & Pacem in Chriſto.

Patres Fratreſque in Chriſto Reverendiſſimi, Colendiſſimi,

Miniſterii & Paſtorum Dignitas.

NOn vos latet quàm excelſum, quàm verè Angelicum, quod nobis non homo, ſed Deus per homines, concredidit, munus Paſtorale. *Eſt* miniſterium, *Dei ſcil. cum homine*, reconciliationis [a], *eſt non literæ ſed Spiritûs* [b], non condemnationis ſed juſtitiæ quæ ad vitam, miniſterium [c]. *Ita Evangelium quod nobis annunciandum eſt* brachium Jehovæ [d], potentia

a 2 Cor. 5. 18
b 2 Cor. 3. 6
c Ibid. v. 9
d Iſai. 53. 1

e Rom. 1. 16 Dei ad ſalutem e. *Hoc, non alia quacunque, filo, è laqueo Diaboli, qui irretiti,*
f 2 Tim. 2. 26 *ad ſe extrahit Deus* f. Mitto te, *ſic Paulum alloquitur Dominus Jeſus*, ut aperias oculos eorum, *ſcil. qui tenebris pluſquam Cimmeriis occæcati*, ut à morte ad vitam, ut à poteſtate Sata-
g Act. 26. 17, 18 næ ad Deum traducas g. Arma militiæ noſtræ ſunt divinitùs valida ad ſubverſionem ὀχυρωμάτων, & ad deprimendum πᾶν τὸ ὕψωμα quod contra
h 2 Cor. 10. 4 Dei cognitionem ſe effert h. *Nobis, non Angelis, illa clavium poteſtas, quâ cœlum aperitur, vel clauditur, eſt à Deo*
i Mat. 16. 19 *commiſſa* i. *Theſaurum Evangelii*, in
k 1 Pet. 1. 12 quem Angeli introſpicere deſiderant k, *apud nos ut fiduciarios depoſuit Chriſtus.*
l 1 Tim. 6. 20 O Timothee ſerva depoſitum l. Data eſt mihi, *ait Apoſtolus*, hæc gratia Evangelizandi inter gentes, impervem Eph. 3. 8 ſtigabiles illas Chriſti opes m.

Quibus porro elogiis nos condecoravit Spiritus Sanctus! Sumus inter
n Apoc. 1. 20 *homines* Angeli n, *inter illos qui regi*
o 2 Cor. 5. 20 *regum inſerviunt*, Legati: *Dei Chriſtique perſonam gerimus* o; *nullus unquam nos impunè deſpicatui habuit, quin in Deum Chriſtúmque idem injurius. In illo omnium opere maximè arduo, ſcil.*

ani-

animarum regeneratione, ſumus Dei obſtetricantes cooperarii [p]. *Ex iis qui in domo Dei non niſi ſervi ſumus, nos* myſteriorum *regni cœlorum* œconomi, diſpenſatores [q]. *Sumus Chriſti* paranymphi, *noſtrum id, ut ei populum deſponeamus* [r]. *Porro κατ' ἐξοχὴν*, viri Dei *nuncupamur* [s], *ut qui illi proximiores, cùm vel populus remotiùs ſubſiſtit. Sumus* lux mundi [t], *ut iis qui in tenebris ſedent affulgeamus; nec non* ſal terræ [u], *ut qui in peccatis ad exitium putreſcerent, verbi acrimoniâ condiamus. Juriſconſultus peritus eſt unus de viginti; Medicus qui Æſculapio doctior eſt unus de centum. At prudens & edoctus ad regnum Dei* interpres *verbi eſt* unus de mille [x]. *Deo à nobis inſervitur in eodem munere in quo ei operam navavit filius ejus dilectus, non dedignatus ille* miniſter circumciſionis *& vocari & eſſe* [y]. Spiritus Jehovæ eſt ſuper me, *ait ille*, eò quòd unxit me ad Evangelizandum manſuetis, &c [z]. *Ecquæ in aulâ excelſior dignitas, quàm regi in eodem loco in quo præivit regis filius inſervire? Ex variis quibus olim inſignis Schelomo titulis triumphat, in nullo magis quàm quòd* Eccleſiaſtes, *quòd* populum ſcientiam

p 2 Cor. 6. 3
q 1 Cor. 4. 1
r Mat. 6. 15 John 3. 29
s 1 Tim. 6. 11
t Mat. 5. 14
u Ibid. v. 13
x Job 33. 23
y Rom. 15. 8
z Iſai. 61. 1 cum Luk. 4. 17, 21

tiam edocuit [a]. Ausim dicere (quidni & audeam cùm id ante me sancti patres?) Pastorale munus vel regio, vario respectu, palmam præripere. Facit hoc ut pacate inter homines vivatur; illud ut pacem nunquam dirimendam cum Deo habeamus [b]; facit hoc ut scelerati coerceantur, qui immorigeri, ne nos ladant, subjugentur; facit illud ut impios commutentur, ut qui ursæ & leones, in hœdos & agnos transmutentur [c]: facit hoc ut omnia in tuto sint adversus latrones; illud ut adversus qualiacunque Satanæ spicula ignea conservemur incolumes [d]: denique magistratus tam hi quàm illi nonnisi Deo Christóque ut creatori subsunt; at Pastores ei ut Mediatori & Redemptori operam suam impendunt. Πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς [e]; non certè ὅστις, sed τίς, vere μέγας.

a Eccles. 1.1 & cap. 12,9

b Rom. 5.1

c Isa. 11-6,7 & cap. 65.25

d Ephe. 6.16

e 2 Cor. 2.16

Eorum contemptus à quibus potissimum causis oriatur.

Unde verò est quòd functio hæc quæ in se sacrosancta, quam encomiis tam eximiis nobilitavit Sp. S. illa apud homines tam sit despicatui, ut satis erit apud plerósque item designâsse, Ministrum verbi dixisse? Contemptus iste est partim ab ingenitâ illâ pravitate, quâ quisque opera sua mala detegentem, quod

quod pastoris est, capitaliter aderit; partim vero à Satanâ impios occæcante, ne operis ministeralis dignitas nativa illis illuceſceret. At utinam, non aut à nobis, aut ab iis: qui ut amicos ſponſæ Chriſti ſe venditârunt, emanaverat etiam hæc paſtorum vilipenſio.

Imminuta eſt primò paſtoralis authoritas, cùm ei omne in foro externo clavium poteſtatis exercitium ademptum prorſus: non id volo ut penes eum ſeorſim ab aliis ſit cenſurarum adminiſtratio, novi enim plurium id eſſe debere; at, quod in vitiis ſuorum debitis cenſuris caſtigandis, nullæ ejus eſſent partes, haud æquum videtur. Vel natura dictamen hoc ſuggerit, ut ejus ſit corrigere, cujus eſt dirigere, ut ejuſdem ſit renuentem caſtigare, cujus eſt inſtruere: Secùs monita ejus, vel toto conatu impreſſa, non ſolùm irrita ſed & ludibrio erunt. Annon ludit operam ludimagiſter, cui pueris erudiendis præfecto omnis caſtigandi authoritas adempta? Pro ridiculo erit qui ſine virgâ oſcitantes pueros ad ravim uſque inclamabit: Perinde non niſi cachinno ſe exponet fervidus in ſuorum vitiis objurgandis concionator, cui contuma-

cit r

citer obluctantes omnis coercendi potestas erepta. Factum hoc quum Papa ille Romanus plenitudinem jurisdictionis, ut sibi peculiarem, aliis non nisi ab eo derivandum, arrogâsset; hanc clavium potestatem ordinibus nescio quibus de novo confictis distribuit, pastorum collegium, cui primitùs demandata, ab eâ administrandâ exclusit omnino.

Secundò, Vel inde contemptus huic ordini aspersus, cùm munus pastorale in nihilum redactum; non id mirum si officii, cujus fidelis administratio pastori reverentiam conciliaret, ejus & ignoratio & neglectus ordinem, in se sacrum, vilem coram populo reddidit. Olim verò ea fuit temporum iniquitas, ut totum pastorale officium missificatione, idque in linguâ ignotâ, terminabatur. Egregiè putabatur munere suo defunctus qui multoties in die missificârat. Quid verò missificatio, nisi corporis Christi fictitii immolatio? ad id enim duntaxat inaugurabantur papales sacrifici, ut sacrificarent; Damus tibi potestatem offerendi placabiles hostias. Qui Christum honore suo sacerdotali spoliârunt, meritò & illi honore suo exciderunt.

Tertiò,

Tertiò, Redituum, quibus ad munus hoc & ſuſcipiendum & obeundum tam allicerentur quàm confirmarentur qui digni, ſubſtractio, contemptui huic viam munivit. Hinc enim fiebat, ut quibus honori id fuiſſet quòd de ſuo victitârunt, quòd nemini obnoxii, quòd erga alios παῤῥησίαν exercerent, illi vel indigniſſimis pro fruſtulo panis & nummulo argenteo incurvare coacti. Plurimum detrahit de Paſtoris honorificâ exiſtimatione, quæ, reditibus ademptis, aliò tranſlatis, ſecuta eſt, mendicitas. Tum verò ſtipendia quæ paſtoribus ſepoſita fuere, illis auferebantur, cùm in Eccleſiam irrepſerant tam monachorum quàm fraterculorum (regulares vocabantur) examina. Hi & ſedi Papali ſupparaſitando, & ejus dignitati promovendæ emancipati, cœnobiis ſuis ut reditus ampliores ſuppeditarentur, parochos, ſic diſpenſante Papa, ſuis ſtipendiis ditioribus, vix oſſibus relictis, emunxerunt. Hoc ut commodiùs efficerent, ſuggerebant, 1°. Precandi officium cui illos inprimis incumbere præ ſe ferebant, verbi prædicationi anteponendum eſſe. 2° Si concionibus opus eſſet, ſpondebant illos è ſuis clauſtris qui ad populum concionarentur

rentur emissuros. Atque sub hoc prætextu aut beneficii cujúsque optimi reditus ad se attraxerunt; aut si non sic, prædia sua omnia hinc inde sparsa à decimando eximi procurârunt. Hinc ordinem pastoralem invasit res domi angustior, quæ & muneri habiles deterruit, & illorum vice rectores, vel quorumcunque qui de face populi, manus implebant, & si qui idonei munus in se susceperunt, ut se suósque sustentarent, ditioribus subblandiri coacti. Proh dolor! quàm inde despicatui habitus Curatorum, ut vocabantur, ordo, quàm malè consultum dignitati pastorali, cùm indignissimis eos obnoxios reddidit res tenuior?

Quartò, Indoctorum caterva in Ecclesiam intromissa vilem hunc ordinem reddidit. Quamdiu labia sacerdotis scientiam custodierunt; quamdiu ut scribæ in lege Dei prompti, ignaros instruebant, & nova & vetera depromserunt; quamdiu judicia Dei ejúsque leges populum edocebant, in honore habebantur. Dona Dei quæ in illis emicuere, reverentiam illis conciliârunt; ubi demum qui in cathedram hanc irrepserunt pastores talpâ cæciores, qui priùs cunctis

venerandi

venerandi, vel ab iis qui omnium abjectissimi justo Dei judicio flocci fiebant. Factum hoc seculis retroactis (utinam non & Evangelio affulgente huic querelæ locus esset) cum ignorantia devotionis mater habebatur, cùm gloriabantur pastores quòd veteris & novi Testimenti ignari, cùm id sufficere putarabatur quòd Pontificale & Portuale cognoverunt, ut quod de Episcopo Dunkeldeno in proverbium abiit, qui gratias Deo egisse *dicitur,* quòd novæ & veteris legis ignarus[f]. *Tum in Ecclesia invaluit hæc crassa ignorantia, quum sat erat credere ut credebat Ecclesia; quum* Græcas & Hebraicas literas calluisse hæreticum erat[g], *cùm sacerdotum id duntaxat erat, noscere librum sacramentorum, peritum esse in computo, Psalterium & Homilias per circulum anni Dominicis diebus & singulis festivitatibus aptas, ad manum habere*[h].

[f] Foxi Martyrologium in Hen. 8 Anno. Dom. 1540.

[g] Vid. Rob. Stephanum præf. ad Lex. græc.

[h] Vid. Decret. p. 1. dist 38. c. 5, 6.

Quintò, Quum ad sacram hanc præfecturam admissi, docendo quidem habiles, at qui luxui, ambitioni, omnísque generis petulantiæ dediti, qui non quæ Christi, sed sua, quærentes, pascendi officium prorsus neglecti habuere. Nec id mirum,

mirum, si qui res sacras, sacerdotium ipsum, fœdè contaminarent, ipsi ludibrio apud populum essent; qui Deum opprobrio affecerant, ii vulgi cachinno exponerentur, 1 *Sam.*2.30. Contemptores mei leves fient. *Mal.*2.9. Ego dedi vos probrosos & abjectos, eò quod non servâstis vias meas. *Quorum id munus, ut populum leges Dei & statuta docerent, verba vitæ* ἀκαίρως, εὐκαίρως, *iis subministrarent, si quando ab officio fungendo cessârunt, justè à gregibus suis vilipensi. Christus docuit in Synagogis & honorabatur à populo; si non docuisset, non fuisset in honore. Propheta Samuel, eò quòd fideliter officio suo functus,* 1 *Sam.* 12.5. vir honoratissimus *vocatur.* 1 Sam.9.6. Omni reverentiâ digni, qui laborant in verbo & doctrinâ [k], *qui populo pabulum verbi quo ad salutem enutriantur subducunt, otio & abdomini indulgentes, justum id apud Deum ut præ cæteris sordescant.*

i 2 Tim. 4.2

k 1 Tim. 5.17

Remedia qualia sint adhibenda.

Quin igitur cùm contemptus ille qui ordinem hunc nostrum dedecoravit, ab hisce malis profluxit, faciamus pro virili ut pastorale munus suam primævam recuperet dignitatem. Toto conatu populum

pulum Dei ſcientiâ & cognitione Evangelii Chriſti imbuamus, jugiter ei invigilemus, in eo toti ſimus ut verbum vitæ æternæ illis adminiſtremus, illorum neceſſitatibus noſtra omnia dextrè accommodemus, ut Deo aliquando animas quas Chriſto lucrifecimus, coram tribunali ejus cum gaudio ſiſtamus, cum Prophetâ dicamus, Ecce ego, & nati quos mihi dedit Jehovah [l]; *gregi ſimus in totâ virtutum coronâ exemplaria, habeant à nobis, ad quàm ſe componant, inculpabilem vivendi formam; Mens, manus et lingua invicem concordent. Fœlix illa anima quæ eſt aliis forma ſanctitatis. Quàm verò turpe doctori, quum culpa, quam in aliis redarguit, ipſi juſtè impingatur? Etiam & rerum ſacrarum ſcientiâ non ſimus duntaxat leviter tincti, ſed qui & in fonte eloquiorum Dei labra proluimus.* Quia tu (*inquit Deus per Prophetam*) ſcientiam repulisti, repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi [m]. *Non in eo acquieſcamus, quòd Liturgiam benè longam anhelo ſpiritu percurrimus, quòd ſingulas rubricas ad amuſſim calleamus, quòd ritus, qui duntaxat ordini externo inſerviunt, accuratè obſervavimus. In*

[l] Iſai. 8. 18

[m] Hoſ. 4. 6

his

his peractis gloriantur nonnulli, ac si officio suo præclarè essent defuncti. At nos, quos ad majora designavit Deus, non priùs officio nosmet satisfecisse existimemus, quàm verbum veritatis cuique pro suâ spirituali conditione dispertivimus, quàm totum Dei consilium, nil supprimendo, propalavimus. Id ex Dei instituto nobis incumbit, ut oves perditas in Dei ovile aggregemus; ut quas Christo lucrifecimus, eas à fide ad fidem deducamus; si quando labantur, spiritu mansuetudinis restituamus; si animo defessæ, iis tempestivè consolationes Dei dispensemus; si in cunis vagientes rudiores, ut iis lac præbeamus; si ad justam maturitatem adoleverint, iis solidiores cibos apponamus; si errorum dumetis irretitæ, dextrè eas argumentorum aculeis extricemus; si periculum est ne à veritatis tramite abducantur, illas piè commonefaciendo communiamus. Tantæ molis regimen animarum, ut ars artium verè dicatur. Qui sic gregi Dominico instanter attenderit, meritò vel propter opus in summo honore erit [n]. *Fidelis muneris administratio, vel* apud eos qui extrà sunt, *reverentiæ magnes futura* [o].

n 1 Thes. 5.13

o 1 Tim. 3.17

Quod

Quod ad illa verò quæ non penes nos; ut ab injustis possessoribus vindicemus: scil. vel illud, quo omni jurisdictionis in foro externo cum aliis exercitio orbamur; vel hoc, quòd stipendiis ex pio instituto Deo consecratis, injustè; cùm nil analogum surrogatum, ablatis defraudamur; nil nisi vota supersunt. Exorandus Deus Opt. Max. ut implumes quandóq; reddat, qui nonnisi plumis, quas pastori ille homo peccati aliquando ademerit, fulgent: ut jam tandem privilegiis quæ ei à Christo ascendente collata, gaudeat; ut eo, quod ei ex legis Dei æquitate assignatum ab Ecclesiâ patrimonium, ad munus suum alacriùs obeundum, fruatur.

De præsenti opere monitio.

Vos verò, Patres fratresque in Domino plurimùm observandi, exoratos velim, 1º Si alicubi erratum, quod in opere ubi plura controversa, confragosa nonnulla; perquam facile, non solùm unguè & obelisco luat pœnas error, qualiscúnque, sed & spiritu lenitatis detegatur. Spondeo, si quis errorem cõmonstraverit, me non mordicùs tenaxem futurum. Nil mihi arridet quod non aliis mecum. Dies prior erit mihi semper posterioris discipulus. Senesco enim indies in gregem pascendo,

do addiscens. 2° *Qui donis vel loco, eò quòd numerosior cœtus, eminentiores, quos sua vel diutina & multifaria experientia, vel lectiovaria, plurima edocuit, ab iis id obnixè rogo, ut operi huic quali quali suum conferant symbolum; ubi mancum & mutilum, quomodo supplendum dicant. Quis ego in angulo latitans, à quo quid in hoc genere usquequaque perfectum, prodiret? Hujus generis opus non nisi multorum manibus justam assequitur maturitatem. Cùm provinciam hanc primùm aggressus sum, illud duntaxat instituti mei erat,* 1° *Ut ad manum esset quod in munere fungendo dirigeret.* 2° *Ut alios provocarem aliquid, quod in hoc genere perfectius & limatius esset, & tentare & perficere. Si quid quod aliis prosit effectum, Deo Optimo Maximo per Jesum Christum, qui hucusque manum suam auxiliarem porrexerit, sit laus & gloria.*

Vestrûm omnium observantissimus
vobíque devotissimus,
Pastorum minimus,

OLIVER BOWLES.

pus Analyticus eorum quæ in ſequenti Tractatu continentur.

iſtore Evange- { 1 Quid eſt — Lib. I. Cap. 1
o, videndum { 2 Quæ in eo deſiderantur, quæ ſunt
Ratione perſonæ; ut ſit
1 Gravitate reverendus — 2
2 Curis vacuus — 3
3 Exemplar Gregis; ubi videndum
1 Quomodo; nempe
1 Bona inſectando; eáque vel
Quoad Deum — 4
Quoad homines; nempe vel
Alios; ubi officia
Generalia — 4
Specialia — 5
Seipſum — 6
2 Mala vitando — 7,8
3 Adverſa ritè perferendo — 9
2 Quare — 10
2 Ratione officii; idque vel in
1 Capeſſendo. Ubi alia ſunt
1 Quæ adeſſe oportet; nempe ut ſit
1 Omnigenâ literaturâ imbutus — 11
2 In ſacrâ ſcripturâ verſatiſſimus — 12
3 Ad docendum aptus — ib.
4 In ſyſtemate Theologiæ exercitatus — ib.
2 Quæ oportet abeſſe — 13
2 Obeundo: quæ pertinent vel ad

Typus Analyticus.

1. Præparationem; ut sit vel
  1 Pastor ad munus exercendum instructior;
    1 Ordinariè resideat apud gregem: ubi
      1 Qualis Residentia, & quousq; requiritur.
      2 Ipsius necessitas arguitur { 1 Rationibus propositis / 2 Objectionum solutione
      3 Quomodo irrepsit Non-residentia
      4 Non-residentiæ mala
    2 Assiduæ lectioni attendat; ubi de lectione { 1 Scripturarum / 2 Ecclesiasticorum Scriptorum
    3 Gregi invigilet
    4 Sit debitis affectibus imbutus
  2 Populus ad auscultandum paratior.
2 Muneris Exercitium: ubi videndum ——
  1 Quotuplex est munus Pastorale; nempe vel
    1 Compositum, quod cum aliis conjunctè exer
      De quo in hoc tractatu non agitur.
    2 Simplex, quod solus administrat; idque ut est
      1 Os Dei ad populum;
        1 Dispensatione verbi; ubi
          1 Quot modis dispensari oportet: nem
            1 Publicè; estque ea dispensatio vel
              1 Principalis, quæ verbi prædic
                dicitur: ubi de Contextûs
                Electione, Lib. 2. Ca
                Tractatione; ubi de Meth
                concionandi,
                1 Quâ Methodo utendum
                nempe
                1 Scripturæ datæ interp
                tatio
                2 Doctrinæ deductio, p
                positio, & tractatio
                3 Doctrinæ accõmodati

a b c d e f g h

nen

b c d e f g b nempe, Usum faciendo, & prosequendo 3
2 Quare hâc methodo utendum 4
2 Minùs principalis; quæ vel { 1 Interpretativa. 5 / 2 Catechetica. ib.
2 Privatim 6
2 Qui huic subserviunt Canones; —
1 Generales, qui docent —
1 Quoties verbum dispensari oportet 7
2 Quid è verbo maximè dispensandum 8
3 Quomodo dispensandum 9, 10
4 Quid cavendum 11
2 Speciales, pro varia ipsorum conditione; ut vel —
1 Convertendi: ubi docetur { 1 Quæ suggerenda. 12, 13 / 2 Quomodo erga eos se gerat; v.g. —
{ 1 Patienter 14 / 2 Prudenter 15
2 Conversi; ubi docetur, quomodo se illis accommodet —
1 In genere 16
2 In specie; prout sunt vel —
1 Sani; sive firmiores, sive infirmi 17
2 Morbidi; sive sint —
1 Animo vulnerati; ubi — { 1 Via munienda 18 / 2 Verbum idoneum dispensandum; in aliis enim sunt

b c d

Typus Analyticus.

a b c d
- 1 Præmonendi
- 2 Dirigendi
- 3 Sublevandi; quo fine docetur
  - 1 Quomodo sunt discriminandi; pr
    - vulnerati vel
    - 1 Legaliter
    - 2 Evangelicè; iique sunt
      - 1 Certiorandi
      - 2 In certitudine conservandi
  - 2 Quid cavendum
- 2 Lapsi; sive in moribus, sive mentis err
- 2 Sacramentorum administratione; cui i
  - unt Canones
    - 1 Generales — Lib. 3. C
    - 2 Speciales; vel
      - 1 De Baptismo
      - 2 De Cœnâ Dominicâ
- 2 Os populi ad Deum; eum invocando

Quæst. 1. Migratio ab Ecclesia ad Ecclesiam, qua
licita

Quæst. 2. Fuga in tempore persecutionis, quaten
cita

2 Quæ in fungendo munere confirment; nempe A
menta
- 1 Προτρεπτικὰ, quæ animum faciunt
- 2 Προφυλακτικὰ, quæ animum muniunt; qu
  - spiciunt vel
    - 1 Crucem in genere
    - 2 Exiguum suorum profectum.

DE PASTORE EVANGELICO *TRACTATUS.*

LIB. I.
De Paſtoris præparatione ad munus Paſtorale.

CAP. I.
Paſtoris Evangelici deſcriptio.

DE Paſtore Evangelico dicturo, videndum, 1° Quid eſt. 2° Quæ in eo deſiderantur. Quod ad primum: Paſtor Evangelicus eſt perſona à Chriſto per Eccleſiam vocata, ut gregem ſibi commiſſum, mediis ad ſalutem neceſſariis, pro parte ſuâ, paſcat. Paſtoris deſcriptio.

Act. 13.2 *Est persona vocata.*] Vocari, dicitur Pastor, cùm, ordine quem præscripsit Christus, ad Ecclesiæ alicujus particularis in sacris Ministerium, segregatur. Vocetur necesse est, qui sacris manum admovet. Nam *quicunque extraneus accesserit*, ad Tabernaculum vel erigendum, vel deponendum, Numb. 1. 51 Rom. 10. 15 *morte afficitur. Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint?* In hoc triumphat Apostolus, quòd *vocatus*, Rom. 1. 1 quòd *ad Evangelium prædicandum segregatus.* Ordine, quem præscripsit Christus, tum vocari dicitur, cùm adsunt quæ vocationi essentialia omnia, utcunque in iis quæ accidentalia desint nonnulla. Beza quæst. & resp. sec. qu. 143 Non perimit vocationem, qui adnascitur, tantùm de benè esse, nævus: ut in Cajaphâ Pontifice, & quibusdam de Pharisæis, qui cathedram malis artibus invaserant, nec tamen inde nullitas vocationis, cùm & hos audire jubet Christus, & illo sedente Pontifice Christus templum adiit, ibique Deum ritibus nondum abolitis coluit. Vitium in personâ, si non sit prorsus incapax, præsertim quod ad modum intrandi duntaxat pertinet, non acta ministerialia, quæ formam retinent, irrita reddit. Hinc apud nos non de novo tinguntur, qui à Pontificiis baptizati.

A Christo vocata] siquidem ab illo omnis illa, quâ ministerium exercetur, & potestas & facultas Eph 4 primariò proficiscitur. *Christus cum ascendit dedit Pastores*; sc. ut Rex instituendo, ut Propheta per eos populum alloquendo. Quòd ut Rex instituit, arguitur. 1° Quòd Apostolos, eorúmque successores, solenni inauguratione emissurus, regni autoritatem pro fundamento substernit. Matt. 28. 18, 19 *Data est mihi omnis potestas in cœlo & terrâ, profecti ergo docete.* Eph. 4. 11 2° Institutionem Pastoralem, ut Christi in gloriam ascendentis effectum, commemorat Apostolus. Quòd ut Propheta per

eos

eos evangelizat, constat. *Nomine Christi oramus, Reconciliamini Deo.* Christus dicitur *veniens* Ephesiis, sc. Ministerio Apostolorum, *evangelizâsse.* Christo enim, Ecclesiam, quam redemerit, incumbit cura, tum è mundo efficaci vocatione pertrahendi, tum eandem in fide mediis constitutis ædificandi. Ipse verò in Cœlos evectus necesse est, ut Pastorum utatur operâ subsidiariâ, ut per quos suos alloquatur, sive instituit, sive objurgat, sive obsecrat. 2 Cor. 5.20 Ephes 2.17

A Christo per Ecclesiam vocata] vocat Christus interne, vocat idem per Ecclesiam externè. Vocat Internè, 1° Cùm Ecclesiæ ædificandæ desiderium & ardens, & ab omni avaritiâ & ambitione defæcatum, inspirat. *Toto animæ desiderio venire* oportebat Levitam, qui, ut domino ministraret, admittendus. Qui minister verbi, *Non quæ sua, sed quæ Jesu Christi, quærat.* 2° Cùm dona, quæ muneri obeundo paria, largitur. Quem enim non in judicio, sed in misericordiâ, mittit Deus Pastorem, eum negotio, cui præficiendus, habilem reddit. Vocat etiam hic per Ecclesiam externè. Ecclesiæ nomine intelligo illos, quibus Christus mandavit potestatem viros idoneos deligendi, ita ut cœtus fidelium non negligatur: nempe cœtum fidelium secundariò, rectores primariò. Per Cœtum fidelium, hîc intelligo, Ecclesiam particularem quæ in corpus unum coalescit, adeóque qui ei ut in sacris inserviat pastorem jure vendicat. Cœtui fidelium connumero, non eos qui aut à fide se prorsus alienos testatum faciunt, aut in fundamentalibus minùs sunt orthodoxi; nec enim horum, ut qui iniqui æstimatores, assensus est tanti in Pastoribus vocandis; illos duntaxat volo, qui judicio charitatis, pro fidelibus habendi. Pastoris Vocatio. Deut. 18.6 1 Cor. 10.24 Phil. 2.21 Isaiah. 6.7 Jerem. 3.15

bendi. Rectorum nomine intelligo, Præpositos finitimos, quibus, ex vinculo charitatis, & fœdere, quo se invicem astrinxêre, præcipuè incumbit, ut de Ecclesiarum, quæ mutuâ consociatione conjunctæ, bono prospiciant.

Ut res tota dilucidior fiat, videndum, 1° Quæ illa potestas, quam Ecclesiis, in ministris suis vocandis, demandavit Christus. 2° Quis ille fidelium consensus, qui necessarius. 3° Quousque, vel quo in genere, necessarius. 4° Quare est sic necessarius. 5° Quod Rectorum, quod fidelium, commune, quod distinctum officium. 6° Quæ cœtui fidelium, quæ Rectoribus ineunda via, siquando ab his obtrudantur qui inidonei, ab illis repudiantur qui idonei.

Quod ad primum; Potestas, quam Ecclesiis concredidit Christus, est tantùm Ministerialis, & dispositiva, sive per modum fidejussionis, nullatenus δεσποτικὴ, est hæc solius Christi. Tam enim Rectorum, quàm fidelium, actio, in Pastoribus vocandis, est tantùm instar externi testimonii, quo palàm fit, quos Domino, ad Ecclesiæ ministerium segregare, visum est. Nec enim id unquam vendicavit sibi Ecclesia Christi, ut virtualiter, & ex suâ meâ potestate, crearet, qui ministerium exercerent. Ejus illud duntaxat, ut & more Senescalli in Magnatum familiis, de officiariis, qui sint idonei, dijudicet; &, ut ille ad servitia nomine patris-familias obeunda, sic illa ad ministerium Christi nomine administrandum Pastores, vel coopter, vel secludet. Sive ut Præfectus Collegii unà cum sociis, in socio de novo eligendo, non, quem pro libitu velint, sed, quem statuta illis indigitant, illum eligere debent; sic & Ecclesiæ Rectoribus, non pro placito suo, sed quem Canones Apostolorum deli-

delineant, Eccleſiis paſtoribus orbatis commendare fas eſt.

Quod ad ſecundum; Conſenſus populi eſt vel tacitus, vel expreſſus; tacitus ille, ubi non habeat populus poſt debitum ſcrutinium, quod juſtè objiciant, adeóque acquieſcunt in eo qui ab aliis commendatur; expreſſus hic, cùm multitudinis ſuffragia viritim colliguntur: non hic, ſed ille, eſt de neceſſariis. Modus, quo teſtentur fideles conſenſum ſuum, prout ædificationi, decoro, & ordini conveniat, in medio relinquendus: poſſunt quandóque, ubi periculum ne ſtudiis partium diſtrahantur, aliis ex ipſis ſelectis, qui judicio & experientiâ pollent, hoc negotium tranſigendum concredere. Nec eſt, hoc, quod ſentiunt nonnulli, jus ſuum aliis ablegare, ſed, modo ad ἀναλγησίαν evitandum convenientiſſimo, exercere.

Quod ad tertium; populi conſenſus non eſt abſolutè neceſſarius, ſed duntaxat κατὰ τὸ, ut de benè eſſe, non ut de eſſe. Si enim abſolutè neceſſarius eſſet, tum ejus mera abſentia perimeret & vocationem & miniſterium. Fac verò, 1° quòd vel populus aut juri ſuo abrenunciaverit, aut id non aſſeruit, aut, quod retroactis ſeculis factitatum, tyrannicè jus ei ſurreptum, tunc nullus fuiſſet per multas annorum centurias miniſter Chriſti, nec vel latenti Eccleſiæ aut Verbi aut Sacramentorum miniſterium. Nullitas enim miniſtri Chriſti, in eo quod ei eſſentiale; quæcunque ab eo præſtantur acta miniſterialia, invalida quodammodo reddit. Quòd ſi ſic, quomodo in Eccleſiam Chriſti non prævaluiſſent, quod nefas dictu, inferorum portæ? 2° Fac populum, qui etiam populus Dei, errore aliquo, qui nævus duntaxat in articulo fidei, aut qui fidei fundamentum

bendi. Rectorum nomine intelligo, Præpositos finitimos, quibus, ex vinculo charitatis, & fœdere, quo se invicem astrinxêre, præcipuè incumbit, ut de Ecclesiarum, quæ mutuâ consociatione conjunctæ, bono prospiciant.

Ut res tota dilucidior fiat, videndum, 1° Quæ illa potestas, quam Ecclesiis, in ministris suis vocandis, demandavit Christus. 2° Quis ille fidelium consensus, qui necessarius. 3° Quousque, vel quo in genere, necessarius. 4° Quare est sic necessarius. 5° Quod Rectorum, quod fidelium, commune, quod distinctum officium. 6° Quæ cœtui fidelium, quæ Rectoribus ineunda via, siquando ab his obtrudantur qui inidonei, ab illis repudiantur qui idonei.

Quod ad primum; Potestas, quam Ecclesiis concedidit Christus, est tantùm Ministerialis, & dispositiva, sive per modum fidejussionis, nullatenus δεσποτικὴ, est hæc solius Christi. Tam enim Rectorum, quàm fidelium, actio, in Pastoribus vocandis, est tantùm instar externi testimonii, quo palàm fit, quos Domino, ad Ecclesiæ ministerium segregare, visum est. Nec enim id unquam vendicavit sibi Ecclesia Christi, ut virtualiter, & ex suâ meâ potestate, crearet, qui ministerium exercerent. Ejus illud duntaxat, ut & more Senescalli in Magnatum familiis, de officiariis, qui sint idonei, dijudicet; &, ut ille ad servitia nomine patris-familias obeunda, sic illa ad ministerium Christi nomine administrandum Pastores, vel coopter, vel secludet. Sive ut Præfectus Collegii unà cum sociis, in socio de novo eligendo, non, quem pro libitu velint, sed, quem statuta illis indigitant, illum eligere debent; sic & Ecclesiæ Rectoribus, non pro placito suo, sed quem Canones Apostolorum deli-

delineant, Ecclesiis pastoribus orbatis commendare fas est.

Quod ad secundum; Consensus populi est vel tacitus, vel expressus; tacitus ille, ubi non habeat populus post debitum scrutinium, quod justè objiciant, adeóque acquiescunt in eo qui ab aliis commendatur; expressus hic, cùm multitudinis suffragia viritim colliguntur: non hic, sed ille, est de necessariis. Modus, quo testentur fideles consensum suum, prout ædificationi, decoro, & ordini conveniat, in medio relinquendus: possunt quandóque, ubi periculum ne studiis partium distrahantur, aliis ex ipsis selectis, qui judicio & experientiâ pollent, hoc negotium transigendum concredere. Nec est, hoc, quod sentiunt nonnulli, jus suum aliis ablegare, sed, modo ad ἀναλγησίαν evitandum convenientissimo, exercere.

Quod ad tertium; populi consensus non est absolutè necessarius, sed duntaxat κατὰ τὶ, ut de benè esse, non ut de esse. Si enim absolutè necessarius esset, tum ejus mera absentia perimeret & vocationem & ministerium. Fac verò, 1° quòd vel populus aut juri suo abrenunciaverit, aut id non asseruit, aut, quod retroactis seculis factitatum, tyrannicè jus ei surreptum, tunc nullus fuisset per multas annorum centurias minister Christi, nec vel latenti Ecclesiæ aut Verbi aut Sacramentorum ministerium. Nullitas enim ministri Christi, in eo quod ei essentiale; quæcunque ab eo præstantur acta ministerialia, invalida quodammodo reddit. Quòd si sic, quomodo in Ecclesiam Christi non prævaluissent, quod nefas dictu, inferorum portæ? 2° Fac populum, qui etiam populus Dei, errore aliquo, qui nævus duntaxat in articulo fidei, aut qui fidei fundamentum

mentum non ſubvertit, abactum; ac eapropter paſtorem orthodoxum, quem præfectum velint rectores, pertinaciter rejicere; annon penes eſſet Magiſtratum, qui cuſtos utriuſque tabulæ, ex conſilio Rectorum, vel populo etiam renitenti, qui ab errore revocaret, paſtorem præficere? Ita revera non tam aſſenſus vel diſſenſus, ex ſe, Paſtori dant, ut ſit vel non ſit; ſed ratio, in qua uterque fundatur. Si illa ejuſmodi quæ annihilat, vel corrumpit Paſtorem, deſinit eſſe Paſtor; non, quia non calculo ſuo probavit populus, ſed, quia quod contrà objicitur eſt ejus vocationis deſtructivum.

Quod ad quartum; dico conſenſum populi, ſaltem tacitum, in paſtoribus ſuis vocandis eſſe κατὰ τὶ neceſſarium; hoc eſt, ad eorum benè eſſe expedire, his rationibus. 1° Ratione periculi, quod, à Paſtore vel Hæretico, vel nequiter vivente, vel alias ad munus prorſus inidoneo, gregi imminet. Æquum id rectúmque, ut, quorum eſt, ſpiritus probare an à Deo, à Pſeudo-prophetis cavere, iis minùs auſcultare, de doctrinâ, quæ, hæretica, dijudicare, de vitâ & moribus candidatorum, quòd à ſcandalo immunes, certiorari; eorum conſenſus in vocandis paſtoribus non negligatur. Card. Cuſanus de Concord. Cath. lic. *Si non deberet populi conſenſus intervenire in præſide, injuſtè puniretur ex ignorantiâ vel malitiâ ſacerdotali, cùm ad ejus præſidentiam eorum conſenſus nunquam intervenit, nihil enim tunc poteſt populo imputari.* 2° Eorum eſt pro parte ſuâ eligere miniſtros, quorum vel authoritate vel vice miniſtratur. At, utcunque authoritate quæ à Chriſto, primariò miniſtratur, nomine etiam Eccleſiæ plurima præſtat paſtor; nec enim id ſolum incumbit paſtori, ut, voluntatem Chriſti

ad

ad populum cognitam faciendo, ſit os Dei ad populum, ſed porro, ut ſit, in precibus fundendis, os Eccleſiæ ad Deum: æquum id, ut non obtrudatur populo apud Deum interceſſor, quem juſtâ de cauſâ improbaverint. Regula juris eſt, *Ab omnibus approbari debet, qui omnium vicem ſupplet.* 3° Eſt Eccleſia, ſc. cœtus fidelium, ſponſa Chriſti, minùs id honorarium, ut ei, juſtis de cauſis reluctanti, non à marito, ſed ejus conſervis, obtrudantur, qui ei in ſacris inſerviant; hoc non miniſterium, ſed dominium, quod in Eccleſiâ ſolius Chriſti eſt, ſapit. 4° Eſt Eccleſia quæcunque particularis, pro parte ſuâ, columna veritatis, *i.e.* ejus conſervatrix; quî id faciat, niſi habeat, pro parte ſuâ, poteſtatem, omnes illas functiones in Eccleſiâ perpetuandi, quæ ad ejus conſervationem ſunt neceſſariæ? Huic verò imprimis conducit, paſtorum, qui orthodoxi, acceptatio; hæreticorum, quantum in ſe, averſatio. Siquidem *cùm aſcendit Chriſtus, dedit Paſtores, ne quovis vento doctrinæ circumferamur. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, &c.* Hoc verò juris non haberet Eccleſia, ſi nullæ ejus, in paſtoribus idoneis ſibi aſſumendis vel in ἑτεροδόξοις rejiciendis, partes. cui id pro officio ſuo mandat Deus, ut fidem Orthodoxam conſervet, non illam à mediis, quibus præ aliis conſervatur, excludit. 5° Pactum, quod, ut de benè eſſe, inter Paſtorem & cœtum fidelium, ſaltem implicitè, intercedit, hoc ipſum flagitat. Pactum id dico, quo paſtor, & Deo & Eccleſiæ, ad populo, in iis quæ ad ſalutem neceſſaria, invigilandum ſe aſtringit; & cœtus fidelium, in quibuſcunque paſtori debitis officiis, ſe dicto audientem futurum præ ſe fert. Officia utrinque, idque ex divino inſtituto, mutuâ relatione debita, pactum involvunt. In omni verò

Eph. 4. 14
Mal. 2. 7

contra-

contractu vel pacto obligativo, adsit oportet mutuus consensus, saltem tacitus. 6° Quòd ubi mutuus intercesserit consensus, vel naturâ dictante, & arctiùs ferruminantur tam pastoris quàm populi animi, & alacriùs multò uterque facit quod suum. Admodum conducit affectibus ad invicem conglutinandis, quòd ejusmodi cœtui fidelium præficitur pastor, quem, omnibus subductis, ut sibi maximè idoneum, qui pares judicando, dari exoptârunt; ut *αὐτοκατάκριτοι* meritò explodendi, qui pastorale jugum, cui, post maturum judicium, ipsi se spontaneè submiserint, morosè excutiunt. 7° Plusquam probabile, Apostolorum tempore, in Ecclesiis constitutis, non nisi ex consensu fidelium pastores fuisse præfectos: ut, præter alia, (quòd sc. quæ minoris momenti non nisi Ecclesiâ suffragante transigebantur) denotat etiam vox *χειροτονεῖν*. Non enim pro *χειροθεσία* ut volunt alii. 1° Quòd sic usurpatur, 2 *Cor.* 8. 19. scil. de electione, quæ fit voce, vel suffragiis. 2° Quòd, aliter, barbarus fuisset Evangelista iis ad quos scribit, cùm jam tum in nullo scriptore, sive sacro sive prophano, sic usurpata vox illa. Nec potest in contrarium dari instantia; nam, quòd, de Deo, enunciatur ejus decompositum sensu metaphorico, non sequitur, ut apud homines sic; ubi enim humana actio enunciatur de Deo *μεταφορικῶς*, intelligendum *θεοπρεπῶς*, ut Jun. Et Amef. cont. Bell. sic. *Quod in hominum usu significat vox aliqua, non debemus aut possumus ex eo sensu statuere, quem habet Deo tributa, sed contrà; quia primò creaturis imposita fuerunt ejusmodi nomina, & postea ad res divinas imperfectè notandas applicata.* In illo etiam loco, dum ad Deum hæc vox applicatur, in vocatione Apostolorum; ana-

Acts 10. 41

Tom. 2. lib. 2. de clav. c. 2

logia

logia quædam innuitur testationis, inter illam vocationem, & ordinariam eam, quæ per hominum suffragia confertur. 3° Cùm vox χειροθεσία tum obtinuit apud Septuaginta Interpretes, cur Lucas, qui illis alibi, Gentium causâ, mordicùs adhærebat, hîc eos desereret? 4° Si non involvit hæc vox cœtum fidelium cum Apostolis, tum nec quæ sequuntur, ut quòd orárunt, jejunárunt. 5° Ordinatio, constanter in Apostolicis scriptis, tum significabatur aliâ voce, ut χειροθεσία, χειροτονία, ἐπιθέσεις χειρῶν. Cur discederet Evangelista à Nativâ voce ad tropicam, quæ tum inusitata? Hanc seculi sui consuetudinem fuisse testatur Cyprianus lib. 1. Epist. 4. *Ipsa plebs maximè habet potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divinâ authoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* Et Paulò post, *Propter quod diligenter, de traditione divinâ, & Apostolicâ observatione, servandum est & tenendum, quòd apud nos quoque & ferè per provincias universas tenetur, ut, ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit, &c.* Quæ contrà afferuntur argumenta; ut, quòd, de praxi ejusmodi, vel nulla, vel non nisi obscurior mentio, vel quòd nil tale totidem verbis in scriptis Apostolicis præcipitur; utraque hæc principiis fallacibus nituntur: aut enim argumentantur, in rebus facti, à non scripto ad non factum, aut à non scripto κατὰ τὸ ῥητὸν, ad non scriptum κατὰ τὸ

ἰσοδυναμίαν, in quibus utrisque, παραλογίζεσθαι. Quod verò dicuntur Paulus & Barnabas αὐτοῖς χειροτονῆσαι, ipsis ordinâsse; ubi οἱ χειροτονήσαντες manifestè contradistinguuntur αὐτοῖς, iis nempe quibus tunc parabantur pastores; &, quicquid id sit, quod sub voce χειροτονήσαντες continetur, videtur Paulo & Barnabæ (quoad syntaxin Grammaticam) applicari: Utut enim illud verum sit, attamen non inde fas est inferre, ac si consensus plebis excluderetur, quod illis de ministris à Paulo, & Barnabâ provisum. Parentes dicuntur filiabus suis de meritis prospicere, eósque eis indigitare; utcunque non absque consensu filiarum. Nec est quod impediat, quin populus, vario respectu, & activè & passivè se habeat ad Pastores, qui illis ab aliis commendantur.

Nec tamen, ex eo quòd cœtui fidelium ejusmodi asserimus libertatem, sequitur, penes illum esse regimen Ecclesiæ. Non enim Electio, vel potiùs electi approbatio, est actus gubernationis & regiminis, utcunque pertineant ad regimen constituendum; ut, in sponsâ, quæ eligit maritum; &, in Electoribus, qui Imperatorem designant. Potest Ecclesia fidelium unà cum Rectoribus, habere designandi ministrum potestatem ministerialem; nec tamen penes illam, illa clavium potestas, ad quam exercendam eligitur. Hanc enim utcunque in Ecclesiæ totius bonum datam; &, in rebus quibusdam, non nisi in ejus præsentiâ, quandoque etiam, in iis quæ ejus maximè interfunt, non sine ejus consensu, exercendam agnoscimus: rectoribus tamen, ut primario ejus subjecto, seorsim ab Ecclesiâ totâ, à Christo mandatam statuimus. 1° Quòd videtur Petrus, cui, in personâ Rectorum, tribuitur

Mat: 16. 18, 19

potestas

potestas clavium, proponi ut membrum Ecclesiæ contradistinctum. 2. Quòd Deus constituit aliquos, non omnes, gubernatores. 3. Quòd potestas clavium ubi concreditur Apostolis, semper illis seorsim à plebe traditur. 4. Quòd regimen Ecclesiæ est, verbi authoritativè dispensandi, appendix. Si ejusmodi verbi dispensatio Rectoribus peculiaris, quid ni & regimen, quod clavium potestatis pars altera?

1 Cor. 12. 28 Mat. 16. 18 & 28. 19 Joh. 20. 23

Quintò videndum, quod Rectorum, quod fidelium commune, quod distinctum officium. Commune id, 1. Ut de apto & idoneo, qui Ecclesiæ viduatæ tempestivè præficiendus, prospiciant. Nominatio enim fuit quandoque ex parte populi, quandoque, atque id sæpiùs, ex parte præpositorum. 2. Ut candidatis, sive de candidatorum doctrinâ, donis ministerialibus, vitæ integritate, utrique pro parte suâ judicium ferant. Ad Rectores, ut qui judicio & experientiâ alios antecellunt, spectat inprimis, ut de doctrinâ & donis judicent; ad populum verò, ut de vitæ consuetudine testentur. Ita verò hoc negotium transigendum, ut mutuas ad invicem tradant operas. Jubentur enim & fideles qui de plebe, spiritus probare an à Deo. Atque sic de officio quod utrisque commune, nunc de distincto. Rectoribus id peculiare videtur, 1. Ut in toto electionis negotio & præeant, & præsint. Authoritas enim, quâ certi homines ad sacra dispensanda seliguntur, est in Rectoribus primariò, in cœtu fidelium non nisi secundariò. *Hujus rei causâ dereliqui te in Creta, ut constituas oppidatim presbyteros*; utcunq; non sine consensu fidelium, attamen rectoribus, ut quorum sunt potiores partes, præeuntibus. Absonum id,

Tit. 1. 5

in Ecclesiâ constitutâ, ut, rectoribus seclusis, omnia ad se capiat populus. Melanchthon sic. *Pugnat cum jure divino, & veteri Ecclesiâ, Democratia, in quâ populus capit ad se electionem.* Calvin. ad populum sic. *Si hoc jus vobis arrogatis, ut pro arbitrio vobis asciscatis pastores, hoc nihil aliud quàm ordinem à Deo positum cum honestate Christianâ convellere.* Junius sic. *Populus non solus judicet, sed præeunte & moderante actionem clero & Presbyterio.* Populo id peculiare, ut cautè animadvertant, ne quid à rectoribus in illorum damnum fiat; ut ad quos pertinet, designatos vel calculo suo ratihabere, vel ab eisdem ut minus idoneis consensum suum subtrahere. 2° Rectorum id videtur distinctum officium, ut quos, post examen factum, (ad illos enim pertinet examinatio) in conventu Synodico idoneos judicârint, eos Ecclesiæ pastore orbatæ, ut se approbent, vel literis, vel nuntiis commendent. Ecclesiæ fidelium id peculiare officium, si quos post diligens scrutinium adhibitum idoneos compererint. 1° Ut consensum suum, per delegatos, vel aliàs, rectoribus cognitum faciant. 2° Ut candidati ordinationem, seu investituram ad ministerii sui actuale exercitium, ab eis petant. 3° Rectorum id proprium, 1° Ut solenni more, precibus & manuum impositione, ad opus suum segregent. 2° Ut curam dominici gregis illis, sub gravi obtestatione, cum piis hortationibus conjunctâ, Christi nomine demandent.

Calv. Epist. 131

Quod ad Sextum: Quæ sit ineunda via, si de candidato, ut minùs idoneo, oriatur lis. Resp. 1° Populi id ut accuratè dispiciant, num de causâ gravi, justâ, & compertâ, lis ex parte suâ instituatur; nec enim temerè rejiciendus, qui à Re-

à Rectoribus, maturo judicio, commendatur. 2° Uterationes, quare dissentiunt, per primores è suis, vel aliàs modestè exhibeant. Rectoribus id hîc incumbit, 1° Ut, quæ in præjudicium candidati allegantur, patienter audiant, & prudenter expendant. 2° Ut omnia, mutuis inter se colloquiis, sedatè discutiant, diligenter trutinent. 3° Ut vel candidatum, si querela justa fuerit, rejiciant; vel, ut omni exceptione majorem, absolvant, confirment. 4° Si non sic acquiescat populus, Rectorum id, 1° Salubribus monitis, ut commendatum amplectantur, & pro pastore agnoscant, admonere, suadere. 2° Omnia sic curare, ne à plebe per levitatem aut tumultûm pectetur. Quòd si nec hâc succedant viâ, illorum id, ut ad Ecclesiarum conventum ampliorem rem totam deferant. Ac, si in omnibus frustra erunt, magistratûs si sit orthodoxus auxilium implorandum, ut suam, ad litem dirimendam, interponat authoritatem. Quòd sic progrediendum in pastore eligendo, jubent & Ecclesiarum per prima & puriora secula praxis; & æquitas illa communis, quæ in aliis publicis officiariis designandis huic analogica; & ordo, decorúmque, cui ex Dei præcepto consulendum. Siquæ verò Ecclesia, ordinis & decori habitâ ratione ab hâc formâ, in iis quæ accidentalia, variaverit; non rixabitur pietas.

Quæri hîc potest, Quo in numero habendi verbi dispensatores, qui, ubi disciplina collapsa, vel Ecclesia reformanda, populo renitenti à supremo Magistratu ex consensu Rectorum sive aliquando præfecti fuêre, sive præficientur. Resp. Distinguendo 1° De Populo; qui est vel, judicio charitatis, populus vocatus, vel qui, utcunque, cùm nomine Christi sint tincti, in sinu Ec-

cleſiæ commorantur, nil de Deo in illis conſpicuum, adeóque paſtori eligendo impares; ejuſmodi illi qui affectatè ignari, qui ad omnem nequitiam projecti, qui in fundamentalibus obſtinatè errant. 2° De Paſtoris opere etiam diſtinguendum. Hoc enim duplex, prò variâ eorum, apud quos laborat, ſpirituali conditione; vel cùm quis ovibus Deo lucrifactis, adeóque ſe ſponte nec ſubmittentibus, præeſt in domino; vel, populo ignaro, pervicaci, & jugum paſtorale quantum in ſe detrectanti, ab iis, penes quos authoritas, præficitur. Nimis enim mei videntur arctare nomen paſtoris, qui, ad converſas oves duntaxat, reſtringunt; Paſtoris illud opus, tam καταρτίζειν, quam οἰκοδομεῖν, tam membra, ſcil. quæ in Adamo luxata, in priſtinam conditionem per Chriſtum reſtituere, quàm oves ad Chriſtum adductas ædificare: ſic Zanch. in Ep. ad Epheſ. 3° Populi reniſus eſt de cauſâ juſtâ, vel injuſtâ; Juſtâ, vel quæ revera talis, vel duntaxat apparenter; quæ revera talis, vel perimit Paſtoris vocationem, vel ei duntaxat nævum inducit. His præmiſſis diſtinctionibus, ſic Reſpondeo. 1° Miniſter verbi, qui, cùm omni exceptione major, populo injuſtè abnuenti, à magiſtratu ex conſilio rectorum præponitur, erit illis pro vero paſtore; ut cujus eſt populum Deo inſtructum parare. Ubi enim populus paſtori eligendo impar, jus electionis ad Magiſtratum unà cum Rectoribus devolvitur; ut in nuptiis eorum, qui ſui juris non ſunt, conſummandis, ubi incapax qui præberet conſenſum furioſus, parens ſupplet ejus locum, vel Magiſtratus, vel propinquorum conſenſus. Dico ad Magiſtratum cum Rectoribus devolvi jus. Ejus enim eſt, qui cuſtos utriuſque tabulæ, Dei
2 Chro. 19. 8 cultum in ſuis finibus promovere; adeóque id ei incum-

incumbit, ne media salutis desint, quibus Deo lucrifiat populus. Quod ut effectum det, emittat, qui, & authoritate, & donis instructi, in spirituale bonum populi dona sua exerceant. Eruntque hi παροικίαις, quibus assignantur, pro Ministris Christi, ut quorum illud opus præcipuum, oves perditas in domini ovile aggregare. Qui sic emissus, in eo, à fratre privato, utcunque donis eximiis imbuto, discriminatur, 1° Quòd ille, cum publicè inauguratus, ut superior, iis qui loco inferiori sunt, verbum authoritativè dispensat; Hic verò ut non nisi æqualis æqualibus. 2° Quòd hic aliis impertit verbum, id ex vocatione duntaxat generali, communi scil. charitatis vinculo, facit; cùm ille, vi vocationis particularis, ad quam publicè designatus, sua omnia peragit. Hic exsolvit pensum omnibus, ut res tulerit, debitum; ille ut populo ei concredito, cui operam suam devovit. 3° Ampliores promissiones de Christo adfuturo iis, quibus ut Apostolorum successoribus potestas clavium concredita, factæ sunt, quàm fratri privato cuicunque, *Ego ero vobiscum omnibus diebus ad consummationem seculi.* 2° Minister verbi, quem de causâ ejusmodi, quæ est vocationis destructiva, rejecerit populus, nullatenus erit illis pro pastore. Causæ verò destructivæ ex aliis hæ, si in fundamentalibus minùs orthodoxus, si donis ministerialibus nullatenus imbutus. Joan. 10 5. *Alienum non sequentur oves Christi, sed fugient ab eo, quia non nôrunt vocem alienorum.* Nec tamen dicimus ipsius acta omnia esse prorsus irrita. Quanquam enim acta ministerialia, (ut Baptismi administratio, &c.) ab ejusmodi viro hæretico, impio, aut prorsus ignaro, non peragi debeant; quoniam ipse ejusmodi non est, quem tenetur populus ut

1 Thes. 5. 1

pastorem legitimum reputare, cui tanquam à Deo missо auscultari oportet: ab ipso tamen peracta, qui, etsi pro Pastore non habendus sit, de facto tamen habetur, eousque rata sunt, ut non pro nihilo, tanquam si non facta essent, (eoque nomine iteranda) reputanda sint, sed de admisso potiùs in circumstantiis peccato resipiscendum. 3° Minister verbi, quem justâ de causâ, utcunque non vocationis corruptivâ, improbaverit populus, non illis obtrudendus pro pastore, sed, præpositus, non definit illis esse pro pastore, nec ejus opera ministerialia erunt aut invalida, aut illegitima: sunt multa, quæ non facienda, facta tamen valent. 4° Quem adversatus est pastorem populus injustâ de causâ, quæ tamen primò apparenter justa videbatur; fit erit, ubi aliter constiterit, ad vocationem ejus, ut omnimodo legitimam, ratihabendam, subsequens consensus; ut in nuptiis, ubi initio aberat parentum consensus, vel in tyranno per vim populum subigenti, qui sequitur voluntarius consensus & illos & hunc pro legitimis confirmat.

Ut Gregem pascat.] Gregis nomine, intelligo, non modò universam Ecclesiam Christi visibilem, quæ quidem Grex unus est, prout ille est Pastor unus; sed præcipuè Gregem illum peculiarem, seu Gregis partem, cui particularis Pastor speciali modo præficitur. Quanquam enim omnes Verbi & Sacramentorum Ministri, potestatem habent, ubivis locorum, Verbum & Sacramenta authoritativè, pro re natâ, ministrandi; atque, câ ratione, Universalis Ecclesiæ Ministri dici possunt, quoniam, prout se offert justa occasio, in universalis ecclesiæ bonum, non modò ut personæ privatæ, sed ut ministeriali potestate authoritativâ freti, mysteria Christi dispensare

censare possunt; neque illud solùm erga fideles, seu Christianos, qui nomen suum, saltem in Baptismo, Christo dedêre, & proinde pro ipsius discipulis (laxiori saltem sensu) reputandi; sed etiam erga Ethnicos, sive Paganos, quoties cum illis agitur, ut ad Christi fidem amplexandam adducantur, (neque enim illud, ut privatæ tantùm personæ, peragunt:) Attamen, præterquam quòd hanc relationem ad ecclesiam Christi universalem sustinent, habent etiam plerumque Pastores peculiarem, cui speciali modo invigilandum, Gregem.

Est autem Grex ille peculiaris, cœtus vel collectio fidelium, qui, sub uno eodémque Pastore, & veram in fundamentalibus professionem fidem, & in mediis ad salutem necessariis communionem, pro re natâ, exercent.

Est Cœtus.] ejusmodi (sc. qui nec loci intercapedine, nec multitudine pluspiam oportet numerosâ, quò minùs in unum conveniant, impediuntur. Gregis, cui invigilabant primi pastores, pomœria non ultrà porrigebantur, quàm, ut ὅπι τὸ αὐτὸ convenirent. Act 2.44 1 Cor. 14.23 Act 14.17

Fidelium] i.e. Baptizatorum, est enim Baptismus janua, quâ in fidelium numerum, sive Ecclesiam visibilem intromittuntur, qui ejus membra. *Baptismo additæ sunt Ecclesiæ ter mille animarum.* Baptizatis accenseo, non solùm, qui actu baptizantur, sed & qui jus habent ad baptismum, ut fidelium infantes. Hi enim eodem jure videntur fidelium, & baptizatorum numero accensendi, (modò non interveniat Baptismi spontanea rejectio,) quo Judæorum infantes ante diem octavam (ut de fœminis taceam) pro circumcisis, & Ecclesiæ Judaicæ membris, habebantur. *Fidei in fundamentalibus veræ pro-* Act 2.41

fessione, internoscitur Ecclesia particularis ab hæreticis, qui fidem subvertunt. Est hujus professio propterea Ecclesiæ visibilis nota maxime essentialis; Quia, quæ, si realis & interna, constituit membrum Ecclesiæ invisibilis; ejus professio facit, ut quis sit membrum de Ecclesia visibili. *Communionem in mediis ad salutem necessariis exercendo*, distinguitur grex à schismaticis, qui à mediis cultûs, quibus in unum coalescit Ecclesia, se subducunt. Hâc in sacrâ communione describitur grex, Act. 2. *Perdurabant in doctrinâ, communicatione, fractione panis, & precibus.*

Quæritur hîc primò, Num sufficit ut quis sit membrum de grege, quòd membrum de parochiâ. Resp. Quòd non. Possunt enim esse de Parochiâ, 1° Rabidi canes, qui in viæ Evangelii oblatrando contumaciter perseverant; sic Judæi, *Act.* 19. 9. 2° Sunt quandoque qui, animo obstinato, se subducunt ab exercitio, quibus communio exercetur; ut Pontificii, Separatistæ, Libertini, quorum hi, utcunque ministerio verbi se adjungunt, tamen jugum pastorale aversantur. 3 Sunt qui per Censuras Ecclesiasticas abscinduntur, non hi de grege, utcunque de parochiâ.

Quæritur secundò, Quo in numero habendi hæretici, schismatici cum scandalo, in quo & notorietas & contumacia, ambulantes, nec tamen per disciplinæ exercitium excluduntur. Respondetur; Membra de grege, alia sana, alia morbida sunt; atque hæc, usque dum ejiciuntur, licèt impropriè dicta membra, membra tamen. Nam, 1 Qui semel est de Ecclesiâ particulari, non desinit ita esse, nisi aut sponte abrenunciet, aut per censuras ecclesiasticas eliminetur. 2 Quia non repugnat naturæ visibilis Ecclesiæ, ut capræ hœ-

hœdis, Zizania tritico admiſceantur: cœtus mixtus eſt eccleſia viſibilis; rete, quod bonos malósque piſces involvit; ſimilis necnon domui, in quâ vaſa alia ad honorem, alia ad dedecus, &c. 3 Quî poterant ejici de Eccleſiâ, niſi aliquo modo ad illam pertinerent? non poterat abſcindi membrum morbidum, niſi de corpore eſſet, *Eccleſia non judicat de extraneis.* 1 Cór. 5. 12

Quæritur tertiò, Quod his à Paſtore debetur officium, ſimul ac eis qui ex Eccleſiâ per excommunicationem ejiciuntur. Reſp. Accommodet ſe iis paſtor mediis, quibus ſe ſubjiciunt, publicè, vel privatim; quibuſque eos vel ab errore liberandi, vel ad bonam frugem revocandi, ſpes aliqua affulſerit. *Erudiat cum lenitate eos, qui contrario animo ſunt affecti, experturus, &c.* 1 Tim. 2. 15 Item paſtoribus Iſraeliticis intendit Deus, quòd *oves perditas non quæſivêre.* Ezekiel 34 Et, qui paſtorum princeps, *ut ovem perditam quæreret, ſe veniſſe, profitetur.* Quod ad eos, qui excommunicantur, ſciendum, Eccleſiæ cenſuras omnes eſſe medicinales: *poteſtas datur non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem*: 2 Cor. 10. 8 ſic eos, qui ſub cenſurâ, ab exercitiis, in quibus fides & reſipiſcentia teſtanda, prohibet Eccleſia; ita tamen, ut nollet à verbi auditione, quâ fides ingeneratur, protinus arceri. Hujus enim Ethnicus & Publicanus, quibus annumeratur qui ejectus, capaces erant. Pariter & privatim cum illis ut reſipiſcant, agendum; *non ducite ut inimicum, ſed ut fratrem admonete.* 2 Theſ. 3. 15

Ut Gregem ſibi commiſſum paſcat.] Singulis Eccleſiis ſui aſſignandi Paſtores. *Attendite gregi, cui vos præfecit Sp. Sanctus.* Act. 20. 28 Hinc apoſtoli κατὰ πόλιν, & κατ' ἐκκλησίαν presbyteros creabant. Act. 14. 23 Tit. 1. 5 Denique ère eccleſiæ eſt, ut quilibet Paſtor ſuam habeat

habeat Dominici gregis portionem, quam velut sponsam, ut pronubus, Christo ἀρχιποιμήν adornet. Ut verò grex dicatur pastori commissus, pastor item gregi præpositus; intercedat oportet, inter pastorem & populum, vinculum pastorale. Nil id aliud, quàm, ut pastor gregis, cui præficitur, curam in se suscipere profiteatur; nec non spem faciat, ut ab illo omnia pastoralia munera expectent: Populus item illum ut à Domino missum agnoscat, atque ab eo in spiritualibus se pendere testetur. Professio autem hæc, vel est explicita, cum mutuâ pactione, quâ pastor curam & operam suam, grex suam in Domino subjectionem spondet, totidem verbis transigitur: vel est implicita, cùm uterque facit quod suum, ille sacra dispensando, hic obedientiam suam in domino præstando, utcunque nulla intercedit solennior transactio. Hæc ultima vinculo pastorali dat esse, illa altera non est nisi de solennitate vinculi. Tale reverâ esse vinculum constat. 1° Quòd omnis relatio fundatur in vinculo, vel naturæ, ut pater & filius; vel pacti, ut dominus & servus, rex & subditus, pastor & grex, doctor & discipulus. 2° Si nullum intercederet vinculum, nullus justæ querelæ locus, si pastor à debito officio cessaret, aliis operam locaret, si populus alteri potiùs, quàm suo pastori, attenderet. 3° Omne præceptum de mutuis officiis præstandis, illa omnia suo ambitu complectitur, quæ utrumque ad id quod suum faciendum impellerent: at vinculum hoc, quo invicem adstringuntur, admodum huc conducit, utrique calcaris instar, quòd contractus accesserit mutuò obligativus, ut loquitur Caranza. 4° Formula illa loquendi, τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, *gregem qui à vobis pendet pascite*, (sic enim

ex

ex Sophocle interpretatur Beza, ἐν σοὶ ἕπομεν, (cui te pendemus,) gregis à pastore dependentiam, illum item ut gregi attendentem, insinuat.

Ut gregem mediis ad salutem idoneis pro parte sua pascat.] *Pascere*, est gregi attendere, præire, & præesse in Domino; pabulum, quo ad salutem æternam nutriantur, ἐναίρειν, ἀναίρειν, apponendo. *Media ad salutem idonea*, sunt, quæ à Deo instituta ad electos congregandos, confirmandos, conservandos. Ejusmodi sunt, verbi dispensatio, precatio, Sacramentorum administratio, disciplinæ praxis; His enim fides Christiana inchoatur, exercetur, obsignatur, conservatur, collapsa restituitur. *Pro parte suâ*, dico, aliis enim cum eo conjunctim incumbit cura gregis, qui, in Ecclesiâ omnimodo rectè constituta, ei pro coadjutoribus, tam in populum instruendo, quàm in morum inspectione, in disciplinæ exercitio, ut copiæ auxiliares adjungi deberent. Ejus id videtur munus seorsum ab aliis peculiare, ut in quibus, vel pro populo ad Deum, vel pro Deo ad populum, sua omnia pro varietate circumstantiarum, occasionum, ovnúmque conditione, prudenter expromat, cujusque necessitatibus accommodet. Atque sic de Pastore, Quid est. Videndum, Quæ in eo desiderantur.

Cap.

habeat Dominici gregis portionem, quam veluti ſponſam, ut pronubus, Chriſto ἀρχιποιμένι adornet. Ut verò grex dicatur paſtori commiſſus, paſtor item gregi præpoſitus; intercedat oportet, inter paſtorem & populum, vinculum paſtorale. Nil id aliud, quàm, ut paſtor gregis, cui præficitur, curam in ſe ſuſcipere profiteatur; nec non ſpem faciat, ut ab illo omnia paſtoralia munera expectent: Populus item illum ut à Domino miſſum agnoſcat, atque ab eo in ſpiritualibus ſe pendere teſtetur. Profeſſio autem hæc, vel eſt explicita, cum mutuâ pactione, quâ paſtor curam & operam ſuam, grex ſuam in Domino ſubjectionem ſpondet, totidem verbis tranſigitur: vel eſt implicita, cùm uterque facit quod ſuum, ille ſacra diſpenſando, hic obedientiam ſuam in domino præſtando, utcunque nulla intercedit ſolennior tranſactio. Hæc ultima vinculo paſtorali dat eſſe, illa altera non eſt niſi de ſolennitate vinculi. Tale reverâ eſſe vinculum conſtat. 1° Quòd omnis relatio fundatur in vinculo, vel naturæ, ut pater & filius; vel pacti, ut dominus & ſervus, rex & ſubditus, paſtor & grex, doctor & diſcipulus. 2° Si nullum intercederet vinculum, nullus juſtæ querelæ locus, ſi paſtor à debito officio ceſſaret, aliis operam locaret, ſi populus alteri potiùs, quàm ſuo paſtori, attenderet. 3° Omne præceptum de mutuis officiis præſtandis, illa omnia ſuo ambitu complectitur, quæ utrumque ad id quod ſuum faciendum impellerent: at vinculum hoc, quo invicem adſtringuntur, admodum huc conducit, utrique calcaris inſtar, quòd contractus acceſſerit mutuò obligativus, ut loquitur Caranza. 4° Formula illa loquendi, τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, *gregem qui à vobis pendet paſcite*, (ſic enim

ex

ex Sophocle interpretatur Beza, ἐν σοὶ ἐσμεν, (vos te pendemus,) gregis à pastore dependentiam, illum item ut gregi attendentem, insinuat.

Ut gregem mediis ad salutem idoneis pro parte sua pascat.] *Pascere*, est gregi attendere, præire, & præesse in Domino; pabulum, quo ad salutem æternam nutriantur, ἐπαίρων, ἀναίρων, apponendo. *Media ad salutem idonea*, sunt, quæ à Deo instituta ad electos congregandos, confirmandos, conservandos. Ejusmodi sunt, verbi dispensatio, precatio, Sacramentorum administratio, disciplinæ praxis; His enim fides Christiana inchoatur, exercetur, obsignatur, conservatur, collapsa restituitur. *Pro parte suâ*, dico, aliis enim cum eo conjunctim incumbit cura gregis, qui, in Ecclesiâ omnimodo rectè constituta, ei pro coadjutoribus, tam in populum instruendo, quàm in morum inspectione, in disciplinæ exercitio, ut copiæ auxiliares adjungi deberent. Ejus id videtur munus seorsum ab aliis peculiare, ut in quibus, vel pro populo ad Deum, vel pro Deo ad populum, sua omnia pro varietate circumstantiarum, occasionum, ovium que conditione, prudenter expromat, cujusque necessitatibus accommodet. Atque sic de Pastore, Quid est. Videndum, Quæ in eo desiderantur.

Cap.

CAP. II.

Sit Pastor, gravitate reverendus.

Sit Pastor gravitate reverendus.

QUæ in Pastore desiderantur, sunt vel personæ, vel officii. Ratione personæ sit, 1 Σεμνὸς. 2 Ἀμέμπτος, 3 Τύπος τῆ ποιμνίῳ. Σεμνὸς sit, i. e. præ gravitate reverendus. Gravitas autem ejusmodi sit, non quæ à Pastoris aditu homines arceat; sed, quæ ad omnem reverentiam componat adeuntes. Oportet enim Ministrum verbi εὐπρόσιτον, εὐπροσήγορον εἶναι, i.e. congressu facilem, affabilem, ut de Athanasio, Nazianzenus; non nimia austeritate, non fronte corrugata tetricum, ne infirmos timidè accedentes, quod de Hoopero fertur, à colloquio absterreat. Non austeritatem tibi suadeo, ait Bernardus ad Eugenium, sed gravitatem; illa infirmiores fugat, hæc leviores reprimit; illa si adsit odibilem, hæc si absit contemptibilem reddit. Ubi autem persona dicentis vilescit, ibi & sacra quorum ille internuncius, susque deque habentur. Hinc Apostolus, *Nemo juventutem tuam despiciat. Nemo te despiciat.*

Orat. in laudem Athan. Vide Foxi Martyrol. de Hoopero. *Lib.* 4 de confid.

1 Tim. 4. 12 Tit. 2. ult.

Reverenda Gravitas quomodo comparanda & retinenda.

Σεμνὸς verò erit pastor 1 Si nemini è suis sit obæratus, vel plùs æquo devinctus. Æquum id, ut laboris mercedem accipiat, ut grati animi testimonium non recuset; id iniquum, ut quis muneribus acceptis, sive libertatem, sive authoritatem vendat. Apta nata, quæ ex abundanti supervenit largitio, ut animum occæcet; illam, quæ ministro pro ornamento est, in reprehendendo παῤῥησίαν adimat: ut, qui de nobis præ aliis meruit,

repre-

reprehensus ægrè ferat; ut minùs honorificè, de eo qui vel ex dono, vel ex mutuo, illi obnoxius, sentiat. *Qui mutuò accipit, servus erit ei qui mutuò dat.* Ne de authoritate remitteret Apostolus, debitum à Corinthiis stipendium recusavit. *Facilè enim* (ait Hieronymus) *contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat; Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Nescio quomodo etiam ipse, qui te precatur ut tribuat, cùm acceperis viliorem te judicat, & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plùs te posteriùs veneratur:* hæc ille. Prov. 27. 7

Atque ut nulli è suis, sic nec iis præcipuè, qui adhuc à Christo alieni, obligatum velim; in id propensi hi, ut nos ad rem attentiores existiment, ut officio suo, si nobis largâ manu benefecerint, abundè satisfeciſſe arbitrentur. Hinc Daniel, ut & honestati vocationis, & dignitati personæ, consuleret, donaria regis Belshazzaris ex animo recusavit. *Dona tua tibi sint, & honoraria tua da alteri.* Sic Liberius, Romanus episcopus, quingentos solidos, quos ad eum misit Constantinus Arianus, renuit accipere, & Eusebio offerenti respondit, *Devastatis orbis terrarum Ecclesiis, mibi eleemosynam offers? quin tu abi, & Christianus prius efficiare.* Dan. 5: 17 Theodor. l. 2. c. 16.

2 Congressus omnes cum hominibus Atheis, derisoribus, stultis in stultitiâ suâ obfirmatis. cum schismaticis, qui, superbiâ inflati, indociles, prudenter devitandi. *Occurrat ursa orba catulis in virum, non stolidus in stultitiâ suâ*; i.e. irâ, quâ, rationis habenis laxatis, in homines ruit percitus. Siquando inopinatò in illos incideris, nihil tibi cum illis, nisi aliorum causâ, sit negotii, vel disputando vel reprehendendo. Dico, aliorum causâ, eo quòd Christus quandóque, propter turbam circumstantem, Pharisæis respondebat, *Qui corri-* Prov. 17. 12

corripit derisorem, recipit sibi ignominiam. Ne
Prov. 9. 7 *respondeto stulto secundùm stultitiam suam, ne ad-*
Pr. v. 26. 4 *æquerio ei*; i. e. ne te contempui exponas, cùm, prx iracundiâ, convitium convitio rependas.
Audiente stulto, ne loquaris, nam spernet te, cum
Prov. 23. 9 *prudentiâ dictorum tuorum. Canes conversi lacerabunt vos*; i. e. dicteriis & scommatis conspurcabunt.

3° Nulla cum hominibus, quos vel vita scelerata, vel in rebus gerendis imprudentia, contempui exposuêre, familiaritas contrahenda; qui non contemnitur à se, contemnitur à socio. Eâ quis apud suos existimatione, quâ ii quibuscum conjunctissimè vivet. Siquos igitur in album amicorum ascripserit, ejusmodi sint, qui reliquis, probitate, justitiâ, prudentiâ antecellant.

4° Delectum faciat eorum quos habiturus inter lætandum socios. Non, ubi voluptate, vel libero homine dignâ, animus reficiendus, indiscriminatim vulgo se immisceat. Vel bonis viris, siquando hilarescunt, excidunt, quæ, utcunque minimè mala, à malè tamen feriatis rapiuntur in deterius. Quin igitur, aut sui ordinis hominibus se adjungat, aut iis saltem, qui non, eum vili æstimandi, inde ansam arripient. *Sapientia astuti advertere ad viam suam.* Cavendum hîc, nè plùs æquo apud agrestes facetiis hilaritatem quæramus. Cujuscunque ordinis est quîcum jocamur, eum jocando parem reddimus. Peccat illa apud Apostolum εὐτραπελία, siquando τὸ πρέπον negligamus. Decorum id, ut pares cum paribus jocentur: non committendum, ut, cum rudioribus, dum liberiùs jocis ludat, qui superior, de authoritate remittat.

5° Si-

5° Siquà infirmior fuerit pastor, ut si ὀξύχολος, si in κενοδοξίαν propensior, si mortem vel pericula immodicè reformidet; omni conatu id agendum, ut ne in vulgus emanet. Id plebeculæ ingenium, ut, in pastorum nævis deprehendendis, Lynce oculatior sit; in iis propalandis, loquacior, quàm par. Prudentis erit, quæ in se bonæ famæ infesta animadverterit, nec adhuc, nedum post preces & jejunia, iis edomandis par, quâ fieri potest diligentiâ ea occulter. Si enim alterius infirmitas non in ejus infamiam efferenda, eadem erga nosmet multo magis exercenda charitas.

6° Quæcunque ab eo proficiscuntur, gravitatem spirent: sit in dictis, factis, veritas, candor, constantia; sint gestus, incessus, vultus, habitus ejusmodi, qui mentem benè compositam arguunt. Si incompositè, & non æqualiter incedat, mentis inæqualitas indicatur, ut Augustinus. Absint itaque ludicræ & mimicæ gesticulationes, aspectus torvus & supercilio plenus, os insulsa eructans, oculi vagi & instabiles. Stultus, quo nihil inter homines despicatius, his indigitatur. Pro. 6. 12, 13 Denique, quæ præ omnibus reverentiæ conciliatrix, imago Dei in totâ vitæ consuetudine eminet; Hujus vel scintillulæ, quæ in Dei servis se exseruêre, quàm illos vel profligatissimis venerandos præstitêre. Job 29. 8. *Videntes me pueri occultabant se, etiam decrepiti assurgentes stabant, principes continebant sermones*, v. 22. *Post verbum meum non iterabant.* Unde hæc tanta reverentia? v. 14. *Justitiam induebam, &c.* Siquando ab integritate defecêre, qui cæteroquin venerandi, omnibus illico despicatui fuêre. *Cum loqueretur Ephraim, tremor erat, —— Peccavit in Baal, & mortuus est.* Ose. 13. 1 *Vos corrupistis fœdus Leviticum.*

minimè

minimè ſc. obſervando vias meas, *ideo ego reddidi vos contemptos & abjectos toti populo.* Quin igitur toto (quod aiunt) cœlo errant phaleratî quidam doctores, qui fumoſis titulis, προσοχαθέλαις, ſumptuoſis veſtibus, ſtolis promiſſis, numeroſâ famulorum catervâ apud vulgus reverentiam quærunt: iidem verò vel de munere ritè fungendo, vel de vitâ bene formandâ, non omnino ſoliciti. Annon ficulnea ſunt illa folia, quæ non nuditatem tegunt, ſed deformiorem per tranſennas reddunt? Annon piloſum illud prophetarum indumentum plus apud omnes honoris habuit, quàm horum ſericum, inanis fucus, ſplendor qualiſcunque? Chriſtus docuit in Synagogis, & honorabatur à populo. Ipſa venerabilis erit juventa, ſi modò imago Dei in ſermone, converſatione, ſpiritu, fide, ſit conſpicua. Plenæ ſunt hæ veſtes majeſtatis, quibus operta vel juventus non vileſcit. Meritis ſc. fidei & vitæ, non divitiis, epiſcopatûs authoritas quæritur. Concil. Chalced. 4. Atque ſic σεμνότητα ſibi comparabit miniſter verbi.

Luc. 4. 15
1 Tim. 4. 12

CAP. III.

Sit curis vacuus.

Sit curis vacuus.

SEcundò, Quilibet animarum curator debet eſſe Ἀμέριμνος. Non id volo, ut, cum ſolivagis Anachoretis, omnem rei familiaris curam abjiciat. Caput familiæ eſt, nec jure vel divino, vel humano, poteſt à ſe curam membrorum ablegare. Bonorum, quæ ei largitus eſt Deus,

Deus, Oeconomus; ei aliquando, quomodo administravit, reddenda est ratio. Hospitalis ut sit, exigit Canon Apostolicus; quî id poterit, nisi, quâ paterfamiliâs, rem suam prudenter curat? Id duntaxat volo, ut à curis, quæ animum à munere fungendo avocant, liber sit. Est cura, licita alia, quam vocat Junius πρᾶγμα; illicita alia, quam vocat idem περιεργασίαν. Quousque

Quæ licita est, 1° Providentiæ, quâ quis de necessariis sibi & suis in præsentiarum, ut qui exindè vivit, moderatè solicitus, 1 Tim. 5. 8. 2 Prudentiæ, quâ quis bona, quæ ei concredita, discretè, et, ut Vatabius cum judicio, administrat. 3° Diligentiæ, quâ quis, in re familiari curandâ, vel animæ vel corporis vires, pro naturâ objecti, (quod terrenum, non spirituale,) exsuscitat, sed remisse. *Cognoscendo cognosces facies pecudum tuarum, & appone cor tuum ad greges, &c.* Eousque omnis hæc licita est cura, dummodo non impedit, quò minùs quis gregi diligenter attendat. Psal. 122. 5. Prov. 13. 23. Prov. 27. 23.

Illicita 1° Cùm quæ à diffidentiâ oritur, animum, qui fide sustentandus, sive de præsentibus sive de futuris vexat, anxietate torquet. Ethnicorum, Matth 6. 2° Quæ à πολυπραγμοσύνη originem sumit; vel illa, qua quis, non ut de altari vivat, sed ut luxurietur, solicitus est; σαρκὸς προνοίαν ne habete ad explendas ejus cupiditates; vel illa, quâ quis παρεργοις sic se involvit, ut τὸ ἔργον negligat. παρέργα voco munera politica, lites forenses, emporeuticas nundinationes, fidejussionem pro extraneis, medicinæ publicam professionem, bonorum defuncti, ubi non exigit charitas aut necessitas, curationem. Hinc antiqui Canones sic statuêre; Ne quis clericus Reip. administran-

miniſtrandæ ſe admiſceat, ne mercaturæ ſe implicet, ne ſit procurator, aut aliorum negotiorum ſuſceptor, nec Tutor aut Curator. *Graviter*, inquit Cyprianus, *ego & collegæ mei commoti ſumus*, &c. *quòd Geminius Victor frater noſter, decedens de ſeculo, Geminium Fauſtinum, Presbyterum, Tutorem teſtamento ſuo nominaverit, cùm jampridem in Concilio Epiſcoporum ſtatutum ſit, ne quis de Clericis & Dei miniſtris Tutorem vel Curatorem Teſtamento conſtituat, cum ſinguli divino ſacerdotio honorati, & cuncti in clericali miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificiis deſervire, & precibus atque orationibus vacare debent.* Hæc ille.

3° Quæ à mundi amore inordinato proficiſcitur, animum opprimens cura; ut cùm quis vel divitiis congerendis ſtudet, vel de ſe ad ulteriorem honoris gradum promovendo cogitat, vel plus temporis, quàm natura negotii exigit, terrenis impendit; vel denique quibuſcunque mundanis, quò minùs ad cœleſtia animum attollat, irretitur. *Cavete vobis, ne corda veſtra graventur hujus vitæ curis.* Luc. 21. 34 Cura hæc omnis omni curâ devitanda. Quare. 1° Quòd opus miniſteriale tam excelſum, tam auguſtum, hominem reliquis negotiis expeditum vendicat. Paſtoris id, ut homines orco demerſos liberet, ut à poteſtate Satanæ ad Deum traducat, ut electos Dei in unum aggreget, corpus denique Chriſti ad ſalutem æternam ædificet. Cui unquam angelorum ſic dixerit, ((Quicquid ligaveris in terris, erit ligatum in cœlis, quicquid ſolveris in terrâ, erit ſolutum in cœlis? Hinc Apoſtolus, hujus legationis admiranda apoteleſmata animo expendens, attonitus exclamat, πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; Vacuum 2 Cor. 2. 16 ſcil. (ut Bernardus) *à ſolicitudine rerum vilium*

&

& minorum, oportet esse animum, tam magnis, tam multis intentum. 2 Apostoli, operis molem pensitantes, vel à curâ pauperum, quâ se præpeditos sentiebant, immunitatem postulârunt. *Non est æquum nos, derelicto Dei sermone, mensis ministrare*: derelictum dicit sermonem Dei, cui non poterant esse toti intenti: *Deligite itaque è vobis, quos huic muneri præficiamus, nos vero in precibus & sermonis administratione perdurabimus.* Si illi Ecclesiarum Atlantes, qui tamen divinitùs ad docendum instructi, negotia tantæ & charitatis & necessitatis detrectârunt, annon nos multò magis, quibus, quæ populo proponimus, Herculeo labore conquirenda, aliis, quæ non tanti, negotia jure amandemus. 3 Si iis quæ de grege dono continentiæ imbuti, ut sint ἀμέριμνοι, vel à conjugio abstinendum; annon, qui antesignani, quibus aliorum incumbit cura, à quibuscunque, quæ non necessariò abeunda, hujus seculi negotiis solutos esse oportet? 4 Illa edicti temporarii (de quo Mat. 10. 9. *Ne comparate aurum &c. ad iter.*) æquitas, in finem seculi internunciis pro documento esse debet, ut in Deum recumbant, non circa hæc βιωτικὰ plùs æquo anxii sint. 5 Curæ hæ seculares, quæ animum abducunt, indignæ prorsus pastore sunt; est ei masculæ quædam ingenita animi vis, quæ ad altiora aspirat, qui in fidei mysteriis indagandis, explicandis, totus versatur. Quid Episcopo (ait Bernardus) turpius, quàm incumbere (viz. curâ distrahente) supellectili & substantiolæ suæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quælibet perdita vel neglecta? minutiora hæc, quàm ut à munere tam excelso animum abducant. Quid? quòd non solùm pastorem dedecorant, verùm &

Act. 6. 2, 3

animo, cujus omnem vim ad se rapiunt, sterilitatem inducunt; ut enim montes, è quibus aurum & argentum effodiuntur, præ cæteris infrugiferi; perinde & pastoris animus, quem auri & argenti anxia solicitudo semel invasit, pietatis inops maximè. Quin igitur, siquando, quæ animo laqueum injiciunt, se ingerunt curæ mundanæ, heroico quodam impetu abigendæ: in iis scil. defixi hæreant hujus terræ filii, quorum venter est Deus, gloria ad ignominiam ipsorum, qui terrena solùm meditantur; nos, quos ad munus vel angelicis humeris formidandum designavit Dominus Jesus, majora canamus, quæ superna toti cogitemus. Siliquis porcorum (quid enim aliud sunt hæ animum corrodentes curæ?) vescantur, quibus clam sunt magnalia Dei, amænitates tabernaculorum excelsi non sunt de facie notæ; nos verò, quos, in sanctum sanctorum intromisit Deus, quibus electorum arcana reseravit, subvolemus in cœlum piis meditationibus & soliloquiis, in Scripturis assidui simus, has meditemur, in his simus, & profectus noster manifestus sit omnibus. Occurrat sæpiùs illud beatissimæ memoriæ Perkinsii, quod librorum frontispicio præfigere solebat; Apophthegma, *Minister Verbi es, hoc age.*

Præfat. ad Problem.

CAP.

CAP. IV.

Sit Exemplar gregis.

Sit Pastor exemplar gregis. 1 Tim. 4. 12. Tit. 2. 7 1 Pet. 5. 3

TErtiò, Sit Pastor Evangelicus τύπος τῦ ποιμνίυ, exemplar gregis. Τύπος est metaphora, ab iis ducta, qui, artem scribendi novitios edocturi, exemplaria proponunt, ad quæ oculos intendentes forment sive literas, sive verba; sic quilibet Minister Verbi debet esse ut exemplar, ad quod, cùm oculos dirigat plebs, vitam moresque componat. Videndum hìc 1° Quomodo debet esse exemplar. 2° Quare, tam in specie, quàm in genere.

Exemplar erit, 1° Si bona; quibus illum depinxit Sp. Sanctus, insectetur. 2° Si mala, quæ præ aliis dedecorant, defugiat. 3° Si adversa, quibus Deus vult illum exerceri, ritè perferat. Quæ oportet bona consectari, vel Deum, vel homines respiciunt. Quod ad Deum; requiritur, ut sit ὅσιος sanctus. *Vos estis testes, & Deus, quàm sanctè nos gesserimus.* Illa sub Lege, in Levitis & Sacerdotibus, ubi in ministerium assumendi, sanctificandis, ceremoniarum congeries, intemeratam quandam sanctitatem, in iis qui ad Deum propiùs accedunt, exigi subindicat. Sanctus verò quis erit, cùm Deo quod suum est tribuit. Id autem Dei, quod ejus vel natura, vel institutio, vendicat. Natura Dei, cùm sit verax, misericors, summè justus, bonus, sapiens, omnipotens, omniscius, &c. necessariò infert, in Deum esse credendum, sperandum, Deum esse amandum

Sit coram Deo, sanctus Tit. 1. 8 1 Thes. 2. 10

Quomodo

dum & timendum ſupra omnia, in omnibus audiendum, cognoſcendum, eíque, ut omnia ſuaviter diſponenti, ſubmittendum. Inſtitutio Dei media, modum, & tempus, quod ſacris officiis ſeponendum, præſcribit. Sanctus itaque erit Paſtor, 1° Si fide, ſpe, patientiâ, obedientiâ, dilectione Dei & timore cor imbuatur. 2 Si mediis, non quæ homo confinxit, ſed Deus conſtituit, eum conſtanter & frequenter colat & quærat. Ejuſmodi, verbi lectio, ejuſdem cùm prædicatur auditio, Sacramentorum celebratio, oratio, &c. 3 Si rebus ſacris, quales ſunt quibus Deus nomen ſuum inſculpſit, aut ſe colendum conſtituit, eo utatur modo, qui ipſorum & ſanctitati & dignitati conveniat. Modus ille, ut res ſanctæ ſanctè & uſurpentur & peragantur. Poſtulant autem, ut ſanctè peragantur, alia quæ antecedunt, alia quæ comitantur, alia quæ ſubſequuntur officia. 4 Si tempus quod ejus cultus; ſive privatim, ſive publicè, ſive per dies ſingulos, ſive die dominico, vendicat, ei religioſè concedat. Qui ſic communionem cum Deo exercebit, ille Deum in omnibus & intuebitur, & agnoſcet, ſuperna cogitabit, ab iis quæ in mundo, ſive ſunt ſeculi, ſive loci, corruptelis ſeipſum incontaminatum cuſtodiet; denique ſanctitatem, cordi inſcriptam, in totâ vitæ conſuetudine, ſpirabit.

Quare Magni momenti hæc in paſtore ſanctitas. 1 Quod quæ à ſancto, ubi os Dei, ad populum ptoficiſcuntur, avidiùs imbibuntur, altiùs radices agunt, efficaciùs operantur: non enim à cerebro duntaxat, intellectu ſcil. lumine perfuſo, cujus qui irregeniti capaces, promanant; ſed à corde, ſpiritu ſanctificationis renovato. Dici nequit, quantum habent ponderis vel quæ inculta, modò

à ſan-

à ſancto, ſive docendo, ſive ſcribendo, proveniunt: cùm quæ à minùs ſancto, limatiùs perpolita, ingenioſè expreſſa, in nihilum evaneſcunt. 2 Quòd, cum os populi ad Deum in precibus fundendis paſtor; plurimùm intereſt, ſanctus an ſceleratus, per quem preces Deo tranſmittimus. Quis, regi ſupplicaturus, petitionem ei, cui Rex infenſior, trandendam concrederet? *Cum is*, ait Gregorius, *qui diſplicet, ad intercedendum mittitur; irati animus ad deteriora provocatur.* Atque ſic de eo, in quo ad Deum relatio. Sequuntur quæ homines; atque hæc, vel erga alios, vel erga ſeipſum, à paſtore exercenda. Quæ alios reſpiciunt, vel in genere, vel in ſpecie. Quæ in genere, vel coram omnibus, vel erga omnes.

Coram omnibus ſit, ἀνέγκλητος, ἀνεπίλημπτος. Sic erit, ſi nullo juſtè notandus vitio, quod, cùm famam temeraret, miniſterio cederet in opprobrium. Non quòd à calumniis liber eſſe poteſt, ſed quòd à vitio, de quo meritò poſſit culpari. Hoc in typo adumbratum, cùm vel corporis deformitatem ab iis abeſſe præcipitur, qui cibum Dei offerrent. *Et nullam ullâ in re præbeamus offenſionem*, ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία, ne habeat quod reprehendat vel Momus ipſe. *Abſtinendum vel à ſpecie mali.* Non ſolùm *coram Deo*, ſed *& coram hominibus*, *honeſta procuranda.* Coram omnibus inculpatus. Tit.1.7 2 Tim.3.2 Lev.21.17 2 Cor.6.3 1 Theſ.5 2 Cor.8.21

Nulli, vel in minimo quod juſtè reprehendat, detur occaſio. 1 Quòd, qui reprehenſus, undequaque circumſpicit, ſi reprehenſor culpandus: eſt ei id ſat, ad culpæ ſuæ patrocinium, ſi, qui culpaverit, eodem vel alio quocunque vitio laboraverit. 2 Quòd converſatio, non juſtè reprehendenda, eos qui extra ſunt ad fidem adducit. Quare

1 Pet. 3

3° Quòd authoritatem in aliorum vitiis caſtigandis amittit, qui ipſe juſtè incuſandus; retinet, qui ipſe innoxius. Atque ſic ſe coram omnibus gerat paſtor.

Erga omnes ſit 1 Juſtus. Tit. 1.8 Rom. 13.7

Erga omnes ſit, Primò δίκαιος juſtus. Juſtitiam exerceat &, in contractibus, commutativam; &, quæ ſuum cuique tribuit, diſtributivam. Haud fratrem uſurario fœnore devoret; ſi cuipiam cauſa damni fuerit, ad aſſem compenſet; promiſſis, vel quæ in damnum, ſtet; neminem defraudet, neminem quæſtui habeat. Nam 1° Ingentes animos addit, in aliorum fraudibus detegendis, vitiis id genus taxandis, mens conſcia recti. *Cujus hovem accèperim, &c. vos teſtes eſtis & Deus, quàm juſtè nos geſſerimus, &c. Videte ergo ne quis opprimat fratrem.* 2° Nil apud eos qui extrà melioris famæ, nil quod reverentiam conciliat magis, quàm quæ in totâ vitæ conſuetudine eminet juſtitia; vel apud Ethnicos, hujus adminiſtratio mirabiles ſui amores excitavit; nec mirum, cùm vetus verbum, Ἐν τῇ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἔνι.

1 Thes. 4.6

Quare

1 Sam 12.3 1 Thes. 2.10 & 4.16

2 Humilis Act. 10.19

Secundò, ſit erga omnes, ταπεινὸς, humilis. *Serviens Domino cum omni animi ſubmiſſione.* Humilis eſt, qui, ſuæ indignitatis conſcius, ſe vili æſtimat, &, qui de donis, non ſupra quod par eſt, ſentit; nec ſibi, propter dona, aliquid arrogat: Cum ſc. id recognoſcit, & dona à Deo, penes quem eripiendi poteſtas; &, ſi gratiæ gratis datæ ſint, aliorum cauſâ dari. Qui ſic humilis, 1° Alios ſibi præponi vult, ut quos ſe meliores judicat. 2° Iis qui infimæ ſortis ſe exæquat, vel ad ſordida officia, modò illis inſerviat, ſe demittendo. 3 Non fertur præter juſtam rationem ad magna, cùm non ſupra quod par de ſe ſentit: *Non ambulo in magnis & mirabilibus ſupra me.*

Quomodo

Phil. 2 Rom. 12

Pſa. 131.1.2

me. Ejusmodi si erit, 1 Suorum animos in se propensos reddit; nil enim amabilius, quàm cum humili conversatione dona eminentiora conjuncta. 2 Dona in eum uberiùs effundet Deus; ut homines, sic Deus, in vasa, non plena, & turgida, sed vacua, infundunt, quæ infundenda, pretiosa. *Ut natura non patitur vacuum corporale, sed impellit potiùs quælibet corpora, ut occupent locum sibi indebitum: sic Deus non patitur vacuum spirituale in corde humilium, sed ad implenda mittit fluenta cælestium donorum.* Daven. in cap. 2. ad Col. *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam.* 3 Humilis, qui sui communicativus, omnibus, quibus usui esse posset, se demisse gerendo, ut ad se accedant, invitat. Superbus verò, qui non facilè sui copiam aliis facit; quò minùs ab eo quærant, quæ quærenda, deterret. Quare 1 Pet. 5

Tertiò, sit ἐπιεικὴς i.e. æquus, non ἀκριβοδίκαιος, qui rigidè, quod suum est, exigit. Sic erit, 1 Si quos suis à naturâ inesse animi morbos advertat, ut sunt morositas, iracundia, imprudentia, &c. lege charitatis toleret, dissimulet. *Intelligentia hominis prorogat iram suam, & decus ejus est transire per defectionem.* 2 Quæ ambigua sunt, vel dicta vel facta, nisi prudentia aliter velit, in mitiorem partem interpretetur. *Charitas non cogitat malum.* 3 Quandoque de jure suo concedat, ne aliis offendiculo sit; non sit juris sui mordicus tenax, si aut inde lites acerrimas oriundas prospiciat, aut Evangelii cursum interrumpendum. Sic Abraham Lothum alloquitur: *Ne quæso sit contentio inter te & me, inter pastores tuos et pastores meos; si sinistrum versus discesseris, dextrum petam; sin dextram versus, sinistram petam.* Sic Apostolus, *Non usi fuimus jure isto, sed omnia* 3 Æquanimis Quomodo Prov. 19. 11 1 Cor. 13. 5 Gen. 13. 8, 9

nia ſuſtinemus, στέγομεν, ne interrumpamus Evangelium Chriſti. Chriſtus, ne anſam daret populo ſubtrahendi Cæſari quod Cæſaris eſt, tributum, à quo cæteroquin immunis, ſolvebat. Perinde & uſu Chriſtianæ libertatis, in caſu ſcandali, ſuperſedendum. 4 Quæcunque leviter duntaxat, vel rem, vel famam lædunt, ea aut ſilentio premat aut facilè remittat. *Etiam ad omnia verba quæ dicuntur, ne adhibeto animum tuum.* Sunt plurimæ nobis illatæ injuriæ, quæ contemnendo in nihilum abeunt. Paſtorum itaque, qui vult omnia de ſe malevolè dicta cognoſcere, oportet multa ignoſcere. Eleganter enim Ambroſius, *Qui citò injuriâ movetur, facit ſe dignum videri contumeliâ, dum vult eâ indignus probari.* Si ſic ſe geſſerit, 1 Jurgia & lites, ex quibus animorum alienatio oritur, evitabit; operi autem miniſteriali ex eo plurimum accedit adjumenti, ubi concors animorum conſenſus. 2 Potiùs ſuorum commodum, quàm ſe, quærere paſtorem exiſtimabit vulgus, ſiquando, pacis & amoris ergô, de ſuo remittat. E contrà, quæ ſua duntaxat, non quæ populi, curare videbitur, qui, ut Evangelium Chriſti promoveat, non quandóque multa condonet.

Eccleſ. 7.

Lib. 1 de offic. cap. 6

Quare

4 Prudens. Quomodo Joh. 2. 23 Prov. 2, 25 Matt. 22. 26

2 Cor. 11. 26

Act. 23. 6, 7

Quartò, ſit φρόνιμος; *Eſtote prudentes ut ſerpentes.* Sic erit, 1 Si caveat ab hominibus; utcunque Chriſtum profiteantur, benevolum in nos affectum obtendant, honorificam de nobis opinionem præ ſe ferant, vel fratrum numero habeantur, (*Fuimus in periculis inter falſos fratres,*) vel honeſta prætexant, ut Judas, Johan. 12. 2 Si, ſolerti prudentiâ, adverſariorum effrænatam rabiem declinet. *Ego Phariſæus, & filius Phariſæi, &c.* Adverſarios inter ſe committit, ut ab eo perſequendo deſiſtant. 3 Si attendat,

tendat, non ſolùm, quid debeat; ſed, quid poſſit: non, quid licet ſolùm; ſed, quid expedit, habitâ ratione circumſtantiarum, loci, temporis, perſonæ &c. Prov.14.8 4 Si contineat ſe intra cancellos vocationis ſuæ, in eo quod malum eſt exſtirpando, in eo quod bonum promovendo. Quilibet debet πράσσειν τὰ ἴδια. 1 Theſ.4.11 1 Pet.4.15 Civili magiſtratui relinquendum, quod ſuum: nobis, quod noſtrum, faciendum. 5. Si caveat, in malis corrigendis, ne remedium malo pejus ſit. Præſtaret multò quorundam errata, dummodo illis non communicemus, ad tempus ferre, quàm ut incommodis gravioribus curentur. Eſt medicina morbo deterior. Neceſſariò igitur locus tribulis & noxiis herbis quandóque concedendus, ne utiles herbas unà eradicemus. 6 Det operam, quoad in ſe, ut fama, quæ vel rectè factorum comes, ubi verbi miniſterio in damnum cederet, ſupprimatur. Hæc enim, adverſariorum invidiam concitando, plerunque opportunitatem benè agendi adimit. *Quis enim coram invidiâ conſiſtere poteſt?* Prov.27.4 Mat.8.4 9.30 12.16 Hinc ſua facta celebriora reticeri nonnunquam voluit Chriſtus, ne ſibi in eo quod ulteriùs peragendum bonum, anteverterent. 7 Caveat, in vitiis coercendis, ne iis illum imparem ſentiant qui improbi.

Sic ſi ſe geſſerit, 1 Honorificam de ſe opinionem & acquiret & fovebit. Quare Prudenter agebat David, bonúſque videbatur in oculis totius populi, etiámque in oculis ſervorum Saulis. 2 Pericula, quæ illi machinabuntur qui peſſimi, cautè declinabit. Davidi ceſſit in laudem, quòd cùm eum perſequebatur Saul, callidè agendo ſe conſervavit. 1 Sam.23.22 3. Quod in manibus, opus paſtorale dextrè promovebit. *Emolumento ad dirigendum eſt ſapientia*; Eccl.10.10 ad media ſcil. idonea, quibus,

bus effectum det quod cupit, dirigit. *Omnis astutus agit scientiâ*, quod sc. expedit, non solùm quod licet, observando.

5 Sit exemplar in charitate.

Quintò, sit exemplar ἐν τῇ ἀγάπῃ; i.e. in charitate. Charitas est fructus spiritûs, quâ quis in proximum sic afficitur, ut ejus bono æquè ac suo, ubi res tulerit, consulit. Bonum, vel nostrum vel alienum, his quinque vertitur; Animi vel corporis salute, dignitate, castitate, quæ hujus vitæ bonis, famâ. His procurandis, conservandis, qui pro virili operam dat Pastor, exemplar erit in charitate. Sic esse oportet, 1 Quòd, in vitâ Christianâ, palmaria sit hæc virtus. Charitas vocatur *via excellentior*, ut quæ gratiis gratis datis so mam addit. *Super hæc induimini charitate, quæ est vinculum perfectionis. Ante omnia charitatem habete alii in alios intensam.* Emineat hæc in pastore, ut ab eo in gregem transfundatur. 2 Quòd charitatis exercitia alia sunt, quibus caro & sanguis inprimis reluctantur: ejusmodi sunt, ut quis injurias, multoties repetitas, & grave damnum inferentes, condonet; inimicis beneficiat; ut malum bono vincat; ut, vel damno suo, egenos sublevet, &c. Hæc cùm impossibilia ducat plebs, pastoris exemplari præeunte adjuvantur ut faciant. 3 Quòd charitatis officia, cùm in totam vitæ consuetudinem emanant, quibusvis pro re natâ exercenda; hâc non aliâ ratione frugiferi evadunt Christiani, abundant in opere Domini, dignè Evangelio ambulant. Vix aliud est, de quo justior querela, quàm quòd steriles, quòd infrugiferi, qui nomen Christo dedêre. Magni idcirco interest, ut pastorem, charitatis officiis quibuscunque prælucentem, in oculis ferant.

Quare

1 Cor. 12. 31
Col. 3. 14
1 Pet. 4. 8

6 In Sermone

Sextò, exemplar sit ἐν τῷ λόγῳ. Talem oportet

tet esse linguam pastoris, ut nullus ab ejus colloquio discedat non purior. Sic Christus, ut nobis præluceret, inter ambulandum, concionandum, transfretandum, crebros miscet de fidei mysteriis sermones; sæpiùs arripit ansam à pane corporali, de pane spirituali, ab aquâ terrenâ, de aquâ cœlesti, sermocinandi. Cùm spiritus in Apostolos effusus, dicuntur ἀποφθέγγεσθαι, i. e. Apophthegmata loqui. *Justi os meditatur sapientiam, & lingua ejus loquitur jus, in cujus animo est lex Dei sui. Velut argentum lectissimum est lingua justi. Scaturigo vitæ perfundit os justi.* Psal. 37. 30 Prov. 10. 20 & v. 11 *Lingua Pastoris debet esse ceu officina aromatica, seu pharmacopolium, unde medicamentum omne genus petendum,* ait Doctissimus Cartwrightus. Concilium Toletanum tertium sic decrevit; *Pro reverentiâ Dei & sacerdotum, id universa constituit Synodus, ut, quia solent crebrò mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio scripturarum immisceatur: Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Eleganter Bernardus: *Labia sacerdotis, ait Malachias, custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus, non nugas vel fabulas.* De consid. ad Eugen. lib. 2. c. 15 Erit autem Pastor exemplar in sermone, 1 Si in id seriò incumbat, ut sermones vani, maledici, spurci, ejusmodi qui nil sapiunt nisi animum terrenum, &c. tempestivè & dextrè abrumpantur. Quomodo 2 Si captet ansam ejusmodi colloquiorum, quæ gratiam auditoribus adferant, quæ sale condita sunt: Ejusmodi sunt, in quibus gratiarum, quæ intus in corde latent, sc. sanctitatis, sapientiæ, charitatis, mansuetudinis, modestiæ, &c. specimen exhibet: His, qui adstat, melior & ad quodvis bonum opus paratior redditur. Eph. 4. 29 Col. 4. 6 *Beati, qui stant coram te jugiter, audiunt sapientiam* 1 Reg. 10. 8 *tuam.*

tuam. Atque sic de iis, quæ tam coram omnibus quam erga omnes, præstare debet pastor. Sequuntur quæ in specie.

CAP. V.

Officia quædam specialia, quibus esse debet exemplar gregis.

1 Domui suæ benè præsit, 1 Tim. 3. 4

PRimò; in specie id quæritur, ut sit Pastor καλῶς προϊσάμενος τῆ οἴκῳ ἰδίᾳ, suæ domui benè præsit. Nam 1° impar judicandus ecclesiæ Dei (quæ & ipsius domus) gubernandæ, qui propriæ domui, quæ (ut Seneca) est *pusilla Respublica*, præesse nescit. Qui cohortis unius ducendæ inscius, haud ille integram legionem ducet; qui cymbæ in parvo lacu, aut flumine regendæ parum sufficit, non ille immensum pelagus tranare, aut navem in Oceano ad portum perducere, potis erit. 2 Quæ in familiâ pastoris contigerint σφάλματα, ea, tam sequax est vulgus, ut latiùs se diffundant, & à plebeculâ confestim in exemplum trahantur. 3° Graviorem contrahunt reatum, qui hîc labuntur; eò quòd in familiâ ejus numerantur, à quo Deus munditiem supra populares flagitat. Hinc singulari lege cautum de Sacerdotis filiâ; si scortaretur, vivi-comburio tradenda erit; cùm reliquarum tribulium filiæ, nisi sponsæ, aut nuptæ, non æquè gravi pœnâ plectendæ. Omni itaque cautelâ curet Pastor Evangelicus, ne quis suorum in scandalum Ecclesiæ erumpat, vel tale quid perpetret, ex quo nomen Dei blasphemetur.

Lev. 21. 9

tur. Cùm verò familia omnis, ſuis numeris perfecta, tribus conſtet συζυγίαις, marito & uxore, patre & liberis, domino & ſervis; patrisfamiliâs eſt hiſce omnibus præeſſe, tam præſtando quod iis debitum, quàm exigendo quod debent.

Quæ ad hanc Oeconomicam πρεσβείαν exercendam conducunt, ea vel toti familiæ debentur, vel ſingulis ſeorſim. Quæ toti familiæ debet paterfamiliâs, hæc ſunt; 1° Præſit familiæ in cultu Dei domeſtico, tum pro iis preces fundendo, tum ex Scripturis, operibus, judiciiſque Dei inſtituendo. *Præcepturus eſt filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Jehovæ. Ego & familia mea colemus Jehovam.* 2° Suos omnes, quoad ejus fieri poteſt, ad Eccleſiæ publicos cœtus adducat, ab iiſdémque rationem repoſcat, quomodo profecerint. Patrifamiliâs præcipitur, ut quicunque ſub ejus ditione ſanctè celebrent Diem Dominicum. 3° Ut cibo, veſtimentis, quieti, omnium qui ſub tecto, providè & ſalubriter conſulat. *Lætaberis de omni bono quod dederit tibi Jehova Deus tuus, & familiæ tuæ. Siquis ſuis, & maximè domeſticis, non providet, fidem abnegavit, & infideli deterior.* 4° Siquis in familiâ deliquerit, diſciplinam & ſapienter & patienter exerceat. Peccantem, ſi ſpes eſt eum ad bonam frugem rediturum, pro naturâ delicti, vel admoneat, vel caſtiget: ſin, adhibitis quibuſcunque remediis, nihilo emendatior; ſi ſervus, è familiâ ſuo tempore ejiciendus; ſi filius, magiſtratûs auxilium implorandum.

Ut Paterfamiliâs.

Gen. 18. 19 Joſ. 24. 15

Exod. 20. 10

Deut. 26. 11 1 Tim. 5. 8

Gen. Deuter.

Quæ ſingulis debet Paterfamiliâs. Primò, Ut maritus; 1° Uxorem amet & amplexetur, ut ſociam ſibi in Domino adjunctam, idque in ejus

Ut maritus

Prov.5.19 Eph.5.25 ejus adjutorium. *Sit uxor tibi ut cerva amicissima, & rupicapræ gratiosa, ubera ipsius ubercnt te omni tempore, et in amore ipsius errato jugiter.* Amor hîc pellat omnem *amærulentiam.* 2 Quâ

Col.3.19 1 Pet.3.7 infirmam viderit, prudenter toleret. *Viri habitent simul, secundum Dei notitiam, mulieri, ut vasi infirmiori, honorem tribuentes.* Multas ineptias, ut sexui quas condonat prudens, devorat maritus. Caveat interim ne suâ indulgentiâ foveat. 3

Esth.1.22 Prov.2.17 1 Tim.2.12 Quod suum est retineat; ex Persico edicto, *sit Domûs suæ dominator.* Sit *dux adolescentiæ* uxoris. *Mulieri non permitto, ut usurpet authoritatem in virum.*

Ut Pater Ephes.6.4 2 Ut Pater; 1 Liberis prospiciat, à teneris unguiculis educentur piè. 2 In iis formandis fingendísque, tum sævitia, tum indulgentia vitentur.

Col.3.20 Prov. 22. 23 *Patres ne irritate liberos vestros, ne despondeant animum. Ne subtrahas à puero castigationem; cùm percusseris eum virgâ, non morietur: tu virgâ percuties eum, et animam ejus à sepulchro liberabis.* 3 Quamprimum specimen dedêre, quibus dotibus imbuti, & quò naturali impetu propendent, vocationi legitimæ destinentur.

Prov.22.6 *Instrue virum pro ratione viæ suæ.* sic Dan.1.

Ut Dominus 3 Ut Dominus; 1 Servos, aut qui verè religiosi, aut qui Religionis exercitiis se subjiciant, & sine scandalo vivant, in familiam cooptet.

psal.101.6 Act.10.7 *Ambulans viâ integrâ, is ministrabit mihi* Cornelius *vocavit mi item pium.* 2 Operas & servitia, quibus pares sunt, non quæ vires vel animi vel corporis superant, exigat.

Prov.12.9 2 Thes.3.10 *Curat justus vitam jumenti sui.* Nec, è contrà, otio segnescere patiatur. 3 Fidem, diligentiam, operam eorum, debitam solvendo mercedem, remuneret.

Col.4.1 *Domini jus et æquum præstate servis,* &c. Adeóque,

que, quorum in negotiis curandis eminet, præ cæteris, assidua & fida sedulitas, eos ultra quod pacti sumus compensemus; illis promovendis operam demus. *Qui observat dominum suum, honorabitur.* Prov. 27. 18. Atque hæc illa ars Oeconomica, brevi descripta, quam, ut gregi exemplar sit, semper in oculis ferre debet bonus pastor. Hanc qui negligentiùs curârunt, eos acerrimâ vindictâ ultus est Deus; ut testatur funesta illa, quâ pessundata domus Eli, clades. Mosi, negligenti quod suum erat, intempestivè filium circumcidendo, tam graviter succensuit Deus, ut parùm abfuerit, quin in diversorio morte perierit. 1 Sam. 2.

Secundò, sit, in specie, pastor Evangelicus, φιλόξενος, hospitio deditus. 2 Sit Hospitalis. Jam olim sæviente in Ecclesiam tyrannorum rabie, apprimè necessaria fuit hæc in pauperes, ob Christi nomen exulantes, benignitas. Periculum enim erat, ne, cùm ab infidelibus abigerentur, si nihil solatii apud suos reperissent, mole calamitatum oppressi, animos desponderent. Quamprimum verò deferbuit ille persecutionum æstus, utcunque summè laudanda sit hæc philoxenia, non tamen tanti usûs erat. Id duntaxat vi hujus præcepti vult Sp. Sanctus. 1° Ut, qui, Christi causâ, iniqua perpetiuntur, & ad nos tanquam ad asylum confugiunt, eos, quâ par est humanitate, hospitio excipiamus. *Qui fratrem exulantem propter verbum excipit, deum in tali fratre excipit*, Luth. in Genes. 19. 2° Ut, qui non vitio suo, sed Dei flagellis, vel temporum iniquitate, ad extremam inopiam redacti sunt; iis, quoad suppetit facultas, succurramus. *Benedictio pereuntis veniebat super me.* Job. 29. 13. 3° Ut pauperibus qui in vicinia positi sunt, nec victui con-

quirendo pares, pro modulo noſtro benefaciamus, eos cibando, veſtiendo, quocunque modo ſublevando. *Cultus hic ſanctus eſt coram Deo, inviſere orphanos & viduas in afflictione ipſarum.* Jam. 1. 27 Non enim id ſolùm requiritur, ut animos paſcat quâ doctor, ſed & corpora quâ hoſpitalis. Chriſtus ipſe, qui non habuit quo caput reclinaret, tamen in pauperes benignior fuit.

3. Sit bonorum amator.

Tertiò; ſit φιλάγαθος, bonorum intimus amator. Hic acri examine opus erit, ut ſincerè bonos, a larvatis hypocritis, dignoſcamus. Quos ſine fuco bonos comperiemus, 1. Præ aliis eos æſtimemus. *Qui integro corde, timentes Jehovam, honorat, &c.* Pſal. 15. 2. Iis inprimis, ſi cætera ſint paria, manum porrigat auxiliatricem. Gal. 6. 3. Illorum conſortio inprimis gaudeat. *Oblectatio mea tota eſt in ſanctis.* Pſal. 16. Φιλάγαθον fuiſſe Apoſtolum Paulum, teſtantur inprimis frequentes illæ ſalutationes amoris plenæ, quas ſingulis fere epiſtolis apponit. Bonorum numerum facilè duplicabit paſtor, ſi eatenus duntaxat ſe ab eo impendiò amari ſentient, qui ſunt de grege, quâ reliquis in pietate meliores fecêre progreſſus. Indignum illud paſtorum genus, qui, quò quis reliquis pietate & vitæ ſanctimoniâ antecellit, ita dictis aculeatis eos vexant magis, in eos amarulentè invehuntur, in ſinu gaudent ſi iis quovis modo creare moleſtias poſſint. Quid hoc aliud eſt, quàm, cum Pſeudoprophetis, *contriſtare animum juſti falsò, & confirmare manus improbi, ut non revertatur a viâ ſuâ peſſimâ?* Ezek. 13. 22 Tales prophetæ, *in deſcriptione domûs Iſrael, non conſcribentur; Ecce me contra illos, ait Jehova.* vers. 8, 9. Atque ſic de bonis, ſive in genere, ſive in ſpecie, quæ alios reſpiciunt, vel Deum, vel homines. Nunc, de iis quæ à paſtore ſui causâ deſiderantur.

CAP.

Cap. VI.

Officia quæ Pastori incumbunt quoad seipsum.

PRimò, id quæritur, ut sit Σώφρων, sobrius, temperans. Sic erit, 1. Si affectibus in genere, ne mentis repagula perrumpant, terminum ponat. Hoc est τὸ πάθος νεκρῶσαι. Mens verò recta duplicem affectibus ponit terminum. 1. Dirigit ad objecta circa quæ Deus primitùs versari voluit; revocat ab iis, quæ prohibuit. 2. Modum statuit ne in iis, circa quæ fas est versari, limites quos præfixit Deus, transiliant. 1. Cùm circa bona vel mala, quæ hujus vitæ duntaxat sunt, animus toto impetu intenditur. Jussit Deus, ut in his doleamus, in illis gaudeamus, ut hæc aversemur, ut illa, veluti uxorem, liberos, amemus, & modum præscripsit. *Qui habent uxores, sint ut non habentes; qui flent, ut non flentes, &c.* 2. Cùm intempestivè exprimuntur: habent suas vicissitudines res adversæ & secundæ, est tempus quando Deus cœlitùs vocat ad luctum, est tempus quando ad piè exsultandum invitat. 3. Cùm indecorè indicantur; ut amor parentum erga liberos, luctus & dolor, cùm ejusmodi se exprimit gestibus, qui haud decent Christianum, sic de gaudio, de irâ, &c. nec enim potest affectus esse omnimodo licitus, cùm modus, quo se exserit, est illicitus.

Sit 1. Temperans. 1 Tim. 3. Col. 3. 5.

1 Cor. 7. 29

Ezra 8. 10

2. Σώφρων erit pastor, si appetitum sensitivum in ordinem cogat: hoc est, si id curet, ut

rectæ rationi ſubjiciatur; ſi id ei imponat, ut à rectâ ratione leges accipiat, in victu, apparatu domeſtico, cultu, licitis quibuſcunque obſtamentis. Hoc eſt τῷ κόσμῳ σεσταυρῶμενον εἶναι. Talis ſit Miniſter Verbi, 1. Quia id ei incumbit munus, ut alios, qui affectibus ſuis habenas laxârunt, eos ad meliorem frugem reducat. Fruſtra autem aliis temperantiæ leges ſuggerit, qui ipſe animi ſui motus effrænatos haud compeſcere potis eſt. Nulla occurrit, alios in ordinem cogendi, commodior ratio, quàm ſi paſtor bonus omnem hujus ſeculi pompam, & carnis delicias, quibus illi indulgent, neglectui habeat. Elias, & poſt eum reliqui prophetæ, quorum illud officium erat, ut, deploratiſſimis illis temporibus, homines jugiter ad pœnitentiam excitarent, piloſo amictu eapropter utebantur, ut ſuum mundi contemptum omnibus teſtatum facerent. Perinde & Johannis Baptiſtæ (utcunque, quæ ut extraordinaria perſona fecit, non in exemplum trahenda) vita, amictus & menſa parùm opipara, à nobis in victu cultúque temperantiam flagitant. Utcunque enim nulla in his ponenda religio, cuivis tamen ordini ſuus conſtitutus eſt modus. *Qui molles veſtes gerunt, ſunt in domibus regum.* Nitor ille aulicorum, qui ſplendido ornatu refulgent, nec non lautitiæ, quibus immoderatè ſe oblectant alii, reſipiſcentiæ præconem haud decent. Id ejus, ſc. cum apoſtolo, *corpus ſuum ὑπωπιάζειν, καὶ δουλαγωγεῖν, ne quo modo, cùm aliis prædicârit, ipſe rejectaneus fiat*, 1 Cor. 9. ult. Hinc priſca Eccleſia ſacris Canonibus ſanxit, ne Clerici ſplendidis aut ſericis veſtibus uterentur, ne unguenta redolerent, ne vacarent venationibus, ne teſſeris luderent, ut tria tantùm fercula in con-

Gal. 6. 18.

Mat. 11. 8.

conviviis haberent. Vanitates veſtium, & luxus gemmarum, auri, argenti nimia pompa, Eccleſiaſticis interdicta fuere, Synodo ab Imperatore congregatâ, ann. Dom. 830. Celebre illud Auguſtini, quod memoratur in Concil. Aquiſgran. cap. 113. *Fateor vobis, mei fratres, de pretioſâ veſte erubeſco, quia non decet hanc profeſſionem.* Scitè Bernardus, ſerm. Ecce reliquimus omnia, &c. *Vivat de altari, non ſuperbiat, non luxurietur.* & idem alicubi; *Exterior ſuperfluitas, interioris judicium; & mollia veſtimenta, animi mollitiem arguunt. Audacter dixerim*, ait Simon de Caſſiâ, *quòd neque in miraculis, in expulſione dæmonum, in donatione ſanitatum, in ſuſcitatione mortuorum, Apoſtoli ſeculo ita mirabiles apparuerunt, ſicut in contemptu rerum: in hoc ſolo perampliùs cogniti fuerunt eſſe divini, Chriſtiferi, cœleſtes; & creatum fuit eſſe aliam vitam, quòd iſtam verbis & moribus deſpexerint.* Optimè Gerſon Tom. 2. tract. de Temper. Prælatorum, &c. *Ubi vident ruſtici, Paſtores in otio ſplendidè converſari, ſeipſos aut egenos aut pannoſos laboribus jugibus atteri, remurmurant, invident, detrahunt: quos, ſi viderent in humilitate ſe gerentes, amarent, &, eorum aſpectu, animi æquiores fierent pauperiem tolerare.* Et paulò poſt; *Plus ſcandalizabat pompa clericorum ipſos Laicos, tam principes quàm alios, quàm ædificat; plùs ad indignationem, & murmur, & invidiam eos concitat, quàm ad amorem; & plus auget in iis avaritiam, & ſuperbiam, quàm extinguit.* Hæc ille & plura. Qui alios igitur ab illicitis vindicare cupiunt, neceſſe eſt ut ipſi quandoque à licitis abſtineant. 2. Propterea affectibus moderandum viro Dei, ut judicium ſartum rectum conſer-

In Corp. Evang.

ver. Siquando enim affectus extra oleas (quod aiunt) vagentur, turbidi fiunt, rectam rationem quasi ex arce deturbant. Compertum id, quos à fide abducit Diabolus, eorum affectus perturbat, ac per eos cùm oculum animi occæcavit, in errores quoscunque præcipites pertrahit. Qui itaque *παθη* hæc, i. e. motus animi inordinatos, ne arcem animi invadant, cohibent, illi præ cæteris judicio pollent, ab orthodoxâ fide non ita facilè dimoventur.

2. Castus. Tit. 1. 8. 1 Tim. 4. 12. 1 Tim. 3. Secundò, sit Ἐγκρατὴς, sit exemplar in castitate. Sit *unius*, & non nisi unius, *uxoris* vir. Castitatem in eo testetur, quòd non, quæ tum obtinebat, polygamiam consectetur. Ejusmodi erit. 1. Si, cùm cœlebs fuerit, liber erit ab illis ustionibus, 1 *Cor.* 7. 2. tum autem liber non est, cùm impuræ cogitationes tanto impetu támque confertim animum invadunt, ut Deum invocare pacatâ conscientiâ non possit. Ejusmodi autem inquietudo, quæ & cultum Dei impedit, & conscientiæ pacem perturbat, nec precibus & jejuniis sedari potest, illa ustio est, quæ 1 Thes. 4. non nisi matrimonio extingui potest. 2. Continens erit, sive cœlebs sive conjugatus, *si vas suum in sanctificatione & honore, non in morbo cupiditatis, possideat.* Morbus cupiditatis est inexplebilis carnis libido, quæ non satiatur. Vas suum in honore possidet, qui carnis titillationibus, & Satanæ injectis tentationibus, abigendis, totus incumbit; qui, cùm conjugatus fuerit, matrimonio utitur, ut remedio adversus scortationem, non ut libidinis incitandæ flabello. 1 Tim. 4. 3. Moderationem suadet Apostolus, sicut in cibis, sic in consuetudine cum uxore, voce μεταλήψεως. 3. Castitatis exemplar erit, si omnem caveat cum fœminis indecoram familiaritatem, omnem

cum

cum illis conversationem, quæ justè pravæ suspicionis causam ministret; siquæ in animum subrepunt cogitationes impuræ dum eas alloquitur, illico amander. Denique, si castitas spiritûs se diffundat in totam vitæ consuetudinem, viz. oculos, aures, tactus, gestus, sermones &c. juxta illud Nazianzeni. 1 Tim. 5.

Virgo sis oculis, sis ore, atque auribus ipsis
Virgo, nam tribus his facile est discedere recto.

Castitati studeat inprimis pastor, 1° Quia spiritus Dei dedignatur in corde, ut in templo suo, commorari, quod Veneri consecratur. 2° Quia ubi animum invasêre ejusmodi libidinis pruritus, omnem animi vim ad se rapiunt. 3° Quia omnium gravissimè famam ejus vulnerat hujus mali species, vel levior suspicio. 2 Cor. 6.

Tertiò, sit Κόσμιος, Decorus: non negligat τὸ πρέπον, in dictis, factis, gestu, ornatu. Eo nomine necessaria est hæc virtus, quòd honestas & pias actiones ornat & etiam Ethnicis amabiles reddit. E contrà, quæ ritè dicta & facta, ubi nulla de eo quod convenit cura, plurimùm de suo splendore & pulchritudine amittunt. Peccant in hanc κοσμίαν, 1° Qui τὸ ἐν καλαστήμασι ἱερογρεπὲς negligunt, tersi & elegantuli concionatores: hi, ac si comptiores esse mallent, quàm doctiores, muliebrem consectantur nitorem. His, ut ait Seneca de quibusdam, *qui mallent rempublicam, quàm comam suam turbari*, apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium veniunt; maximè hæc cultûs cura haud convenit ei, quæ in pastore requiritur, gravitati. 2° Qui ætati suæ quod conveniat, haud prospicientes, multa effutiunt indecora. Alia de- 3. Decorus. 1 Tim. 3.

cent venerandam canitiem, alia juveniles annos. *Minimus ſum ætate, vos autem decrepiti, ideóque veritus ſum ac timui oſtendere ſententiam meam vobis, dicebam, Provecti ætate loquantur &c.* ſic Horatius in arte Poeticâ.

Job. 32. 6.

Intererit multum — loquatur
Maturúſne ſenex, an adhuc florente juventâ
Fervidus, &c.

3. Impingunt in decori legem, qui, cùm varias donorum menſuras, quibus diſcriminavit Deus homines largitor ſummus, non animadvertunt, ſupra id quod decet in ſe ſuſcipiant. *Si quid alteri revelatum fuerit aſſidenti, prior taceat.* Atque ſic de donis quibus paſtorem inſignem voluit Sp. ſanctus. Sequitur ut quæ mala præ aliis defugiat oportet, recenſeamus.

1 Cor. 14. 30

CAP. VII.

Mala, quæ Paſtori vitanda.

1. Avaritia. 1 Tim 3. 3 & cap. 6.

MAla illa, quæ paſtorem inprimis dedecorant, ſunt, 1° Φιλαργυρία. Epiſcopus debet eſſe ἀφιλάργυρος. *Tu verò, ô homo Dei, iſta fuge.* Videndum hîc 1° quid Φιλαργυρία, 2° Quare vitanda paſtori.

Quid eſt.

Φιλάργυρία eſt, quâ quis inordinate afficitur circa hujus vitæ bona, & pecuniam inprimis. Exerçetur autem vel quærendo, vel fruendo.

Quærendo, 1. Cùm intenſiori affectu fertur ad di-

ad divitias congerendas, nonniſi remiſſo affectu ad ſpiritualia. Gradus autem affectuum intenſus vel remiſſus exprimitur, vel deſideriis, prout ardentiora, aut languida; vel conatibus, prout impetuoſi, aut ſegniores; prout ægrè, vel facilè ferimus, ſi à ſpe decidamus; in colloquiis, prout hæc animum afficiunt, illa nullatenus movent. Secus ſemper fuit cum illis qui φιλάργυροι, qui toto niſu, deſideriis ardentiſſimis ad ſpiritualia anhelârunt, ſic David; ea ſemper ſummo in pretio habuêre. 2° Quærendo, Cùm quis mediis illicitis opes accumulat; ut 1° diſpendio bonæ famæ; ſic qui contractibus uſurariis pecunias corradunt, qui ſordidâ parſimoniâ diteſcunt. 2° Injuriâ proximi; ut auferendo quod ejus eſt, ei damnum inferendo, exigendo ultra quod debitum. 3° Gloriæ Dei detrimento; ut cùm vel nomen Dei blaſphematur, vel Evangelium malè audit, eò quòd vi, vel fraude rem noſtram augemus. Hic eſt διαχειρός. Pſalm. 4. 8. Pſalm. 73. & 119.

2. Exercetur fruendo, 1° Cum quis tenaciùs, quàm par eſt, ſua retinet; ut, ſi non det, mutuetur, expendat, quando & quibus oportet. Maximâ hîc opus eſt prudentiâ, ut advertamus, & quouſque facultas ſuppetit, & quando aliorum neceſſitas flagitat. 2° Si quis fiduciam, & ſpem, in divitiis collocet. *Si poſui in auro ſpem meam, aut infigni auro dixi, Fiducia mea.* Tum verò in divitiis ſpem noſtram reponimus, ſi, quando nobis mala vel cogitando obverſantur, nos non ad nomen Jehovæ in promiſſis, ſed ad id quod manu quæſivimus, toto animo recurrimus. 3° Siquis in iis, cum neglectu ſpiritualium, ſe oblectet. *Ne glorietur ſapiens in ſapientiâ ſuâ, neque dives in divitiis ſuis; ſed, qui gloriatur, glorietur ſe cognoſcere me, &c.* Job. 31. 24. Prov. 9. Jer. 9. 23.

Secun-

Secundò videndum, quare φιλαργυρία hæc paſtori vitanda. 1° Quòd inidoneum reddit qui alios ad ea quæ ſurſum quærenda attollat, cùm interim ipſe glebæ affixus adhæreat. Medicus ulceribus ſcatens, haud idoneus aliis curandis. Ezek. 13. 19. 2° Quòd qui φιλάργυρος, ſpe lucelli inductus, verbum Dei cauponabitur. *Profanatis me apud populum pro pugillis hordei*, &c. *Per avaritiam, fictis ſermonibus vos negotiabuntur.* 2Pet. 2. 3. 3. Qui ad rem attentior, is, variis lucrandi artibus abreptus, præ aliis tandem impar evadit gregi curando. 4. Quòd miniſterio ejus, præ aliis, maximo ſolet eſſe præjudicio, ubi obtinet amor nummi. Hinc ſancti Dei viri ſeduló id agunt, ut, ab hoc vitio ſe immunes fuiſſe, omnibus fidem faciant. *Ne aſinum quidem ullius ex iis uſurpavi, neque malo affeci ullum ex iis*, &c. *Cujus bovem acceperim*, &c. *Argentum, vel aurum, vel veſtem nullius concupivi:* In quem locum Calvinus ſic; *Nemo probus Dei miniſter, quin idem (ſi ſc. cum bonâ famâ vel gloriâ Dei conferatur) pecuniæ contemptor.* Idem Paulus; *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* 5. Quòd, *qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes, damnoſas, αἵτινες βυθίζουσι τὺς ἀνθρώπους.* Quemodo hîc cecidêrunt robuſti! Num. 16. 15. 1Sam. 12. 3. Act. 20. 33. 2Cor. 12. 14. 1. Tim. 6. 9. 2. Ambitio.

Secundum illud quod in paſtore turpe, eſt φιλοτιμία, i. e. ambitio. Videndum 1. Quid. 2. Quæ huic occaſionem dedêre. 3 Quare miniſtro verbi indigna. Quid eſt.

Ambitio eſt inordinatus appetitus honoris. Ordinem verò tranſgreditur appetitus, 1. Cùm ardentiùs, quàm par eſt, fertur ad dignitates (quas vocant) obtinendas. Sic eſt, quando animus non acquieſcit in illâ, quæ à Deo conceſſa Johan. ep. 3

eſt,

est, honoris sorte; verùm ad altiorem dignitatis locum festinabundus properat. Vitium hoc Diotrephis, qui propterea φιλοπρωτεύειν dicitur. Contrà verò Apostolus; *Ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.* 2. Cùm quis mediis illicitis viam sibi ad honorem acquirendum muniat. Appetitus, qui, quâ decet moderatione, est temperatus, non nisi licitis mediis se exserit. Media illicita, sunt obsequia, sordida servitia, nundinationes, ἐτεροδιδασκαλίαι, &c. Bilhamo hi haud dissimiles, qui, Balaki promissis pellectus, populum Israelis, nisi illum Deus inhibuisset, exilio devoverat. *Valdè cumulabo te honore, & quicquid edixeris mihi, efficiam.* 3. Cùm neque in Dei gloriam, neque in populi profectum, sed in ambientis duntaxat excellentiam, dirigitur appetitus. Honor non est nostri causâ expetendus, sed, ut occasio sit, quâ aliis prosimus; Deum, donorum quæ contulit usu, glorificemus magis. Sic Calvinus in 2 *Cor.* 13. 7. Famam curet pastor, quantum publicæ utilitatis interesse viderit; negligere paratus sit, quoties licuerit absque publico incommodo. Vitium illud Doctorum apud Philip. cap. 2. ver. 21. *Omnes, quæ sua ipsorum sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi.* 4. Cùm honor, supra id quod meritis debitum, desideratur. Ejusmodi qui honorem, quem non commeruêre, appetunt; testimonium, de excellentiâ quam non habent, quærunt; atque, qui indignis honorem deferunt, falsum de iis testimonium dicunt. *Est malum, quod vidi, sub sole; — poni sc. ipsam stoliditatem in dignitatibus celsis, &c.*

Phil. 4. 11.

2 Pet. 2. 16.

Numb. 22. 17

Dicendum 2; Quæ huic in Ecclesiâ occasionem dedêre mala. Primum illud, quod ambi-

Quæ occasione orta.

tioni

tioni quasi fomentum, erat, abusus ille, quo fiebat, ut Ecclesiastica ministeria, non hominibus, qui muneri fungendo idonei, demanda-ta sunt; sed, ut præmia. Ut quisque gratiâ pol-lebat, ita in eum, ampliori mensurâ, benefi-cia accumulabantur. *Sicut, primis Ecclesiæ tem-poribus, personæ, quæ Ecclesiæ necessitati inser-virent, eligebantur; sic, decursu temporis, gra-dus dignitatis, sive emolumentum, personæ qua-litati fuêre adaptata.* ut author Histor. Concil. Trid. refert. Irrepsit in Ecclesiam hic abusus, circa annum Domini 700. *Hinc eò res rediit, quòd, pro dignitate personæ, unus tenebat ducen-ta, alter trecenta beneficia*; ut memorat, in tractatu de defectibus Ecclesiasticis, Gerson. Et Nicolaus Clemangis tract. de corrupto Eccl. siæ statu. *Quantæ*, inquit, *illud aviditatis est, quòd non duo, vel tria, decem, vel viginti, sed cen-tena, & ducenta, & interdum ad quadringenta, vel quingenta aut amplius unus possidet.* Secun-dum, quod inexplebili huic hirudini viam fecit, fuit graduum in Ecclesiâ multiplicatio; nec non, quæ iis annexa fuêre, privilegia; principatus, reditus ampliſſimi. Hæc Ecclesiasticorum appe-titum sic exacuêre, ut dies noctésque in illud unum incumberent, quomodo ad culmen di-gnitatis pervenirent. Salsè hoc hominum genus perstringit Bern. Festina multiplicare præben-das, inde ad Archidiaconatum evola, demum aspira ad Episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus, quia sic itur ad astra. Quò progre-deris miser? Quamdiu enim Ecclesiæ minis-teria suam primævam retinuêre simplicitatem, spreta à magnatibus jacuêre, non ea obiêrunt, nisi qui zelo Dei in animarum salute curandâ, ducebantur; postquam verò splendidis palatiis, patri-

Serm. Ecce reliqui omnia.

patrimonio admodum opimo, pompâ mundanâ quasi coruscabunt, quisque ea prensabat, non tam, ut gregem curaret, quàm, ut haberet unde luxuriaretur, unde ditesceret. Illo seculo increbuit vox illa, Mater peperit filiam, & filia devoravit matrem. Quò enim ditior Ecclesia evasit, eò omni qualicunque sive in doctrinâ, sive in moribus, deformitate referta magis.

Ultimò illud ostendendum, quòd hæc φιλοτιμία pastorem inprimis deturpat, eóque indigna maximè. 1. Quia mala illa, quæ omnium gravissimè ecclesiam infestârunt, ab hâc pervenerunt. Qui enim hujus veluti œstro perciti, annon quæcunque Dei præcepta sub pedibus conculcavêre, per fas & nefas viam sibi fecêre? Ecclesiasticorum ambitio annon Davus ille est, qui perturbat omnia? Si quæ alia, hæc (ut verè Bern.) est tinea sanctitatis, pestis Ecclesiæ; Cui ut inservirent, naufragium tam fidei, quàm bonæ conscientiæ, fecêre, qui doctissimi, qui optimæ spei fuêre. Annon hæc viam pandebat in Ecclesiâ Antichristo illi, qui nunc effert se supra πᾶν τὸ σέβασμα; Quis Lernam malorum, quæ ab hâc in Ecclesiam devenêre, recognoscere potest? Quis tot coruscantes stellas, quæ hujus culpâ è cœlo cecidêre, animo revolvere potest? & non exsecrari & quasi anathemate ferre hanc ὑπλοφρονίαν; Maximè omnium, servum est pecus, hoc genus hominum, quorum gloria in obsequio; non enim amare & odisse, solùm ad arbitriũ alterius; sed & sententiam mutare, quoties Mecænatibus suis libuerit, iis religio est. Cur vitanda.

2. Vitium hoc unum illum in quo obtinet, mundi, & ejus quod in mundo, i. vitæ superbiæ, fascino dementatum clarè evincit. Nulla autem tentatio fortiùs constringit homines, sive à Deo

1 Joh. 2. 15 Deus ſejungit magis, quàm amor mundi. *Qui diligit mundum, charitas patris non eſt in eo: Amicitia mundi, inimicitia eſt adverſus Deum;* Jacob. 4. 4 *Quicunque igitur voluerit amicus eſſe mundi, inimicus Dei conſtituitur.* Hinc eſt quòd tam ſeverè Deus per Jeremiam corripuit Baruch, Jer. 45. *Et tu quæreres tibi res magnas? ne quærito.* Et Dominus Jeſus contentionem de hoc, quis Apoſtolorum eſſet maximus, gravi objurgatione corripuit. Luc. 22. 6, —— *Vos autem non ſic; ſed qui maximus inter vos, eſto ſicut qui minimus.*

3 Pſeudoprophetæ hoc veluti ſtigmate nobis innoteſcunt, quòd animos honoribus inhiantes habuere: ſic Bilhamus, Iſa. 56. 3 *Quòd ad viam ſuam ſe convertant.* Quòd *ament primos accubitus in cœnis, & primos conſeſſus in conventibus, & in foro* Mat. 23. 7 *ſalutationes, & vocari ab hominibus, Rabbi, Rabbi.* Sic Simon Magus, illud de ſe credi voluit, quòd erat μέγας τις. Act. 8. Acerrimas, eáſque ſanguinolentas contentiones ſæpiùs de πρωτοκαθεδρίαις inter Pontificios ortas, perhibent hiſtoriæ; ut inter Cardinalem, & Archiepiſcopum, ut refert Hollingſhed: in hiſtoriâ Scotiæ *pag.* 332. Sic inter Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Eboracenſem; ut Foxus in Martyrol. Sic inter prælatos, qui Imperatori in ſacris adfuêre, orta eſt contentio, non ſine ſanguine in Eccleſiâ effuſo, eò quòd convenire haud poterant, quis Imperatori proximus aſſideret. Matth. Par. in Stephan.

3. Bibacitas. Tertium illud, quod miniſtro Dei inprimis dedecori, eſt, πάροινία. Epiſcopus non debet eſſe πάροινος, i.e. vinoſus, vel qui vino aſſideat, vel qui potui inebrianti indulgeat. 1 Tim. 3

Quare vitanda. Nam 1. Ille vigor mentis & judicii acies, quâ in internos ſacrorum Dei receſſus penetramus,

mus, abstemiâ in victu, sobrietate, plurimùm confirmatur. Hinc Leviticis sacerdotibus, cùm vicariam sacris peragendis operam locarent, omnem vini usum sub capitali pœnâ prohibuit Deus. Illâ ad tempus abstinentiâ, admonitos voluit, ut deinceps sobrietati operam darent. Vini enim potûsque ingurgitatio, quàm illam omnem masculam ingenii vim, mentis robur, memoriæ tenacitatem enervat & inprimis debilitat! 2. Vitium hoc in illorum numero est, quæ (ut loquitur schola) maximæ adhærentiæ. Ἀνόλασος in hoc genere, rarò μεταμελητικός. *Quando expergiscar, pergam, requiram illud amplius. Vinum & mustum intercipit mentem*; sc. homines ex cordes reddit, ut qui omnium difficillimè curantur. Quis non omni solicitudine ab hoc caveret malo, quo, si semel irretitus, periculum ne unquam se expediat? 3. Pseudoprophetæ, ut huic vitio inprimis dediti, designantur. *Venite*, inquit, *sumam vinum, & nos ingurgitabimus potu inebriante, erítque similis hùic dies crastinus, imò major, excellentior valdè.* Justum id apud Deum, ut eos vertigine erroris dementet, quorum indoles vivacior migravit in vappam. Hoc cum viderent prisci, Canonibus cautum voluêre, ne Ecclesiastici ordinis quicunque tabernas, nisi necessitate compulsi, ingrediantur. Julianus item ille Apostata, cùm sobrietate victûs in sacerdotibus Christianam fidem admodum crevisse perspexit; Arsatio, Galatiæ archiflamini, præcepit, ut sacerdotes suos adjuraret, μὴ ἐν καπηλείῳ πίνειν, qui morem non gereret, dignitate sacerdotali deponeretur. Quin igitur, vel Juliano suffragante, à sacrâ hâc cathedrâ semoveantur illa κακὰ ἤθεια, γαστρὸς ἔργα, Ecclesiæ καρκινώματα, hominum verè

Lev. 10. 10, 11.

Pro. 23. 35 Hos. 4. 11

Conc. Laod. cap. 54. Concil. Carth. 3. Synodus Tyronens. 3. sub Caro. Mag.

verè abdomina, qui in cœnopoliis indies pergræcantur, in popinis cum hominibus vanis sedent. Annon illud prophetæ κατ' ἐξοχὴν illis convenit? *Væ surgentibus summo manè, ut potum inebriantem consectentur, prorogantibus ad crepusculum usque, &c.* Quàm isthoc pecuinum hominum genus, coram Deo & Ecclesiâ fœtet! Sacra Dei ludibrio exponunt, nec non, quantum in ipsis, faciunt ut homines cultum Dei abominentur, ipsis denique in diem vindictæ judicium thesaurizant.

Isa. 5.

CAP. VIII.

Alia Mala, quæ Pastori vitanda.

4. Κενοδοξία. Ioh. 8. 50 cap. 7. 18. 1 Thes. 2. 6.

QUartum quod pastori defugiendum, est κενοδοξία. *Ego non quæro gloriam meam; qui quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic est verax, &c. Non ex hominibus quæsivimus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis.*

Quid est.

Dicendum primò, quid sit κενοδοξία. Est inordinata animi elatio, quâ quis sua omnia dicta, facta, &c. ad propriam laudem, ut primarium & ultimum finem, refert. Dei unius gloriam, & proximi salutem, oportet in oculis ferre, ut ultimum ad quem collimamus scopum. Interim, nihil impedit, quin quis laudem illam justam, quæ sequitur ex benefactis, & appetere, & accipere, licitè possit, modò in debitum finem referat; ut, vel inde Deus glorificetur, vel homines aliquid capiant emolumenti.

Mat. 5. 16 Phil. 4.

2 Videndum, quomodo se solet exserere hæc inanis gloria. 1. Cùm quis gloriam aucupatur vel ex eo quod non habet, vel ex eo quod non est revera laude dignum. Ex eo quod non habet; sic Thrasones, qui dicuntur ἀλαζονες. Vel ex eo quod non laudabile; ut qui laudem captat, inter concionandum, ex verborum fuco meretricio, quem Apostolus vocat *persuasoria humanæ sapientiæ verba.* 2. Cùm gloriam quærit, & ex eo quod habet, & ex eo quod laude dignum, viz. ex ingenii acumine, memoriæ tenacitate, variæ lectionis ostentatione, solidâ doctrinæ confirmatione, dextrâ ejusdem applicatione, &c. peccat verò, quòd omnia terminantur in propriâ laude, non vel populi ædificatio, vel gloria Dei; ei cordi est, ut scopus primarius. 3. Cùm quis haud tempestivè, nec cum debito aliorum respectu, sua manifestat bona. Intempestivè sua effundit bona, cui non comperta vocatio. Debitum aliorum respectum negligit, qui nullam habet circumstantiarum, ut loci, temporis, personarum, rationem. 4. Cùm aliis quis detrahit, ut sua magis emineat laus; ut illi tanquam primipili dominentur. Sunt qui aliorum vestes conspurcant, ut suæ magis nitidæ videantur. Quomodo se exserit. 1 Cor. 2. 1

3. Quare à pastore fugienda, dicendum. 1. Quia ministrum eâ mercede, quam aliter à Deo reportaret, spoliat. Mat. 6. 2. *Amen dico vobis, mercedem suam retulêrunt.* Quis coronam illam amarantinam, ventosis ramusculis commutârit? 2. Quia, quæ huic adversatur, ἁπλότης, animum singulari gaudio perfundit, etiam cùm ab hominibus obtrectemur. *Gloriatio nostra, quòd cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, ——versati simus in mundo, plurimùm autem apud vos:* non, quòd verbum Quare fugienda. 2 Cor. 1. 12

dispensavimus, sed, quòd corde sincero. 3. Quia malum hoc nos summæ in Deum perfidiæ reos peragit; gloriam enim, quam se alteri non daturum juravit Deus, ei suffuramur. *Fidelis revera famulus es*, ait Bern. *si de multâ gloriâ Domini tui etsi non exeunte de te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat.* In mentem veniat vindicta illa quam subitò exercuit Deus in Herodem, qui quòd gloriam non retulit Deo σκωληκόβρωτος erat. Sumus nos, in donis quæ contulit Deus, non nisi ut fenestra, quâ lux in domum intromittitur: num fenestra gloriabitur de luce, quæ non à fenestra, sed a sole? Elegantèr Prosper de Vitâ contemplat:

Act. 12.

Lib. 3. c. 14. *Quamvis doctores in Ecclesia ornatè copioséque differant; tamen, si docendi officium, voluntate placendi, magis quàm consulendi charitate, suscipiant; non, ut alios doceant, sed, ut se doctos ostendant; nec profectum, sed plausum, à suis quærunt, &c. si, supercilio vanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiant laudari, quàm fieri; nunquid non tales æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparentur?* Et Augustin. in Joan. 21. *Oves meas pasce &c. sicut meas, non sicut tuas; gloriam meam in iis quære, non tuam; Dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua.* Eò huic malo præcavendum magis, quòd, ut Luther: *Cùm depugnatum videtur* (aliis sc. secundæ tabulæ malis subactis) *hæc nova & acrior pugna nos excipit, ut dimicemus contra præsumptionem, gloriam & fiduciam: quam ipsi de nobis, propter dona nostra, habemus. Hanc pestem* ut evadat Paulus, *sentit stimulum Satanæ in carne suâ, ne extollar*, inquit, *magnitudine revelationum. Hæc cum in tanto Apostolo (qui suo sensu & minimus Apostolorum & maximus peccatorum)*

torum) *videas, num periculo te carere posse sentias?* De Episcopo quodam, narrat idem, qui, *Cùm necessitate cogeretur ad ministerium docendi, flexis genibus recusavit munus illud; aut, si Deus omninò id vellet suscipi à se, postulabat, ab ambitione, studio vanæ gloriæ, liberari.*

Quintum illud pastori evitandum est, ἡ ὀργή. Episcopus sit μὴ ὀργίλος. Ejusmodi (Hieronymo interprete) ille, qui crebrò hâc perturbatione incitatur; non, qui aliquando irascitur. Dispiciendum 1° Quid Ira sit. 2° Quæ ejus ἀνομία. 3° Quid pastori, ex eâ, accedat detrimenti. 5. Iracundia. Tit. 1.

1° Ira est affectus, quo animus, iis quæ voluntati contrariantur, irritatus, cum cupiditate justæ vindictæ, renititur. Nullus renisus nisi præcedat irritatio, nec renisus, nec irritatio, nisi in iis quæ voluntati contrariantur. Animus irritatur, cùm quid invenit sibi contrarium; animus renititur, cùm se exserit ad impedimenta, quæ ei obicem ponunt, amoliendum. Sic a Deo primitùs indita facultas irascibilis, ut veniat in subsidium concupiscibili, quâ removet obstacula, quæ impediunt quò minùs bonum, quod optat, consequatur. Hæc ira illa, quæ, suo loco, ut Lutherus, est *optimum Dei donum*; Pastori animarum, ut qui ovium Pastori canis, inservit lupo abigendo. Quid Ira.

2° Ἀνομία iræ est, 1. Quando non fertur in debitum objectum, quod est solum peccatum; non, quicquid repugnat voluntati, sed, ei ut sanctæ, ut justæ: quâ ratione, cùm nil nisi peccatum ei adversetur, id solum est objectum, circa quod ira legitimè exercetur. Actio autem quævis vitiosa, vel suâ naturâ, vel ex circumstantiis peccat; Ut, si malo animo, nullâ habitâ Quæ ejus ἀνομία.

bitâ ratione temporis, loci, perſonæ, fiat. Quouſque actio aliqua, ſive ſimpliciter, ſive reductivè, eſt contra aliquod Dei præceptum, eatenus induit naturam objecti, circa quod ira poteſt verſari. Hinc ſequitur, 1. Qui à naturâ inſunt defectus involuntarii, cùm miſeriæ humanæ accenſendi ſunt, iis condonari oportet, non iraſci convenit: ut tarditas ingenii, imbecillitas memoriæ, corporis ineptitudo, ſenſuum defectus. His ſuccurrendum, non ſuccenſendum. 2. Opera illa, quæ, utcunque nobis adverſa ſunt, ſolâ Dei manu, non interveniente hominum nequitiâ, fiunt; haud ſunt iræ idoneum objectum; his noſmet quietè ſubjicere oportet; Pſal. 39. *Tacui, quia tu feciſti:* non propter illa excandeſcere; ut malè Jonas, ob ricinum exarefactum cap. 4. 9. Secunda iræ ἀνομία eſt, cùm temerè, non deliberatò ſuſcipitur. Conſilium 1. ineundum, an cauſa ſit juſta, viz. an peccatum ejuſmodi ſit, quod, cùm involuntarium, miſerationem & Chriſtianam tolerantiam, potiùs quàm iram, flagitat; an verò, cùm gravius, vel malo animo perpetratum, juſtè nos ad indignationem concitet. 2. Advertendum, num is, in quem iram ſuſcepturi ſumus, ſit reus culpæ, annon. Tertia iræ obliquitas eſt, cùm non juſtis cancellis continetur: ut 1. Cùm inter naturam peccati, & iræ, non ſervatur debita proportio; qui admodum excandeſcit, ob delictum non adeo grave, næ ille culicem ingenti fuſte cædit. 2. Quando juſta indignatio, diutiùs quàm par eſt, protrahitur; periculum eſt, ne is, in quem iram prorogamus, animum deſpondeat; vel is, qui iraſcitur, iram in odium commutet. Eph. 4. *Sol ne occidat ſuper iram veſtram.* Quartò Rom. 1. 31. peccat ira, quandovel dictis, factive exprimitur, quæ

quæ legi charitatis, juſtitiæ, vel prudentiæ repugnant; ut convitiis, clamoribus, amarulentiâ, juramentis, diris imprecationibus, geſtibus indecoris.

3. Ira paſtori inprimis noxia, 1. quia judicio, cui ſumma adhibenda cura ut illibatum conſervetur, tenebras offundit: ut fumus in domo, nebula in aere, vel eorum quæ juxtà ſunt, aſpectum adimunt; perinde & ira, ſiquando accenſa, mentem ita obnubilat, ut ſit impar judicando. Præceps ira efficit ſtultitiam. ſc. quòd ira, quæ brevis furor, ſedet ad gubernacula. 2. Muneri ſuo cum pervicacis ingenii hominibus fungendo imparem reddit. Eorum moroſitas, & animorum ferocia, manſuetudinem in iis, quibuſcum rem habent, neceſſariò flagitent. *Durum ſuper durum, non facit bonum murum*, ut habet proverbium Italicum; & πῦρ ὀπὶ πῦρ, ut Platonis verbis utar, facit ut omnia exardeſcant. Qui ὀργίλος eſt, non poteſt cum lenitate erudire eos qui contrario animo ſunt. 3. Perſonam ejus, cui omnis honos ſartus tectus conſervandus, contemptui exponit: 1. Quia ſapientiæ opinionem, quæ maximè reverentiam conciliat, ei detrahit. *Tardus ad iram, abundat intelligentiâ*; Qui facilè indignatur, eum pro ſtulto habet Sp. S. *Indignatio in ſinu ſtolidorum acquieſcit.* 2. Quia quæ corde erat concluſa ſtultitia, illam in apricum profert ira: ut olla, ſi ei ignem ferventem ſubjeceris, ſpumam ebullire facit; ſic ira, quæ intus latebat, prodit malitiam. Stulti ipſius indignatio eodem die agnoſcitur, egit verò ignominiam aſtutus. Cui conſonat illud Hebræorum elegans proverbium, Tribus his peculiari modo hominem cognoſci, בכוס בכיס בכעס, in crumenâ, in calice, in irâ. 4. Quæ ab eo proficiſcun-

Quare vitanda.

2 Tim. 2.

Prov. 14. 29

Eccleſ. 7. 9

ficiſcuntur objurgationes aliorum, vel juſtæ increpationes, comminationes, ſúſque déque habentur, eò quòd creber illarum uſus omnem illis detraxit authoritatem. Medicina, quotidiano ejus uſu, inefficax redditur. Fulmen, fulgúrque, quæ maximè homines reddunt attonitos, ſi quotidiè oculis auribúſque obverſarentur, vim ſuam terrificam prorſus amitterent. 5. Quouſque obtinet, reddit homines divinis exercitiis admodum inidoneos. Spiritus Dei non in animo turbido, ſed ſedato, ſuam exerit divinam ἐνέργειαν. Verbum cum manſuetudine recipiendum ſuadet Apoſtolus; perinde & animo tranquillo diſpenſandum. Preces ſine irâ fundendæ 1 Tim 2. 8. Quibuſcunque denique divinis officiis fungendis, ineptum reddit impotens hic affectus, cùm ſpiritum Dei, qui nobis auxiliaretur, triſtitiâ afficiat. Quis ſpiritum contriſtaret, & operationem ejus conturbaret; ſine quo fruſtra conatur, quicquid aggreditur miniſter verbi; cujus tam frequens uſus in opere miniſteriali? 6. Cùm multum intereſt, ut, quorum animis divina documenta infundere cupiamus, eos in nos benevolos habeamus; hic unus affectus, ſi ei habenas laxamus, animos hominum à nobis mirificè alienat. Lingua amarulenta, frons tetrica, vultus torvus, invia auſteritas, quæ alios, ne quid à nobis ſciſcitando capiant emolumenti, deterret, moroſitas, quæ contrectari non poteſt; ut, de Nabale, *Ipſe nequior eſt, quàm ut alloquar eum*: hæc omnia amori conciliando inimica. Nemo cerviſiam, utcunque generoſam, è cado expromere tentat, ubi ex imo concitantur fæces. Quin igitur ut miniſterium, quoad poſſumus, in cordibus hominum promoveamus, toto niſu in id incumbendum, ut huic affectui indo-

indomito, qui, ut Jobi Rhinoceros, nullis vinculis domari potest, Spiritûs Dei auxilio, qui solùm mansuefacere potest, frænum injiciamus.

Sextum illud, quod pastori fugiendum, est αὐθάδεια. Episcopus non debet esse αὐθάδης, id est, qui, sibi dum pertinaciter placeat, in suâ sententiâ obstirmatior est; *ac si sapientia cum eo moritura*, ut loquitur Jobus cap. 12. Ejus est tam patienter discere, quàm scienter docere; averseturitaque præfractum illud & pervicax ingenium, quod de suâ sententiâ discedere prorsus abnuit. *Via stulti recta videtur in oculis ipsius; at qui auscultat consilio sapiens.* Pseudoprophetæ dicuntur esse τολμηταὶ καὶ αὐθάδεις. Et Calvinus sic, *Omnis αὐθάδης, si occasio tulerit, statim erit schismaticus.* Vitiosa præcipuè hæc αὐθάδεια, siquando in rebus, quæ tum naturâ tum usu adiaphoræ, obtigerit. In his prudentia & charitas jubent, ut infirmioribus, & ad pacem conservandam, & ad eorum salutem quærendam, cedamus. Ea pastoris laus singularis, quòd noverit, siquid alteri revelatum, conceptam opinionem deponere. Dies prior quidni in Theologiâ sit discipulus posterioris? 6. Αὐθάδεια, pertinacia. Pro. 12. 14. 2 Pet. 2. 10.

Septimum, quod cavendum viro Dei, est ἡ μάχη pugna, sive illa ingenii, sive hæc quæ manus. Episcopus non sit πλήκτης, paci studeat inprimis. *Servum Dei* δεῖ μάχεσθαι. Sit Episcopus ἄμαχος. 1 Tim. 3. 3. Non pugnaci ingenio, qui litigiosis & nunquam finiendis disputationibus deditus. Apollinarii hæretici ea culpa fuit, quod nimio contradicendi studio, adversus id quod quispiam dixerat, abreptus, jactatione ingenii malè fortis, in errorem inciderit. Quæstiones, quarum nullus est fru- 7. Contentio. Tit. 1. 7. 2 Tim. 2. 24. Ruffinus. li. 2 cap. 22.

2 Tim. 2. 23 ctus, nisi ut μάχλω gignant, vitandæ. Sat erit pastori, in iis, qui apud suos disseminantur, erroribus, si veritatem proponat, confirmet, quæ contrà afferri possunt, ea diluat. Si quis sententiæ suæ, quæ erronea, tenacior, haud in eo quod dictum acquiescit, de novo excitat turGal. 6. 17. bellas; dicendum, cum Apostolo, de *cætero*, *nemo mihi molestiam exhibeat*; id est, id scripsi, quod moderatis hominibus, & qui animo docili sunt, abundè satisfaciat: si quis, irrequietè sagax, denuò me lacessiet, parcam labori. SisinSozom. l. 7. c. 12. nius Nectario Episc. Constantinopol. suadet Soc. lib. 5. c. 1. ἀποφυγεῖν τὰς πρὸς τὰς ἑτεροδόξους διαλέξεις, ὡς ἔριδος καὶ μάχης ἄϊστα. Est pervicax hominum genus, quorum ita contentionibus gliscit ingenium, ut, si eos rixosis disputationibus sequi volueris, cœlum & terram miscebunt, nullus erit litigandi finis. Ejusmodi 1 Co. 11. 16. alloquitur Apostolus; *Cæterùm si quis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consuetudinem non habemus.* Ut enim optimè Calvinus, in illum locum; *Nunquam contentionum erit finis, si certando velis hominem pertinacem vincere; quia, centies victus, nunquam fatigabitur.* cap. 14. 38. Et idem Apostolus; *Si quis ignorat, ignoret: Ansam præcidit contentiosis, qui, sub specie inquirendi, quasi nondum liqueret, nullum finem disputandi faciunt:* ut inibi Calvinus. Ejusmodi vel ex eo cognoscas, quòd illis victoria, magis quàm veritas, cordi est; & quòd animum, non aliter sentire paratum, sed sententiæ suæ, utcunque evincantur, tenacem afferunt.

8. Invidia. Octavum illud, quod pastori fugiendum, est Invidia. Invidus ne sit, exemplo Moïs, qui Josuam,

ſuam, ſenioribus in caſtris prophetantibus invidentem, gravi objurgatione ſic coercuit; *An invides tu meâ causâ? Utinam totus populus Jehovæ eſſent prophetæ, &c.* Et ſic Joannes diſcipulos ſuos, de concurſu ad Chriſtum, acſi ex eo magiſtri exiſtimatio imminueretur, conquerentes reprimit: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi ei datum ſit deſuper*: acquieſcere ſc. voluit, tam ſe, quàm ſuos, in illâ tam famæ, quàm donorum, menſurâ, quam illi largitus eſt Deus. Si quis iis eminentior emergebat: non ei, ut cui, quod emineret, divinitùs datum, invidendum. Videndum hîc 1° Quid ſit invidia. 2° Quare miniſtro verbi indigna. 3. Quomodo ſubigenda. Num. 11. 29 Joan. 3. 27

Primò, Invidia eſt triſtitia de alterius bono, in quo quis nobis aut eſt, aut videtur, excellentior. Quotuplex illud bonum, quo quis poteſt alios antecellere, tot modis ſe exſerit invidia. Ejuſmodi ſunt dignitas, dona, fama, cujuſcunque generis res proſperæ. Sic invidus, alienum bonum, ſuum facit, invidendo, peccatum. Nihil hîc intereſt, bonum alterius ſitne verum, an apparens; æquè hoc ac illud concitat ad invidiam; atque id multoties vident lippientes invidorum oculi, quod nuſquam occurrit. Quid eſt.

Indigna hæc paſtore. 1. Quòd ſuperbiam, à quâ ut à radice pullulat, ſapit. Alios ſibi præponi ægrè fert, qui de ſe, ſupra quod par, ſentit. Humili, qui ſuæ indignitatis conſcius, ſat quæcunque, ſi vel minora, quæ Deus ei contulerit dona. 2. Inſcitiæ arguit paſtorem; cùm, quæ aliis in commune bonum conferuntur dona, nobis æquè ac illis uſui eſſe poſſint. Sic ſtatutum, ut quæ uni concedantur, aliis proſint. Unicuique Cur vitanda.

que datur declaratio Spiritûs ad utilitatem, non ſuam, ſed Eccleſiæ. Nonniſi depoſitarius eſt, qui fruitur, aliis redundat emolumentum. 3. Charitati, quâ quis in alterius bono, ut ſuo, exultaret,
1 Cor. 13. repugnat. *Charitas non invidet.* 4. Sinceritati, quâ gloria Dei omnibus anteponenda, contrariatur. Quæ in Deum ſincerè afficitur, id ei ſat, quòd, ſive ex ſuis, ſive alterius donis, gloria ei accreſcit. 5. Deo injuria eſt, cùm ei quaſi litem intendit, acſi minùs prudenter ſua
Joan. 3. 8. dona diſpenſaret. Ut ventus, ſic ſpiritus, *quò*
1 Cor. 12. *vult, ſpirat. Spiritus dividit cuique prout vult.* Novit ſolus, qui largitor ſummus, quid cuique accommodum, quid ei diſconveniat. 6. Αὐτάρκεια illa, quâ quis ſuâ ſorte contentus eſt, paſtori pro ornamento non vulgari; hic, quæ Deus ei admetitur dona, grato animo agnoſcit; magna illi animi ſerenitas, qui quod eſt eſſe velit, nihilque malit. Impedit autem invidia, quò minùs quis in ſuâ conditione acquieſcat. Ita nil minùs eſt invidus, quàm quod eſt; ſic ſe de iis, quæ aliis impertita, macerat, ut, quæ habet, haud iis frui videatur.

Quomodo ſubigenda. Tertiò, qui hanc animi carnificinam ſubjectam velit, cogitet 1. Quòd non tam donorum menſura apud Deum valet, quàm fidelis illorum uſus. In hoc, qui è fratribus minimus, poteſt, cum eo qui uberiora accepit, certare, eúmque ſuperare. Quando verò ſic evenit, Deus hujus, in donorum uſu, ſinceritatem, plus quàm illius ſuperabundantem donorum excellentiam, remunerat. 2. Poſſunt quandoque dona minora, quod non poſſunt majora; ſc. hæc vulgi captum ſuperant, cum illa non ſic. Poteſt id è digitis minimus, quod non poteſt qui maximus. Poteſt ferrum, quod non poteſt aurum. Abſorbe-

tur

tur in mari cymba, quæ tamen in flumine tuta navigat. 3. Non repoſcit Deus, niſi juxta donorum menſuram quæ concredidit. *Cui multum datum, multum repetetur ab eo*; cui quod minus, minus ab eo exigit Deus. 4. Putandum ſeriò, quot nobis donis inferiores; non ſolùm, quot ſuperiores. Invidiæ impetum aliquanti ſper ſupprimit, ſi illud expendamus, quàm parcâ manu aliis æquè dignis ſua diſpenſârit Deus. Ipſe nemini obligatus; quicquid largitur, à gratiâ eſt, non à merito: cur id nos malè haberet, quòd perpaucos forſitan nobis antepoſuit, cùm in nos etiam præ millenis dona effuderit? 5. Quot inde mala enaſcuntur, penſitandum. Joſephi venditio illa ἀεροργος, illa in Moſen inſurgentium obmurmuratio, in Davidem Saulis furor implacabilis, omnium illa Chriſti, ut crucifigeretur, fœdiſſima traditio, ſchiſmata & factiones in Eccleſiâ turbulentiores, annon hinc omnia emanârunt? Ita, *ubi invidia, ibi omne opus pravum.* Hoc ſtimulo qui percitus, Diaboli, ad quidvis perpetrandum, mancipium eſt. Atque hactenus de iis, quæ Paſtorem præ aliis dedecorant. Sequitur, ut id palam fiat, Quommodo ſit gregi exemplar, adverſa perferendo. Luc. 12. 48. Jac. 3. 16.

Cap.

CAP. IX.

Sit Paſtor exemplar gregis in adverſa perferendo.

Sit exemplar gregis in malis perferendis.

TErtium illud, in quo paſtor gregis exemplum eſſe decet, eſt, in adverſis ritè perferendis. *In omnibus nos approbantes, ut Dei miniſtri, tolerantiâ multâ, in afflictionibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in verberibus, in carceribus, &c.* 2 Cor. 6. 4. verſ. 8. *Per gloriam & dedecus, per convitia & laudes. Tu tolerans eſto afflictionum, ut bonus miles Jeſu Chriſti, &c.* 2 Tim. 2. 3.

Virtutes exſerendo.

Exemplar erit in hoc genere: ſi id ei cordi fuerit, ut eas omnes virtutes, quibus afflictorum conditionem conſpicuam voluit Deus, inprimis exſerat. Ejuſmodi ſunt, Fides, Spes, Patientia, Fortitudo, Sapientia: his ſi ſplendeſcat miniſter verbi, major erit, quàm cui poſſunt res adverſæ nocere; melior, quàm ut vel Momus ipſe reprehendat.

1. Fidem.

1. Fides tum demum exercetur in adverſis, cùm, vi promiſſorum, Deo adhæremus, ut nobis propitio, etiam tum cùm indignabundum ſe oſtendit; ſic Job, David, Jehoſhaphat: In eum porro confidimus, ut qui afflictis adeſſe, eorum afflictiones moderari, eos ſuſtentare, & tandem liberare, pollicitus eſt; denique, ut qui omnia in illorum bonum cooperari ipſe faciat. 2 Chro. 20.

2. Spem.

2° Spes in eo palàm fit, cùm, quibuſcunque affligimur malis, Deo, ſuccurrere neganti, nihilo ſeciùs attendamus, expectando quod promiſit, vel de eximendo à malis, vel mala bonis com-

compensando. *Præstolabor Jehovam, qui abscondit faciem suam à domo Jahakobi. Quod non cernimus, speramus*; nempe per tolerantiam exspectamus. Isai. 8. 17.

3° Patientia in eo versatur, quòd animum, verbo Dei edoctum, ne in iis quæ contristant, inordinatè se gerat, continet. 1. Dico, animum verbo Dei edoceri; ut Christianam ab Ethnica distinguam. Habuere illi sua fulcra, quibus animum non tam sustentârunt, quàm obstupefecerunt; ut, quòd dies dolorem minuit, fato reguntur omnia, quòd dolore non levatur malum. 2. Dico, animum, in iis quæ tristia sunt, patientiâ contineri in ordine: quod fit, cùm adversis quibuscunque & ex animo nosmet subjicimus, & eadem sedatè ferimus. Sic Aaron, qui ad tremendum illud in filios judicium *conticuit*; & David, cùm regno pulsus ab Absalomo, *Quod si ita dixerit, Non delector te; ecce me, faciat mihi, prout bonum videtur in oculis suis.* 3. Patientiam. Lev. 10. 3. 1 Sam. 15. 26

4° Christiana fortitudo tum se prodit in viro Dei, cùm, quæ ei obversantur pericula, ea animo imperterrito aggreditur; vel quæcunque obvenerint mala, ea animo experrecto & invicto constanter perfert. En apostolum, crucem, carcerem, angustias, famem, sitim, frigus, nuditatem, qualescunque de se confictos rumores, conculcantem. *Nullius rei rationem habeo, neque vita mea mihi ipsi chara est, ut consummem cursum meum cum gaudio. Quid facitis flentes, & emollientes cor meum? nam ego non solùm vinciri, sed & mori, paratus sum Hierosolymis pro nomine Domini Jesu.* Paulus, quasi flamma inextinguibilis ignis, si in mare lapsa, undisque immergitur, at demum fulgida ascendit: 4. Fortitudinem. Act. 20. 21. Act. 21. 13.

dit : ſic ille undique preſſus, nec oppreſſus, cedere neſcius, clariùs ſemper redit, patiendo victor & millies martyr. En Baſilium, præfecto Cæſareæ, ei imperatoris nomine mortem comminanti, ſi non ejus opinioni ſe addiceret, liberè & audacter inter alia ſic reſpondentem; *Fidem in Deum nunquam, vel bonorum publicatione, vel exilio, vel morte denique proditurus ſum. Siquidem horum nihil excruciare me poterit: Etenim opes non habeo, præter veſtem laceram, & paucos libros, ſicque terram incolo, quaſi ſemper migraturus. Corpus autem præ imbecillitate, unâ plagâ acceptâ, & ſenſum doloris & tormenta ſuperabit.* Hæc ille verè magnus.

Sozom. lib. 6. cap. 16.

5. Sapientiam.

5° Sapientiam denique in rebus adverſis tum oſtendit paſtor Evangelicus, 1. Cùm rectè judicat de eo quod incumbit malum, non exaggerando ſupra quod eſt; ſic faciunt melancholici quidam : nec extenuando infra quod eſt; admodùm Deo injurius eſt, qui manum ejus agnoſcere abnuit. *Cùm exaltatur manus tua, Jehova, non vident.* 2. Cùm accuratâ diſquiſitione cauſas indagat, peccata ſc. quibus cùm provocatur Deus, vel mala immittit, vel, quæ immiſit, diutiùs facit adhæreſcere. *Perſcrutemur vias noſtras, & perveſtigemus, &c.* 3° Cùm in id incumbit magis, ut ex malo, quo illum exercuit Deus, proficiat in pietate, quàm ut ab eo non emendatior liberetur. Virtutes has ſi, in iis quæ ei obtigerint adverſa, teſtatus fuerit, næ ille egregium erit exemplar.

Iſa. 26. 11.

Lam. 3. 40.

Quare.

Sic eſſe voluit Dominus Jeſus, 1. Quòd ea pars vitæ Chriſtianæ, quæ verſatur in adverſis ferendis, eſt omnium difficillima. Sic Aquinas, *Impellit hominem ad diſcedendum ab eo, quod eſt ſecundùm rectam rationem, & bonum delectans*

2da 2dæ. quæſt. 123. art. 11.

& ma-

& malum affligens; sed graviùs impellit dolor corporis, quàm voluptas. Dicit enim Augustinus: nemo est qui non magis fugiat dolorem, quàm appetat voluptatem; quandoquidem videmus etiam immanissimas bestias à maximis voluptatibus abstreri dolorum metu. Ac proinde maximè hîc opus est exemplari, quo, qui sub mole afflictionum aliàs fatiscerent, excitentur, vividè afficiantur. 2. Nullatenus ad alios consolandum erit idoneus, qui non ipse priùs gustavit amara. Quos Deus gregi ut antesignanos præ-lucere constituit, eos ad durissima quæque obeunda destinato consilio designavit: *Nôstis, quòd ad hoc ipsum positi sumus.* Ac propterea sic factitatum, *ut possimus, in quâvis afflictione positos, consolari, eâ ipsâ consolatione, quâ nos consolatur Deus.* Plurima sunt in Theologiâ, quæ non percipiet, nisi quem afflictionibus tolerandis assuefecit Deus. 3. Vita Christiana, quâ aliis præ-lucere oportet pastorem, tam patiendo quàm agendo perficitur. Phil. 1. 29. *Datum vobis, ut non tantùm credendo credatis in Christum, verùm etiam, ut pro eo patiamini.* Cæterùm tolerantia opus integrum habeto, ut sitis *integri & toti, in nullo deficientes.* Cujusque conditio, quâ Christianus, castigatione indiget; *Flagellat quemcunque filium agnoscit.* Sumus omnes, ut ferrum, quod rubiginem contrahit; opus est limâ: sumus ut aurum, quod habet scorias admistas; opus est igne: sumus ut triticum, paleâ opertum; opus est ventilabro. Quin igitur, ut sit pastor coronâ virtutum veluti redimitus, probetur igne afflictionum, specimen gratiarum, etiam sanctè & piè ferendo adversa, præbeat. Atque hactenus, quomodo, & quare, in specie, pastor debet esse exemplar gregi. Sequitur

1 Thes. 3.

2 Cor. 1.

Iac. 1. 4.

Heb. 12.

quitur, ut, quare, in genere, ejusmodi debet esse, ostendamus.

CAP. X.

Cur Pastor esse debeat exemplar gregis.

In quibus versatur omnia, sanctitatem suggerunt.

PRimò, Illâ omnia vel in quibus fungendis versatur minister verbi, vel quibuscum ipsi negotium intercedit, totidem sunt sanctæ & piæ conversationis ὑπομνήματα: ita singula, si lustraveris, sanctitatem veluti fronti inscriptam habent. Illa Dei oracula, nonne ab authore sacro-sancto, per amanuenses sanctos, ad sanctitatem cordi imprimendam, profecta? Sacramenta, præterquam quòd Christum, sanctum Dei credentibus obsignant, quàm nullâ maculâ temeratam, in iis qui suscipiunt, sanctimoniam efflagitant! Invocatio illa, quâ os populi ad Deum sumus, annon & à Spiritu Sancto in cordibus fidelium exsuscitatur; linguâ sacro-sanctâ & incontaminatâ gaudet, & ad sanctum Israelis rectà ascendit? Deus ipse, Jehova exercituum, cujus in his sumus internuncii, & ad quem quasi propiùs accedimus, cùm populus remotiùs subsistit, annon *oculis purior est, quàm ut iniquitatem intueatur?* Annon sanctitate ita splendescit totus, ut vel angeli coram ipso consistentes faciem binis alis tegant? Qui nobis inter sacra administranda adsunt, angeli, & in hæc mysteria ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι,

Abac. 1. 13.

1 Cor. 11.
1 Pet. 1. 12.

ſæu, annon primitùs datâ integritate collucent? Ita & olim templi, quod extruxit Solomon, vaſa omnia ex auro puriſſimo confecta nitebant; perinde & in cultu Dei ſolenni, cujus adminiſter quilibet paſtor, omnia ſint ſanctitate cooperta, nihilque obverſatur, quod angelicam animi puritatem non ſuggerat. Deus ipſe, Sacramenta, Scripturæ, preces, angeli aſtantes annon ſanctitatem veluti ſpirant? Quî audebit ſacra contrectare, aut cum ſanctis rem habere, qui ipſe ſcelere inquinatus? Annon olim id capitale fuit, ſi quis vel igne abſumenda Jehovæ, vel cibum Dei ſui, ipſe non ſanctus offerret: Et impunè ferent, qui ad ſacrorum adminiſtrationem ſe ingerunt paſtores, vitâ & moribus nequiſſimi? *Hei mihi! quòd exſcindor, quia vir polluti labiis ſum &c. Cùm regem illum Jehovam exercituum viderint oculi mei*; dixit olim prophetа: nec, ad ſacra, manum admovere auſus eſt, donec iniquitas ejus, angelo, os, prunâ ab altari ſumptâ, tangente, amovebatur, & peccatum expiatum. Quin noſmet, qui à ſacris Deo ſumus, à peccati ſordibus, quoad fert viatoris conditio, mundemus, quâ poſſimus ſanctitate, corda imbuamus. Quàm illud horrendum, ut qui in Scripturarum paradiſo, ubi tot ſanctitatis germina ſuccreſcunt, indies deambulamus; qui ſacramentis adminiſtrandis, precibus ad Deum fundendis, toti incumbimus; impietate, Deo & ſanctis exoſâ, redundemus! Annon ejuſmodi juſtè litem intendet Deus indignabundus; *Quid tuâ, ut enarres decreta mea, & aſſumas fœdus meum in ore tuo, cùm tu oderis diſciplinam, & projeciſti verba mea poſt te.* Iſa. 6. Pſal. 50. 16

Paſtorum impietatem ſeverè ulciſcetur Deus.

Secundò, Illud in mentem veniat, Deum, quicum nobis in hoc munere præ aliis res eſt, & mini-

ministris verbi severè minitabundum esse, & si-quando à recto virtutis tramite declinent; eorum vindicem acerrimum, ἀπροσωπολήπτως. Nadab & Abihu, quòd, quâ decuit sanctitate, ad Deum non appropinquârunt, quàm horrendo exitio pessundedit! *Exiens ignis à conspectu Jehovæ exanimavit illos, ita mortui sunt coram Jehova.* Et, pro natâ strage, dictum illud in omne ævum permansurum promulgavit, *In propinquis meis, sanctificabor; & ante conspectum totius populi glorificabor. v.* 3. Huzza, quòd, non sanctificatus, manum ad arcam admoverat, morte percussus est. Ad cladem verò illam, post hominum memoriam funestissimam, quâ Eli domus funditus eversa, quis non toto corpore contremiscat? Expendas seorsim, quas Deus zelotes inflixit, pœnas. En Hophni & Phineam, nequiter viventes, & sacerdotes, ab incircumcisis Palæsteis, transfixos! Grandævum Elin, quia filios, quâ erat authoritate, tam judex quàm sacerdos, non coercuit, fractâ retro cadendo cervicis compage moribundum! En uxorem Phineæ in partu, præ dolore, animam agentem! arcam Dei, ad Philistæos, in triumpho deportatam! sacerdotium à stirpe Eli translatum! En posteros pro nummulo argenteo, & segmento panis, se incurvantes! omnes denique obitu immaturo tollendos! Hæc, si non singula, at in unum conglobata, quem Dei ministrum, cum scandalo viventem, non perterrefacerent; ut quorum exitum perhorrescat, eorum nequitiam haud imitetur? Occurrat porro illud Nehemiæ, solennis imprecatio prophetica, *Recordare horum, Deus*, scil. ut vindices, *qui polluunt sacerdotium, júsque Sacerdotale & Leviticum.* Atque iram Dei, in eos qui sacris inservi-

Levi. 10. 2

1 Chro. 13. 10. & 15. 1.

1 Reg. 2. 35

1 Sam. 2. 34

Neh. 13. 29

ſerviunt, ardentiùs effervescere, testatur sacrificium, quod idem, pro sacerdotis, & totius cœtûs, peccato expiando, à Deo constitutum; acsi atrocitas peccati, dignitate personæ, cresceret. Ad eucharistiam, vel indignè accedentes, qui morte affecit Deus, num, qui excelsa hæc Dei ministeria, ipsi interim nequiter viventes, administrant, impunitos dimittet? annon acri vindictâ ulciscetur? Lev. 4. 3, 14

Tertiò, Accedit, quòd vita pastoris inculpata, præterquam quòd evangelium Christi inprimis ornat, ministerium etiam in cordibus hominum multò reddit efficacius. Quod enim, loquendo, præcipit; exemplar præbendo, adjuvat ut fiat. Pastorum sanctitas ministerium ornat, & efficacius reddit.

Cùm iniquitas non est inventa in labiis tribûs Leviticæ, in pace & æquitate ambulârit coram Deo; multos avertit ab iniquitate. Mal. 2. 6.

Herodes Johannem Baptistam & metuit, & observavit, *Sciens eum esse virum justum & sanctum.* Mar. 6. 10

Vitio vertebat Christus sacerdotibus Judæorum, quòd *Johanni, venienti ad eos in viâ justitiæ, non credidêre.* Matt. 21. 32

Apostolus, ut verbo exhortationis viam muniret, appellat Deum hominésque testes, *quàm sanctè, justè, inculpatè se gesserat.* 1 Thes. 2. 10

Barnabas, *vir bonus erat & plenus Sp. Sancto & fide, & adjuncta est multa turba domino.* Act. 20. 28.

Attendite vobis & cuncto gregi. Attende tibi & doctrinæ. 1 Tim. 4. 16

Cùm bini sint sensus disciplinæ; auribus verbo, oculis vita exemplari, Deus consultum voluit. Sic lingua & manus mutuas in doctore tradunt operas, illa docendo, hæc agendo: atque ut ille, non homo, sed inter homines monstrum, qui lingua, præterea nihil; sic, non ille verbi præco, sed inter præcones portentum, qui linguâ præpotens, opere claudicat, cui sedes prima, vita ima, lingua magniloqua, manus otiosa, sermo multus, fructus nul-

Lib. 2. de consid. ad Eugen.

lus, &c. ut Bernardus. Εὔκολον τοῦτο τὸ φιλοσοφεῖν ἐν ῥήμασι· δίδαξόν με διὰ τοῦ βίου τοῦ σου, αὕτη ἡ διδασκαλία ἀρίστη. Et paulò pòst; Οὐχ οὕτως εἴωθεν ἐντίθεσθαι τῇ ψυχῇ τὰ μαθήματα ἀπὸ ῥημάτων, ὡς ἀπὸ πραγμάτων. *Accusare avaritiam, & latro potest; Sacerdotis Christi, os, mens, manusque concordant.* Hieronymus ad Nepotian. Et Bernardus; *Efficacius est vitæ, quàm linguæ testimonium. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si. quod suades, prius tibi illud cognoveris persuasisse.* Si igitur velimus verba nostra, in hominum corda impervia, penetrare; ipsi verba vertamus in opera, *ut qui ex adverso opponit, erubescat, nihil habens quod de nobis loquatur mali. Magnam fiduciam præstat dicenti, vita inculpata: Et perdit authoritatem dicendi, cujus sermo opere destruitur.* ut Hieron. Ep. ad Ocean. *Vita jubeat, lingua persuadeat.* Sic Athan. ad Monach.

Chrysosto. hom. 30. in Acta Apost.

Tit. 2. 8.

Ab eorum impietate mala multa profluunt.

1 Sam. 2. 17, 24.

Rom. 2. 24.

Cyril. lib. 6. in Joan.

Quartò, Pastorum vita malè acta infert in Ecclesiam malorum catervam benè numerosam. 1. Sacra Dei cachinnis hominum, qui, quæ docent, ipsi facere negligunt, exponunt. *Propter peccatum filiorum Eli, homines spernebant munus Dei; & propter vos,* qui docetis, non facitis, *malè audit nomen Dei inter gentes.* Ita, *cùm verba vitæ, dissonant; ob vitæ doctoris impuritatem, verba contemptui habentur* Ἐὰν μὴ τὸ ἔργον ἔχῃς, οὐ μόνον οὐκ ὠφείλησας εἰπὼν, ἀλλὰ καὶ μειζόνως ἔβλαψας. Διατί; ὅτι ἀδύνατόν μοι τὸ πρᾶγμα καθιστᾶς. Ἐννοῶ γὰρ, εἰ σὺ ὁ ταῦτα λέγων οὐ κατορθοῖς, πολλῷ μᾶλλον ἐγὼ συγγνώμης ἄξιος. 2. Quæ est in Pastoribus nequitia, ea, latiùs serpendo, in omnes hominum ordines se diffundet: ita horum vestigia

Chrysosto. Hom. 30. in Act. Apost.

ſtigia premit univerſus populus. Hinc conqueritur Deus, *à prophetis* Hieroſolymorum *prodiiſſe contaminationem in totam terram.* Jer. 23. 15. Zephaniæ item temporibus deploratiſſimis, in quibus Dei judicia ſpreta jacuêre, omnes ordines invaſerat à Deo defectio, *Prophetæ* dicuntur eſſe *homines nihili, leves, diſſoluti, viri prævaricationum, Sacerdotes profanare rem ſanctam.* Zeph. 3. 4. Et *Vos* (Sacerdotes) *receſſiſtis ab illa via, feciſtis ut impingerent multi in legem. Veteres ſcrutans ſcripturas*, ait, ex Hieronymo, Gerſon, *invenire non poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Dei populum ſeduxiſſe, præter eos, qui ſacerdotes à Deo poſiti & prophetæ.* Mal. 2. 8. Tractat. de defect. Eccl. Et Chryſoſtom. Si ſacerdotium corruptum, omnium fides & virtus marcida eſt. Quemadmodum enim ſi ſordida erit manus, quæ alienas labes abſtergere conatur, tacta quæque deteriùs inquinat: ſic Paſtores qui nequiſſimorum maculas diluere velint, ipſi interim impuri, eos fœdant & contaminant magis. Hinc, in excidio Hieroſolymitano, angelo edixit Jehova, ut *à Sanctuario, & viris qui illic aſſiderent, exorſum ſumeret*; Ezek. 9. 6. ut, qui in peccato, iidem in internecione, primi eſſent. Si pro pœnitentia in nobis legatur petulantia, pro contritione deſtructio, & deſolatio, tot damnationibus digni reddimur, quot homines noſtris exemplis corruptiſſimis ſeduximus. Si damnandus, qui ſe ipſum ſpontaneo peccato depravat; nunquid non ergo damnatior, qui multos ſecum in interitum trahit, rapit, & dejicit? Gerſon. p. 2 tract. de vitâ Cler. 3° Prodigioſæ illæ, & nefandæ, quæ Eccleſiam aliquando vexârunt, hæreſes, ab impiâ paſtorum vitâ, qui ambitioni, avaritiæ, luxui, effrænati animi cupiditatibus totos ſe dedêre, profluxerunt univerſæ. Nec enim ſolet Orthodoxa fides, extra vas bonæ con-

scientiæ, spirare. Mandat Timotheo Apostolus, ut Episcopi *fidem & bonam conscientiam retinerent, quâ expulsâ* (inquit) *aliqui naufragium fidei fecère. Diaconi pariter habeant mysterium fidei in conscientia bona.* In Pseudoprophetâ Schemaiâ conveniunt, ut ejusdem partûs gemelli, adulterium & falsidica visio.

1 Tim. 1. 19
cap. 3. 9.
Ier. 29. 23.

Quintò, Ille solus arcanis Dei scrutandis par erit, qui piè sanctéque vivit. Mysteria fidei Deus secluſit, ab iis qui improbè vivunt; ea, sui timentibus, duntaxat referat. *Filii Eli nequam erant, nec cognoverunt Jehovam. Arcanum Jehovæ adest reverentibus ipsum. Homines dediti malo, non animadvertunt jus; quærentes autem Jehovam, animadvertunt omnia. Si quis voluerit, quod ille vult, facere; cognoscet de doctrina, &c.* Qui vinum in vas infundunt; si, à vase sordes contrahere animadvertant, illico desistunt: perinde & Deus, sacram veritatem cordibus hominum inspiraturus, si ab impurâ eorum conscientiâ conspurcari viderit, illico spiritum subducit. Sicui igitur gestit animus, scripturarum abdita mysteria recludere, author sum ut inprimis vitæ & cordis sanctimoniæ impensè studeat. *Quo spiritu scripturæ inspiratæ, eodem legi desiderant, ipso etiam sunt intelligendæ.*

1 Sam. 2. 12
Psal. 25. 14
Prov. 28. 5.
Joh. 7. 17.
Bernar.

Pastores improbi difficillimè emendantur.

Sextò, Et illud pensitandum, quòd, quæ in ministris verbi radices egerunt peccata, omnium difficillimè curantur. Qui vel profligatissimæ spei, citiùs ad bonam frugem redibit, quàm ejusmodi in peccatis inveteratior. Quæ enim aliis solent esse pro medicinâ, ut sacra Dei oracula, illa diuturnâ assuetudine, si non vim omem amisêre, at iis multò inefficaciora redduntur. Tremenda illa judicia Dei, quæ meminit

Scri-

Scriptura jam olim in peccatores effusa, ad quæ vel perditi maximè animo consternantur, illi susque déque habent. Qui in maris profundum descendunt, vidéntque illic mirabilia Dei, si inde nil lucrentur ad profectum in pietate, omnium fiunt pessimi; ut è nautis plerique. Sic & qui scripturarum abyssos scrutantur, cùm illis frequentiorem habent consuetudinem, si non inde meliores evadunt, omnium fiunt nequissimi. *Si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nil valet amplius, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Matt. 5. 13. Ministrorum verbi conditio, si peccatis indormiant, propterea difficulter curabilis est, cùm non suppetit, quo condiantur, sal. Hinc, Chrysost. *Nihil*, inquit, *impossibilius, quàm illum corrigere, qui, cùm omnia sciat, nihilo secius bonum contemnens, diligit malum.* Hom. 40. in Matt. Et paulò pòst, *Quis unquam vidit Clericum collapsum citò resipiscentem?* P. 2. tract. de vit. Cler. Qualis spes salutis esse potest (ait Gerson) ubi, quæ fuerunt remedia, convertuntur in nauseam & venena? Eo contentiùs enitendum, ne alicujus peccati illecebris irretiti constringamur, à quo periculum est, ne nos inde expediamus. Quis, nisi mentis inops, in barathrum se dimitteret, prudens, à quo nulla datur remeandi via? Et quàm vecordes nos, qui, cùm sal terræ simus, nos peccandi assuetudine tam reddimus insulsos, ut nullus superfit, quo sanitatem recuperemus, sal. Atque hactenus, de iis quæ personæ. Sequitur, ut de iis dicam quæ officii.

CAP. XI.

Quæ in Pastore requiritur omnigena scientia.

QUæ in Pastore desiderantur ratione officii, aliæ pertinent ad capessendum, alia ad obeundum. Quæ in munere capessendo, alia sunt quæ adesse, alia quæ abesse, oportet. Quæ in munere capessendo pastori adesse debent, hæc sunt. 1. Debet esse παγεπιςήμων, omnigenâ literaturâ imbutus. Sic erit,

Sit Pastor omnigenâ eruditione imbutus.

1. In linguarum peritiâ.

1. Si linguarum, *i. e.* Græcæ & Hebraicæ, præ aliis, scientiâ sit instructus. Nam 1. cùm nulla occurrit versio, quæ non in pluribus mendosa, necnon doctissimorum. variæ sunt de iisdem locis, & inter se discrepantes, sententiæ; quomodo, qui linguarum inscitiâ, contextum originalem haud potis est consulere, se expediat? Hæreat necesse est aqua; nec, in hominum, qui ad invicem dissentiunt, judiciis, quò se vertat habebit, qui nativam idiomatum vim in suâ primævâ linguâ haud poterit trutinare. 2. Quælibet lingua habet quandam innatam Emphasin, nescio quam ingenitam & elegantiam & perspicuitatem: hanc qui in alienâ linguâ exprimere tentârit, næ ille frustra erit. Nulla vel elaborata interpretatio, quos authentico textui Sp. S. tam Majestatis quàm gravitatis impressit characteres, ad vivum potuit delineare. Nullus unquam interpres, quin in aliquibus aut mentem authoris non est assecutus, aut eum non nisi imperfectè enarravit. Hinc Themistocles, cùm ei

Re-

Regem Persiæ, apud quem exulabat, alloquendi per interpretem copia fiebat, potiùs linguæ Persicæ addiscendæ per annum operam dare, quàm per alium mentis suæ sensa explicare, elegit. 3. Harum cognitio, fidei orthodoxæ, in Ecclesiâ, semper fuit individuus comes: quando disparuit, tenebræ in doctrinâ Ægyptiacæ mundum invasêre. Tum, quod observat Espencæus; *Græcè nôsse, suspectum erat; Hebraicè, prope hæreticum.* Et videbat Lutherus (ait Melanchthon) non aliam, ad veterem barbariem reducendam, viam magis compendiariam, quàm si studia linguarum interirent. Quando demum rediviva linguarum scientia facta (quod incidit in annum 1470) illicò affulsit Evangelii claritas. Verbum Dei, quod, per multas annorum Centurias, nonnisi ex lacunis depravatæ versionis haurire solebat, tunc ex ipsis fontibus immediatè desumptum, ad mentis oculos aperiendum & ad animas sitientes refocillandum multò efficacius. 4. Qui harum subsidio in contextûs scrutinio se exercuerunt; si è nostris, omnium prodiêre nervosissimi Theologi; si è pontificiis, multò reliquis saniores. Ut Arias Montanus, Andreas Masius, Vatablus, &c. Qui his caruêre, quomodo in Scripturis explicandis, cæteroquin doctissimi, toto (quod aiunt) cœlo errârunt! Veterum quorundam Commentarii hoc abundè testantur. 5. Illud expendendum, quanti fecerunt viri Theologi hanc linguarum peritiam. Lutherus sic; *Quamvis exigua sit mea linguæ Hebraicæ notitia, cum omnibus tamen totius mundi gazis non commutarem.* Melanchthon; *Scio me vix labris primis degustâsse Hebraicas, Græcas, & Latinas literas; sed tamen hoc ipsum quod dilici, quantulumcunque est, propter judicium*

In 1 Tim. 3.

Tom. 4. Orat. pag. 471

In loc. com. tit. de ling. script. sanct.

cium de religione, omnibus mundi regnis omniúmque opibus longè antepono. Musculus; *Adolescentes, sacræ scripturæ candidati, urgendi, ut sacrarum linguarum cognitionem studiis suis adjiciant, non quasi πάρεργον, sed instar fundamenti in mentium suarum fundum submittant.* Mercerus, & Paræus, dicunt, *Hebraismorum ignorantiam horrendos errores in Ecclesiam invexisse.* Et Hispanus Monachus sic: *Dico, non posse verè dici Theologum, qui in Hebraicis literis mediocriter non sit instructus.*

Ad Gen. 48. 16.

Alfons. Mendoza in qu. pos. qu. 10. 10.

2° Ut sit πανεπιστήμων, artium quas vocant liberales, scientiâ, nec non cujuscunque generis Philosophiâ, animum excolat. Nam 1. Harum disquisitione, ingenii vires, quæ aliter hebescerent, excitantur, exercentur, confirmantur, & ad quamcunque literaturam imbibendam quasi dilatantur. Vesica si non extendatur, inutilis prorsus erit; sin, vel vento impleatur, eò commodior usui: pariter & animi facultatibus si non exercendo quasi aciem inducas, flaccescunt prorsus; quæ, vel humaniori aliquâ doctrinâ excultæ, magnis aggrediendis pares essent. Hinc Socrates jubet literas humaniores addiscere πρὸς τὴν γυμνασίαν τοῦ νοῦ, quasi his mens corroboraretur ad majora subeunda. Scitè Basilius, *Sicut tinctores, ut perfectum purpuræ colorem panno inducant, inferiorem alium colorem subtexere solent; ita se habere humanas disciplinas ad divinam scientiam.* 2. Suum quælibet ars, ad rem Theologicam enucleandam, confert symbolum. Nonnisi Geometriæ beneficio, Atheis, qui Arcæ fabricam, ut tam numerosæ prolis haud capacem, calumniantur, os obturamus; quod fecit insignis Mathematicus Buteo. Et non nisi Astronomiæ subsidio, dum ad Ἐκλείψεων certum

3. In liberalibus Artibus & Philosophiâ.

In orat. ad adoles.

Codomannus Buntingus.

tum numerum recurrimus, Scripturæ Chronologiam ritè putamus; aut quæ de cœleſtibus conſtellationibus, de gradibus ſolaribus, de curſu ſolis & lunæ memorat Scriptura, intelligimus. Nonniſi Dialecticæ auxilio, ſingula aut diſpoſitivè digeruntur, aut membratim retexendo, quaſi oculis ſubjiciuntur. Dici non poteſt, quantum inventionis capitibus, ut totidem argumentorum domiciliis, quantum ſyllogiſmorum, quibus falſis doctoribus os obturamus, debeat Theologus, cæteroquin maximè ſolers. Sic *Rhetoricâ opitulante, varias loquendi formas aſſequimur*, ut docet Illyricus 2. pa. Cla. *Affectus concitamus, vel ſedamus; honeſto dolo nos in auditorum animos inſinuamus.* E re Philoſophicâ, plurima petit Theologus, de naturâ animæ, lapidum, herbarum, animalium, &c. Hinc, Chriſtiano nomini infeſtus, Julianus, *ne Chriſtiani literis humanioribus inſtituerentur*, lege ſanxit, Ἵνα μὴ ἀκονάμενοι τὴν γλῶτταν ἑτοίμως πρὸς τὰς διαλεκτικὰς τῶν ἑλλήνων ἀπαντῶσι. id eſt, *ne linguâ exercitati dialecticis apud gentes facilè occurrerent.* Vel ut habet Theodoretus, Τοῖς οἰκείοις πτεροῖς βαλλόμεθα· ἐκ γὰρ ἡμετέρων συγγραμμάτων καθοπλιζόμενοι τὸν καθ' ἡμῶν ἀναδέχονται πόλεμον. i. e. *propriis configimur pennis; è noſtris enim libris arma capiunt, quibus in bello adverſus nos utuntur.* Paulus 2us Papa Romanus, ſæpiùs admonuit, *ne filios ſuos diutiùs in literis occupari paterentur, Satis eſſe ſi legere & ſcribere didiciſſent*, ut Platina in ejus vitâ. Et Socrates, ubi hoc ipſum, de utilitate è gentilium libris capiendâ, pluribus diſputavit, tandem pro colophone triplicem eorum uſum edocet, vel Εὐγλωττίας χάριν, linguæ diſertè exercendæ gratiâ, vel πρὸς τὴν γυμνασίαν τῆς

Iſa. Job, Matth.

Valeſ. de ſacr. philoſ. Lemnius. Fran. Rueus.

Socr. lib. 3. c. 10. vide Naz. Orat. in Jul. lib. 3. cap. 8.

ad

Socr. lib. 3. c. 14. ad ingenii exercitationem, vel πρὸς τὴν ἀυτῶν ἐκείνων κατάγνωσιν, ad ipsorum in quibus errârunt refutationem. 3. Viri Dei eo nomine celebrantur à Sp. S. quòd in hisce claruerunt. Act. 7. 22. *Instituus est Moses omni sapientiâ Ægyptiorum, erátque potens dictis & factis.* Danieli & sociis Dan. 1. 17. 4 dedit Deus *intelligentiam in omnibus literis & sapientiâ*, viz. Chaldæorum. Sic Apollos eo nomine laudatur, quòd ἀνὴρ λόγιος fuerat. Prov. 16. 21 *Suavitas labiorum addit doctrinam*; id est, magis reddit efficacem in animis hominum. Stephanus item Act. 6. 10. & 19. 9. & Paulus disserendi facultate os adversariis occlusêre. Διαλέγεσθαι dicitur Paulus, in scholâ Tyranni Philosophi. Qui igitur, quibus tam ad dicendum quàm ad disputandum valerent, instruebantur, vel Sp. S. suffragio probari existimemus. 4. Scriptura in plurimis nos remittit ad legem naturæ; Prov. 6. 6. *Abi ad formicam ô Piger* & c. Vilem & abjectum vermiculum in cathedrâ collocat S. Sanctus, ut inertes ad industriam erudiat. Ier. 8. 7. *Ciconia in cœlis cognoscit tempora, & turtur & hirundo, & grus observant tempus itineris; populus autem meus non cognoscit.* Exprobrat scil. Deus populo suo, eorum in judiciis suis ingruentibus oscitantiam, à creaturis quæ intelligentiâ prorsus carebant. Christus discipulos suos ad *aves cœli*, ad Matth. 6. *lilia agri*, relegat: ut inde, in Dei providen- 1 Cor. 11. 14 tiam conquiescere discant, *Annon natura ipsa hoc docet vos & c?* Qui naturæ legem ut magistram proponit; eos eâdem operâ scrutari voluit, in quibus natura veluti omnes effudit vires. 5. Gratia Dei supponit naturam, & scripturæ non docent, sed pro concesso habent, nos ea scire quæ lumine naturali percipi possunt. 6. Est Philosophia vera, quid enim nobis cum illâ quæ κένη Clem. Al. Strom. 1. & ἀπατητικὴ; partus rectæ rationis, est æternæ

næ veritatis σπάεγμα. *Est ratio res Dei*, ut Tertul. *Sunt hæ artes communia Sp. Sancti dona; his imago Dei, quod attinet ad facultatem ratiocinandi & eloquendi, quæ in naturalibus ex lapsu Adami duntaxat est labefactata, aliquatenus recuperatur: Et quibus necesse erat, ut qui à Sp. afflati sunt, iis uterentur in suis scriptis & concionibus. Etsi enim spiritus Dei per illos loquebatur, is tamen inusitato genere dicendi non est usus, sed eo quod hominum natu æ indiderat, & quod per artes dicendi ille, qui omnium scientiarum & artium est author, hominibus largitus est*, ait Pfacherus. Quidni igitur artes hæ usui essent, in eorum scriptis retexendis, quæ non nisi artium adminiculo quas immediatè docuit Sp. S. fuêre confecta? Et doctissimus Daven. Episc. Sarisb. sic; *Philosophia, præsertim illa, quæ regulas & artem docet rectè disserendi, apprimè necessaria est, & ab omnibus adhibenda, in dijudicandis, & tractandis omnibus controversiis, quæ spectant ad religionem. Quamvis enim ratio, religionis principia sumat à lumine fidei, tamen hoc lumine præeunte, ex hisce principiis, secundum normas bonæ & necessariæ consequentiæ impressas, ab ipso Deo, creaturæ rationali, & solet & debet judicare, quomodo partes cœlestis doctrinæ inter se cohæreant, & se mutuò stabiliant; Quid cum illis consentaneum, quid ab illis dissentaneum sit. Credimus supra rationem, non temerè, aut irrationabiliter Nam ipsa ratio concipit, & illud cui fidem adhibemus fuere, & rectè deduci, ex principiis sacræ scripturæ.* Vide plura.

Vide Aug. libr. de doctrinâ Christian. Cassman. in Phil. assert.

Rupertus lib. 7. de oper. Sp. San. &. In præf. ad Anal. Typ.

In cap. 2. ad Col. v. 8.

Tertiò, Non sit hospes in cujuscunque temporis historiis: percurrere omnes, immensi laboris est, sat erit capita rerum perlustrare, non singulis immorari. Eas maximè seligamus,

3. In historiâ.

gamus, quæ præ cæteris uſui eſſe poſſunt. Has propterea verſare debet, qui munus paſtorale in ſe ſuſcepturus, 1. Quòd ad doctiſſimorum varios in ſingulis ſeculis tractatus plurimum accedit lucis, cùm hiſtoriæ temporum animo unà comprehenduntur. Adeò in tenebris eſt, qui patrum volumina evolvit, nec anteà Eccleſiæ hiſtoriam perlegerit. 2. Quòd omnium temporum hiſtoriæ, ſunt veluti theatrum, in quo Dei ſingularem providentiam, Eccleſiæ ſuæ continuò invigilantem, hoſtes vindicantem, quaſi oculis ſubjectam videamus. 3. Quòd propheticæ Scripturæ, quæ de quatuor Imperiis, de Turcâ & Papâ, de Eccleſiæ vario ſtatu memorant, niſi hiſtoriarum adminiculo, haud poſſunt explicari. Atque hæc eſt illa omnigena ſcientia, quâ, ſi non undique excultus, at ſaltem leviter tinctus eſſe debet, qui munus hoc capeſſit.

CAP. XII.

De Scripturarum peritiâ; aliiſque in Paſtore requiſitis.

Sit in ſacrâ Scripturâ verſatiſſimus. Vide Luth. in cap. 16. Geneſ. pag. 198.

SEcundum illud, quod adeſſe debet in eo, qui Cathedram hanc conſcenderit, eſt, ut ſit Βιβλιοφάγος, i. e. libri, quem κατ' ἐξοχὴν Biblia nominamus, comeſor. Sit in ſcripturis verſatiſſimus, has ad amuſſim calleat, & ſi fieri poteſt, ediſcat. Ad exemplum tum Ezechielis, tum Johannis in Apocalypſi, cap. 10. *comedat librum Dei.* 1. Quòd hoc Elogio celebres fuere viri Dei. Sic Ezra dicitur eſſe *Scriba*

Cap. 3. v. 2. Ezra 7. 6.

ba promptus in lege Moſis; Apollos, *δυνατὸς ἐν γραφαῖς*, Timotheus, *innutritus ſermonibus fidei*, 1 Tim. 4. 6. 2. Quòd ſcripturæ fidei & ſola & prima principia ſint, quibus nititur tota res Theologica. *Legem & Teſtimonium* conſulunto. *Scrutamini ſcripturas, in quibus, putatis vos, quòd vita quæ eſt in æternum ſit vobis.* Quæcunque præterea exſtant ſcripta, annon ad hanc normam exigi debent? Quod de Mari Eccleſ. 1. id de ſcripturis, *omnes fluvii exeunt illine, nec non illuc redeunt:* ſic ab his, tanquam à fonte, proveniunt quæcunque exſtant doctiſſimorum volumina; & huc rurſus redire, ut ad earum gnomona examinentur. 3. Quòd ex ejus ore populus tenetur legem requirere. *Labia ſacerdotis cuſtodirent ſcientiam, & ex ore ejus legem requirerent, nam Angelus Jehovæ exercituum eſt.* Sit itaque miniſter verbi, ut *Scriba ille, ad regnum Dei edoctus, ſimilis Patrifamilias, qui profert è theſauro ſuo nova & vetera.* 4. Quòd hæ reddunt virum Dei ad opus miniſterii abundè inſtructum. Eſt in his *ἀυτάρκεια* ejuſmodi, quòd ſi omnes quicunque in mundo libri comburerentur, dummodo hæ ſartæ tectæ conſervarentur, unà cum illis quæcunque ad ſalutem neceſſaria veritas in tuto eſſet. Quin igitur tyrocinium in artium & linguarum ſcientiâ ponamus, in Scripturis tam adoleſcere quàm conſeneſcere oportet; illas primoribus labiis deguſtemus, in harum ſacro fonte labra proluamus; illis horas ſucciſivas concedamus, in his dies noctéſque commoremur, meditemur. Quàm hîc meritò vapulant, qui ſacra Dei oracula prætervecti, patrum, ſcholaſticorum, qualiumcunque ſcriptorum fractis ciſternis ſe totos immergunt; in illis hoſpites, & peregrini, in his egregiè edocti. Dignum illud

Act. 18. 24.

Iſa. 8. 20.

Ioan. 5. 39.

Mal. 2. 7.

Mat. 13. 52

2 Tim. 3. 17

In Gen: c. 14. lud quod alicubi ſcripſit Lutherus; *Ego ipſe* (inquit) *odi libros meos, & ſæpe opto eos interire, quòd metuo ne morentur lectores, & abducant à lectione ipſius Scripturæ, quæ ſola omnis ſapientiæ fons eſt: ac terreor exemplo ſuperioris ætatis; poſtquam enim in hominum Commentarios inciderunt qui ſacris ſtudiis dediti erant, non ſolùm plurimum temporis in lectione veterum Theologorum conſumpſerunt, ſed tandem occupati ſunt in Ariſtotele, Averroe, & aliis. ex quibus poſteà nati ſunt Thomæ, & Scoti, & ſimilia portenta.* Nec id immeritò, ſunt enim hæ veluti paſtoris utenſilia, quibus omni tempore, ut res tulerit, utendum; abſque his nullus eſt, cæteroquin in totâ humanioris literaturæ ἐγκυκλοπαιδείᾳ eruditior. Sunt inſtar ſpeculæ, à quâ proſpicientes, devios quoſque errorum labyrinthos detegimus; ſunt ut refertiſſimum penu, ex quo, quæcunque ad opus miniſterii neceſſaria, deſumat prudens animarum curator.

Sit διδακτικός. Tertium illud, quod deſideratur in munere capeſſendo, eſt, ut ſit διδακτικὸς, *aptus ad docendum.* Ut quis ſit aptus ad docendum, 1. Sit uberiori rerum divinarum ſcientiâ inſtructus. 2. Sit propenſus ad ea quæ animo tenet, aliis communicandum: hæc eſt προθυμία illa. 3. Sit dextrè peritus, ſingulis quo[illegible] ſuum accommodando: hoc eſt, λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοτομεῖν. 4. Adſit in eo ἄνοιξις τοῦ στόματος τῦ λόγυ, i. e. facultas ejuſmodi, quâ liberè mentis ſuæ ſenſa, pro modulo audientium, exprimere potis eſt; quâ ſic loquitur, ut alios inſtruat. Sunt nonnulli apprimè docti, qui, ſi ad alios docendum ſe contulerint, nil niſi ſpinas & lapides loqui dixeris, ita mentis ſuæ conceptus haud poſſunt explicatè tradere. Sunt alii, qui, utcunque quæ animo

1 Pet. 5.

2 Tim. 2. 15
Col. 4. 3.
1 Cor. 14. 19

animo comprehendunt, possunt distinctè enunciare, spiritus tamen applicationis, quo quod suum cuique tribuitur, nullatenus adest: in discursu generali, nullâ habitâ populi quem affantur ratione, se totos effundunt: Hos utrosque, utcunque donis suis verè venerandos, à munere hoc subeundo prohibet Apostolus, quum, ut sit διδακτικὸς, efflagitat. Deploranda hic Ecclesiæ nostræ conditio, in quâ mocò adsint gradus titulares, infulæ doctrinæ, uberior rerum scientia, nullum solet institui examen, num dona ejusmodi sint quibus populo ad salutem prosint. Hâc ratione plures sedent in Cathedrâ pastorali, nec mali, nec indocti, quos tamen Deus neutiquam finxit huic muneri gerendo, utpote qui aptitudine ad gregem dominicum pascendum prorsus carent.

Quartum illud, quod adesse debet, est, ut ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων animo consignatam habeat. *Expressam formam teneto sanorum sermonum*: alicubi vocatur μορφὴ τῆς γνώσεως & ἀναλογία τῆς πίστεως. Ejusmodi est tam credendorum quàm faciendorum summula contractior. Ad hæc duo capita revocâsse videtur Sp. S. quæ per Scripturas hinc inde latiùs sunt sparsa. Loco dicto sequitur *in fide & charitate. Habens fidem & bonam conscientiam. Credo omnibus quæ scripta sunt, &c. Et ad conscientiam sine offensa habendam me exerceo.* Ὑποτύπωσις hæc sanorum sermonum, 1. Methodicè digeratur. Multùm intererit, ut singula in suâ classe reponantur, ut heterogenea ab homogeneis secernantur, ut generalia specialibus præmittantur, ut ordine quo exsistunt proponantur. Recurrendum ad Methodi magistros, videndum quas fixêrunt leges; systemata Theologiæ varia

Summam Theologiæ compingat. 2. Tim. 13. Rom. 2. & 12. 1 Tim. 19. Act. 24. 15.

perlustremus; quomodo justas Methodi leges prævaricati sunt seriò expendamus, illam sequamur, quæ, postquam singula diligenti trutinâ pensitavimus, methodi legibus maximè consentanea. 2. Singula capita, sive membra, quæ in methodo occurrunt, thesibus generalibus compleantur. Theses hæ, undecunque desumuntur, aut scripturis aut divinâ ratione, communiantur. Operæ pretium erit, 1. Si illis in Theologiâ locis, quæ controversa maximè, thesibus illustrandis inprimis studeamus. 2. Si Theologiam, è confragosis hominum disputationibus extrahentes, eam θετικῶς proponamus: rectum enim, si probè intelligatur, index sui & obliqui. 3. In methodicâ hâc dispositione errores, qui obtinent in seculo quo vivimus, ad quemlibet locum breviter notentur: multùm conducit; ut, in quam Theologiæ partem impingunt hæreses, accuratè teneamus. Hujusmodi μορφὴ τῆς γνώσεως animo consignata, 1. Judicium inprimis confirmat, dum totius Theologiæ seriem, unà cum Logicâ illâ relatione, quam induunt singulæ partes, uno quasi intuitu oculis subjicitur. 2. Hujus auxilio, cùm in loca Scripturæ difficiliora incidimus, veluti filo dirigimur, ut sensum vel saltem fidei consonum tradamus, non illinc errorum portenta procudamus. 3. Ex eâ dum prospicimus, quicunque oboriuntur errores illico detegimus, nósque ab illis, dum fidei analogiæ adhæresimus, facilè liberamus. Atque hactenus de iis quæ adesse oportet in munere capessendo. Sequuntur, quæ ut absint curandum.

CAP.

Cap. XIII.

Cavenda quædam, in munere capessendo.

CAvendum pastori in hoc munere capessendo, 1 Ne se ingerat, ne currat antequam vocetur. *Non misi properas istos, & ipsi currebant*, &c. *Ego non impuli me, ut essem pastor post te*, sic Vatablus: vel *ego non festinavi, ut essem pastor post te*, sic Calvinus. Munus hoc arripit non vocatus, 1. Qui non vocationem suam acceperit ab illâ potestate quæ est in Ecclesiâ; sive benè, sive malè collocatur, id nihil ad essentiam vocationis; ab iis, qui loco Ecclesiæ & Christi sunt, necesse ut vocationem habeat. 2. Si cùm dona quibus munus hoc administraret, nullatenus adfuerint, mediis porrò illicitis ad sacram hanc præfecturam aspiraverit. 3. Si Ecclesia, cui commendatur, justis de causis illum rejiciat. Irrita illa vocatio, quæ tribus his non perficitur. Qui se ingesserit in munus pastorale, 1. Non potest cum authoritate docere; hoc discrimen, inter Christum & Pharisæos, *Mat.* 7. Ubi nobis comperta vocatio, magna inter docendum accrescit authoritas, cùm quis à Deo se designatum recognoscat. Hinc Apostolus Paulus singulas ferè Epistolas à vocatione exorditur, acsi illâ animum in munere fungendo incalescere sentiret. Meticulosiùs & frigidiùs sua omnia peragit munia, qui non vocatus. 2. In iis quæ obveniunt mala, qui non habet cor de vocatione attestans, illico animo labascit. Suggerit conscien-

Ne currat, antequam vocetur. Ier. 23. 21. Ier. 17. 16.

tia nos, cùm à Deo non hic constituti, non posse ab eo auxilium expectare. Solamen quærit propheta, à Deo qui vocârat. Conscientia Dei vocantis, in ærumnis quibuscunque, est murus aheneus; præterea nil. 3. Gregem non nisi negligentiùs curabit, qui non à Deo vocante ejus curam acceperit. Illa sedùm impensiùs ornare animus est, quæ divino jussu nobis commendantur. *Attendite gregi, cui vos præfecit Spiritus sanctus.* Ingerenti se pastori, meritò fas erit populo, suam subterducere obedientiam. *Obediendum præpositis*, sed suis. Nonnisi vocationis vinculum est, quod pastorem populo & populum pastori ferruminat. Quàm hîc deflenda nostræ Ecclesiæ conditio, in quâ non Deum per hominis vocantem modestè præstolantur candidati, sed præpropere ambiendo vocantibus quasi vim faciunt! Ambitiosum hominum genus, gregis Dominici non pastores, sed depastores, non animas Christi sanguine redemptas, sed cuticulam suam curantes, cursitant, anhelant, nullam non movent lapidem, ut optimo quóque beneficio potiantur. Querelæ * Bernardi jam nunc locus est, *Curritur in clero passim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curâ quisquam victurus, cùm ad curas pervenerit:* Interea loci cum plerisque optimè meritis, annon, ut cum infirmo illo ad lacum Bethesdæ decumbente, perinde agitur? ille diu illic commoratus non convaluit, quòd neminem haberet, qui, cùm aqua, angelo descendente, turbaretur, illum in piscinam immitteret. *Dum ego*, inquit, *venio, alius ante me descendit.* Haud aliter res est, cum viris ad munus pastoritium instructissimis,

Ier. 17. 16.

Act. 2.

Hebr. 13. 17.

* Ep. 42.

simis, qui in scholis prophetarum usque ad nauseam consenescere coguntur, eò quòd ambitiosorum quorundam strenuis conatibus, largitionibus, candidatoriâ prensatione antevertantur. Horum præpropere festinabunda μνηστεία, illorum modestiæ omnem præripit vocationis ansam. Legimus in celebri illo, inter arbores, de rege supra se ungendo, conventu; oleam, ficum, & vitem, fructu & usu plurimùm æstimandas, etiam cum invitarentur, imperium detrectâsse; Rhamnum, vilem & abjectam plantam, facilè fuisse exoratum: Perinde viri, qui, pro egregiis animi dotibus, oleam, ficum & vitem referunt, eminentiora in Ecclesia munera, præ modestia, declinant, cùm hominum spinæ & rubi, fungi, bardi, patinis magis quam (ut cum Duareno loquar) paginis incumbentes, ad cathedras Ecclesiasticas aspirant. Petrus Blesensis sic queritur Ep. 12. *O tinea cordium, animarum subversio, cupiditas dignitatum! unde obrepsit hæc pestis, unde invaluit hæc exsecranda præsumptio, ut indigni dignitates ambiant? — Hodie per fas & nefas currunt infelices ad pastoralem cathedram, nec attendunt, quòd sit iis cathedra pestilentiæ, dum sibi & aliis occasio sunt ruinæ. In gregibus & armentis, aries & taurus, corpore & animositate præstantior, alios antecedit; homo verò bestiis aliis bestialior, tantò indiscretiùs & audaciùs præesse præsumit, quantò minùs de virtutum titulis, aut conscientiæ finceritate confidit.* Archidiac. Cantu. ann. Dom. 1200.

Hæc ille. Quin igitur, apage hanc ex Ecclesia benè constituta ἀταξίαν, quâ ambiunt, non ambiuntur, quâ immodestiùs se ingerunt nullo numero habendi, quâ promoventur non probitate sed pretio, non doctrinâ sed obsequio. Quæri hic solet, num sacram hanc præ-

fecturam prensare nullatenùs liceat. Resp. Aptis et idoneis hominibus, sub certis conditionibus, licet; Nam 1. Si expetere licet, tum, licitis mediis desiderium hoc notum facere, fas est. Iniquum enim foret, si desiderium à Deo probaretur, non autem desiderii modesta explicatio. Desiderare
1 Tim. 3. 1. quòd licet, probat illud Apostoli; *Si quis Episcopatum desiderat, &c.* 2. Quorsum se in scholis prophetarum compararent se viri Theologi, nisi, ubi jam instructi, liceret illis suam Ecclesiæ ædificandæ promptitudinem testari? *En ego, mitte*
Isa. 6. 8: *me, &c.* Quorsum, ut spiritualia dona ambiemus, jubet Apostolus, si non eadem exercendi captanda opportunitas? Quid autem hoc aliud est,
1 Cor. 14. 1 quàm, ut iis penes quos eligendi potestas, quâ decet animi modestiâ, nos cognitos faciamus. Ob. At sapit ambitionem? Resp. Ambitio & modesta petitio, non tam in eo quod petitur, discriminantur, quàm in ratione petendi; quòd non eodem animo, nec iisdem rationibus utrique, quod
In 9. Mat. adeptum velit, quærit. *Qui Christum amat* (ait Bucerus) *si quid potest ad gloriam ipsius promovendam, locum piè id faciendi ambire non vere-*
In 1 Tim. 3. 1 *bitur.* Et Calvinus; *Qui ad munus, &c. non tantùm licitè possunt, sed debent etiam antequam in munus sunt cooptati, voluntariâ oblatione se ac suam operam sacrare Deo.* Interim verò hæ adsint conditiones; 1. Judicium esto liberum electuris, ita ut non tam videamur docendi munus prensare, quàm periculum facere, an domino, eo quo cupimus loco, inservi amus. *Ejusmodi petitio, quæ permittit judicium vocanti, non est ambitiosa,* hic Melanchthon. in Ethic. 2. Ita animo sit affectus, ut ei cordi inprimis sit Dei gloria & salus populi, non honores, divitiæ, otium. 3. Æquo
Deut. 18. 6 animo ferat, si non succedat petitio, utpote qui in

Domi-

Domini voluntate, qui aliter Ecclesiæ suæ prospicere potest, totus acquiescit.

Secundò, Qui munus hoc in se suscipit, non sit Νεόφυτος, novitius. Ejusmodi ille, qui, cùm nuperrimè sit ad fidem conversus, veterem sive impietatem sive superstitionem redolet. Sicut Neophytus tunc, scil. tempore Apostolorum, vocabatur, qui adhuc noviter erat plantatus in fide; ita nunc, qui adhuc novus est in conversatione. Gregorius. Probetur primò, dein ministret: Periculum faciat de eo Ecclesia, priusquam ei animarum curam commendet. Sic faciendum, 1. Exemplo Apostolorum, qui, in locum Judæ alium suffecturi, non novitium, sed virum, qui toto tempore cum eis fuerat versatus, eligunt. 2. Neophytus est tanquam tenera planta; quæ ut facilè potest radicitùs evelli, perinde & hic nondum confirmatus potest in Apostasiam, Ecclesiæ perniciosam, labi. Eleganter Gregorius; *Cùm ad ædificium arbusta succidimus, ut priùs viriditatis humor exsiccari debeat, exspectamus; ne si eis recentibus fabricæ pondus imponatur, ex ipsa novitate curvarentur, & confracta citiùs corruant, quæ immaturè in altum levata videbantur: Cur non in hominibus, sic ad animarum curam admittendis custoditur, quod in lignis?* 3. Quid? quòd ejusmodi maturo judicio & diuturnâ experientiâ caret, quæ cùm in omni re, tum in animarum provinciâ administrandâ, plurimùm possunt, καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; 4. Grande imminet periculum à superbiâ, qui cùm modò nullo in numero habebatur, ad cathedram pastoralem evehitur; in rectorum ordinem, priusquam parere didicit, cooptatur. *Non sit novitius, ne inflatus, incidat in criminationem seu condemnationem Diaboli. Sic enim* (ut Chrysost.) *antequam discipulus esset, in*

Ne sit νεόφυτος. 1 Tim. 3. 6

Greg. l. 4. reg. ex 1. gi, epist. 95. Act. 1. 21

Ibidem.

1 Tim. 3. 6

magiſtrum aſſumeretur, quamprimum attolleretur in arrogantiæ faſtum. Meritò id in Eccleſia noſtra culpandum, quòd, qui vix ex ephebis exceſſerunt, Theologiam vix primoribus labiis degustârunt, à nequitiæ viis vel modò rediêre, ſi rediêre, tanquam primipili in concionibus dominantur, per roſtra volitant, et præproperè nimis ad gradum paſtoralem feſtinant. Homines ſunt, ſi homines, muneri tam excelſo protinus inidonei, Theologiæ rudes, lætiores (ut alicubi Bernardus) quòd virgas evaſerint, quàm memores principatûs, ita veluti de ſub ferulâ transf runtur ad paſcendum gregem Dominicum. Aliunde de hoc malo conqueſti ſunt patres Eccleſiæ. Nazianzen. ſic; *Cum nec medici, nec pictoris nomen obtinet quiſquam, niſi prius morborum naturas expenderit, aut multos colores miſcuerit variiſque formas penicillo expreſſerit: Antiſtes contrà facilè invenitur, non elaboratus, ſed recens; quantum ad dignitatem ſimul ſatus & provectus, quemadmodum Gigantes finxerunt Poetæ. Uno die ſanctos fingimus, eóſque ſapientes & eruditos eſſe jubemus, qui nihil didicêrunt, nec ad ſacerdotium quicquam antè contulerunt quàm ipſum velle.* Et alibi idem; *Sacrarium ipſum affectant, priuſquam digni ſint qui ad ſacra accedant; tanquam non virtutis exemplum, ſed vitæ adjumentum & ſubſidium, hunc ordinem eſſe judicantes.* Hieronymus ſic; *Heri Catechumenus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Eccleſia; veſperi in circo, manè in altari.* Et alibi, *Heri κατηχούμενοι, hoc ſunt Epiſcopi; heri Philoſophi, hodie, cùm vix ex Ariſtotelis ſinu prolapſi ſunt, ad Epiſcopatûs dignitatem evehuntur. Doctæ Scripturas, quas non intelligunt; priùs imperitorum magiſtri, quàm doctorum diſcipuli* Bernardus item ſit; *Canales multos hodie habemus & in Eccleſia,*

Epiſt. 42. ad Senon. Archiepiſc.

Orat. in laudem Baſilii.

Apolog. 1.

Ep. ad Oceán.

Apol. ad Domin. in ep. ad Titum.

Ep. 8. ad Nemet. & tom. 3. ep. ad Paulin.

cleſia, conchæ verò perpaucæ. *Tantæ charitatis ſunt per quas nobis fluenta cœleſtia emanant, ut antea effundere quàm infundi velint; loqui, quàm audire parationi; & prompti docere, quod non didicerunt; & aliis præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt.* Conqueſtus olim apud Cantabrigienſes vir gravis, *de præpropera praxi & præpoſtera lectione*; ut à quibus eccleſiæ & peſtis calamitas, Germanicum eſt proverbium, ut Luth. de doctore medicinæ juvene, *quòd ei opus ſit novo cœmeterio*: de Theologo juvene & inexperto, *opus ei eſſe novo inferno.* Serm. 18. in Cant.

Cap. XIV.

De Paſtorum Reſidentia; quàm neceſſaria.

QUÆ in munere obeundo adeſſe oportet, vel ad παρασκδλὴν, vel ad γυμνασίαν pertinent: quæ ad παρασκδλὴν, alia ſunt quibus paſtor ad munus exercendum inſtructior, alia quibus populus ad auſcultandum paratior. Quæ ad muneris exercitium in paſtore παρασκδασικῶς deſiderantur, ſunt hujuſmodi.

Primò, Paſtor ordinariè reſideat apud gregem. 1. Explicandi ſunt termini. 2. Neceſſitas reſidentiæ evincenda. 3. Dicendum, quomodo in Eccleſiam irrepſit non-reſidentia. 4. Quàm Eccleſiæ noxia fuerit.

Reſidentia, eſt paſtoris apud gregem præſentia. Hujus præſentiæ eſt latitudo quædam, intra quam dum ſe continet, haud dici poteſt non reſidere. Latitudo illa, quod ad diſtantiam loci à grege, ejuſmodi Reſidentia quid.

ejusmodi intervallo determinatur, quod non impedit, quin Ecclesiæ cui præest, in quibuscunque officiis pastoralibus, commodè possit inservire: Si ultrà porrigitur, non-residentiæ reum facit, quicunque sic absens erit. Æquum id, cùm residentia ea propter à pastore exigitur, ut quod suum est officium faciat, ut ex eâ definiatur præsentiâ, quæ non muneri fungendo obicem ponit.

Ordinariè residet. Aliquis dicitur ordinariè alicubi esse, ubi maxima ex parte versatur, ubi pedem figit tanquam in centro, ubi ut in loco suo consistit, ut avis in nido, ut apis in alveari, ubi denique per modum habitandi moram facit. Ordinaria hæc residentia non abrumpitur, si justâ de causâ à suis abfuerit. Justæ annumerantur causæ. 1°. Publicum Ecclesiæ vel totius, vel ejus cui
2p.138. deservimus, bonum; ut interesse Synodis. *Bonum partis ordinatur ad bonum totius*, ait Cajetanus, & etiam Augustinus, *Illud noverit dilectio vestra, me nunquam absentem fuisse, licentiosâ libertate, sed necessariâ servitute. Ubicunque à pastore per absentiam suam Ecclesiæ suæ utilitas agitur, ibi quodammodo Ecclesiæ suæ adest:* sic Francisc. Torrens. adversus Ambros. Cath. 2. Ubi personæ pastoris, idque seorsim a grege, certum imminet periculum; secedendo à grege licebit suæ incolumitati prospicere: sic Athanasius. 3. Valetudinis vel recuperandæ, vel, si periculum fuerit, conservandæ causâ. Ex absentia hac id lucrabitur Ecclesia, ut, quod facit benè, faciat diu. 4. Quicquid denique erit justa itinerandi causa: ejusmodi erunt negotia illa, quæ vi alicujus divini præcepti nobis incumbunt peragenda, quibus, vel nobis prodesse, vel aliis, occasio erit. Conditiones quibus regulari debet hæc absentia. 1. Quod non nisi ad tempus. Tempus autem definiendum, vel ab eo,

to, quòd causâ absentiæ cessante una cesset altera; vel à salute Ecclesiæ cui adstringimur, si absentiam nostram ei periculosam futuram pro comperto erit. Fixum illud ratumque, nullam perpetuæ absentiæ assignari debere causam. 2° Quòd solicitè prospiciendum Ecclesiæ, à qua absfuturi sumus, ne quid ex nostra absentia capiat detrimenti. 3° Si; cùm corpore abesse contigerit, spiritu tamen cum iis præsentes simus. Gregor. Naz. sic, de ipso ex agris reverso, cùm per aliquot dies ab Ecclesiâ abfuisset; *Regressus sum, à vobis non quidem abstractus, sed retractus, affectu spiritûs nos agente ad vos. Ego cùm præsens essem minus ex affectu sensi laboris, cùm verò jussu sum abstrahi ac separari, sensi tunc amorem, veluti dulcem quendam tyrannum, &c.* Et Ambrosius; *Eram solicitus in dies singulos, quemadmodum festinanter quotidiè ad Ecclesias veniretis; & quanquam essem de vestra devotione securus, trepidabam tamen, quia hoc ipsum, quod in vobis noveram, non videbam. Eram de vobis anxius, mœstus & trepidus ne quis, me absente, per negligentiam caderet, ne quis Diaboli insidiis laberetur. Ne vos mea contristet absentia corporalis, nam spiritu & cordis affectu puto vos non dubitare nullomodo me à vobis posse discedere.* Sic Aug. Ser. 28. Vide Aug. ep. 138. ad clerum & pleb. Hippon.

Resideat apud Gregem.] Gregem alii volunt totam esse Ecclesiam, ut sic ubilibet vivendi iis copia fieret, nec à grege absunt dum intrà Ecclesiæ universæ pomœria sunt. Quàm malè sibi consulunt, qui sic hallucinantur. Unius duntaxat Ecclesiolæ cura, gravius olim existimabatur onus, quàm ut vel nos vel patres nostri ei ferendo pares fuerimus: Hi, ac si novi essent prognati Gigantes, cùm nullam revera curant, omnium tamen, quæ in tota provincia sunt, Ecclesiarum

Li. 1. ep. 3. Act. 20. 1. 1 Pet. 5. Col. 4.

siarum curam in se suscipere præ se ferunt. Annon aliter Cyprianus? *Singulis pastoribus portio est ascripta, quam regat unusquisque & gubernet.* Aliter Concil. Chalced. ut supra. Aliter lex divina, quæ Ecclesiis singulis singulos assignat pastores, harum seorsum curam cuilibet demandat. Aliter quæ apud nos obtinet lex Ecclesiastica; ut liquet ex formâ institutionis pastoralis. Aliter lex naturæ, quæ, Philosopho teste, non unum ad omnia, sed ἓν πρὸς ἕν, fecit. Quanquam enim non negem, verbi ministros, universalis Ecclesiæ ministros esse, cujus pro re natâ communi bono subservire oportet: multò tamen satius est, quoad ordinarium ministerii exercitium, ut Ecclesiæ particulari, ut gregi sibi peculiariter commisso, invigilet: ne, dum omnes curare præ se ferat, nullam revera cure. Sic Petrus & Paulus, quanquam uterque per universum orbem Apostolicâ authoritate fretus; tamen, quoad exercitium, hic Apostolus Gentium, ille circumcisionis dicebatur. Illa autem altera quàm malesana opinio, vel ex eo videre est, 1. Quòd Christus Asianis Episcopis non unam omnibus, (sic fecisset si una omnium cura) sed singulis singulas mittit Epistolas. 2. Quomodo singulos Ecclesiarum angelos ob neglectum officiorum potuit culpare, si non Ecclesiarum cura seorsim illis incubuisset? 3. Exin sequeretur, neminem posse ἀλλοτριεπίσκοπον esse, si quilibet universalis Ecclesiæ pastor. Ac sic de terminorum explicatione.

Quare necessaria. Cajetan. de resid.

Pastorem teneri ordinariè apud gregem suum residere, hic patebit. Omne præceptum de officio, illa omnia, quæ ei præstando necessariò inser-

ſerviunt, ſuo ambitu comprehendit: tritum hoc in ſcholis. Secus ſibi contradiceret Deus, ſi officium cùm imperâſſet, nos à mediis quibus efficitur, liberaret. Videre hoc eſt in ſingulis præceptis affirmativis, quæ media, abſque quibus non perficiuntur, neceſſariò involvunt. Præcipit autem Deus paſtoribus, ut *gregi cui eos præfecit Sp. S. attendant. Attendere, non convenit in abſentem, ſed in præſentem; ut Attende tibi, &c. non poteſt aliquis attendere ſibi, niſi ſit apud ſe; ſic neque gregi, niſi apud eum fuerit;* ſic Torrent. *Paſtor tenetur ad curam animarum, mediantibus quibuſdam actibus perſonalibus, ut doctrinâ; &c.* hic Cajet. Conqueritur Deus, quòd *oves morbo affectas non confirmârunt, ægrotam non curârunt, confractam non obligârunt. Te dedi paſtorem in ſpeculatorem domui Iſraelis, ut audias ex ore meo verbum, moneas ex me.* Mandat porrò Deus, ut paſtores ſint *gregis exemplaria*, ut in ſuos utantur inſpectione paſtorali, ut *pro animabus eorum invigilent*, ἀγρυπνῶσι· ut *gladium* ingruentem prædicet; ut *fidum & prudentem diſpenſatorem* ſe oſtendat, *qui familitio ſuo, tempore præſtituto, det ſuum dimenſum.* Jam verò paſtoris præſentiam, neceſſarium eſſe medium, abſque quo impoſſibile ut quod ſuum eſt faciat, evinco, 1° Scripturis; teſtantur hæ, ubi miniſterium obeundum, ibi debere miniſtrum agere. *Ipſi Levitæ miniſtranto tabernaculo, & circa tabernaculum caſtra habento. Ne ſit ira fervens contra cœtum filiorum Iſraelis. Eli ſedit in ſolio, ad poſtem templi Jehovæ. Diu noctúque manebitis in tabernaculo, obſervantes cuſtodias Domini.* Levitarum cubicula contigua fuêre templo. Quorſum Levitæ, ex Jahakobi vaticinio,

Act. 20.

Ezek. 34. 4.

Ezek. 3. 7.

1 Pet. 5. 2.

Heb. 13. 17.

Luc. 12. 42

Num. 1. 50, 53.

1 Sam. 1. 9, 12.

Lev. 8. 35.

1 Chr. 28. 11, 12.

Gen.

Gen. 49. 7. per omnes tribus Israelis dispergendi, nisi ut *docerent judicia sua Jakobum, & legem suam Israelem?* Annon pastori id essentiale, ut procedat ante gregem, ut veniat ante suos, educat, reducat eos? Hâc proverbiali loquendi formulâ, ejusmodi notatur administratio quam exercet qui nobiscum versatur; ut Christus, dum apud suos commoratus est, dicitur ἐξελθεῖν καὶ εἰσελθεῖν, *Act.* 1. 21. Verbum προσέρχεσθαι, quod occurrit ad 1 *Cor.* 9. 13. perpetuam assiduámque muneris curam insinuat. Non posse pastorem, qualem oportet fructum ex suo ministerio habere, nisi præsentem, probat illud; *Volui venire ad vos, ut in vobis mihi esset fructus.* Non posse, pro commodo Ecclesiæ, ut ejus varia conditio exigit, vocem mutare, liquet; *Vellem apud vos esse, ut mutarem vocem.* 2° Constat vel lumine naturæ, ubicunque officium præstandum, ibi adesse debere cui ejusdem præstandi cura incumbit: absentia, muneri fungendo ponit obicem. *Quosdam exilia in loco tenent, quosdam sacerdotia*, ait Seneca. *Quis, nisi mentis inops, in dubium vocabit, utrùm janitor, cui cura fores claudendi recludendique commissa est, ad januam assistere debet? cui navis gubernatio incumbit, an ad clavum sedere oportet?* ait Dominicus Soto. *Sumus nos speculatores, annon speculatori arci cui præponitur attendendum? Sumus nos boves triturantes, quis nescit boves ibi animam agere ubi opus faciendum?* ait Cavanza. *Oportet te gregem dominicum minimè servandum suscipere, aut susceptum nequaquam relinquere*, ita Bernardus. *Sumus nos milites, annon statio nobis; nisi aliter velit dux, qui est solus Christus, servanda? Quis militem sibi in familiæ tutelam conduceret, & illum aliorsum vagari pateretur, ut conductor sit præ-*

Deut. 33. 10

Num. 27. 17

Rom. 1. 13.

Gal. 4. 20.

De Tranq. vitæ.

Tract. de resid. cap. 5.

Ep. 88. & 153.

præda hostibus, dum miles in alieno versatur? ait idem Caranza. Debemus nos exemplaria gregis esse, ilque ejusmodi ut maximè interfit gregis, annon exemplaria tum maximè prosunt cùm oculis subjiciuntur? annon Deus verbo auribus, oculis, vitâ exemplari consultum voluit? ut suprà. *Hoc est ire ante oves, pastores nempe propositos esse populi ante oculos tanquam picturam quandam quam aspicient, ad imitandum*, sic Torrensis de resid. Est pastor ignorantium lux, lucem autem natura docet nisi præsentem lucere non posse. Quid enim opus est tantam solicitudinem & vigilantiam adhibere ad eligendum digniorem quantum jura omnia clamant, si satis Episcopo est alios Ecclesiæ suæ ministros delegare? Atque sic evicimus pastorem ad ordinariam residentiam teneri. Sequitur ut iis quæ contrà objici solent respondeamus.

Cap. XV.

Argumentis pro non-residentiâ respondetur.

Qui non-residentiæ patroni, sic argumentantur.

Argum. 1. 1° Nullus ad id suâ personâ ordinariè præstandum tenetur, quod potest per vicarium perfici. At gregem potest quis ordinariè per vicarium pascere. Ergo, &c.

Respondetur; negando minorem: nam 1° Est regula apud Jurisconsultos, *Quod alicui, pro suâ*

suâ fidelitate concreditur, ejus cura, nisi sic exprimat depositor, non potest alteri transmitti; ut prorex non potest alterum proregem constituere. Curam gregis qui pastori demandavit, Dominus Jesus, nullibi id concessit, ut quis, quæ illi incumbunt, ordinariè per vicarium perficeret. Secùs sic loqueretur Sp. S. *Attendite vobis*, & vicariis vestris, non *gregi*. 2° Ubi labor, ut qui omnium maximus; ubi difficultas, ad quam τίς ἱκανός? si poterat per alium hoc munus ordinariè administrari? An tantæ molis erit alium substituere, reditus percipere, quandoque ne quid in locatione depereat revisere? Ad quid Christus in cœlos ascenderit, ut plenitudine suâ dona omnium clarissima pastoribus impertiret, si vicarii opera sufficeret? 3° Quod alicui mandatur ratione donorum, quæ huic vel illi populo idonea, nec in alio occurrunt, id, cùm personale, non potest per alterum solvi. Sic Caranza. Industria personæ tuæ, non alterius, eligitur. Nomen pastoris (ait Maldonatus) significat actionem pastoralem, sicut nomen medici. Itaque, sicut nemo potest per alium curare, ita nemo potest per alium suas oves pascere. Nec quicquam valet responsio communis, Satis esse per vicarium laborare; quia, per eandem regulam, satis esset manducare per alium; quia sic scriptum, *Qui non laborat, non manducet*. 4° Si debitum personalē potest ordinariè per alterum præstari, quorum donorum, in iis qui eligendi, ratio haberetur? quorsum examinando explorarentur? illud duntaxat quæreretur, num alterum substituendo pares. Qui munus pastorum in hoc collocant, ut bonos habeant sibi subrogatos ministros, non vident quemadmodum leges universas electionis de medio tollant. 5° *Delegare alterum suo loco*,

Act. 20.

Mal. Sum. qu. 10. art. 3. 5, 6.

loco, est imperii, non obsequii, sic Amesius. *Facere officium per alium est dominii, non ministerii*; sic Cajetanus. Regia autem illa potestas, quâ quis agit pro suo arbitrio, est solius Christi; nos ministri sumus, non domini, & proin nostrâ persona faciendum quod mandavit ἀρχιποίμην Christus. *Repugnat ministro, habere ministrum; quandoquidem ministri est ministrare, non recumbere; præcinctum esse ad opus, non substituere operarium*, sic Jacobus Maclantus Episc Chigiensis. 6. Sic respondet Caranza; *Quod homines omnino fieri in suis rebus non paterentur, ferat pater cœlestis, qui se bonum pastorem & bonum patrem-familiâs vocat, & est? An, si ministros qui tibi inserviunt, quorum his pecuniis, alius villæ, tertius mensæ, &c. ferres, ut hi omnes per vicarios tibi ministrarent? quod tu in equis curandis aut condiendis cibis non ferres, postulas ut Deus & homines ferrent in re tanti momenti?* & paulò suprà, idem. *Si Tridentini medicum sibi conduxissent, ut illis in ægritudinibus subveniretur, idque magna mercede, num paterentur illum Mediolani agere, & nescio quem alium Tridenti relinquere? Nonne clamarent omnes, alium sibi quærendum esse medicum, & absenti nihil solvendum, &c.* Et paulò post, *Dic mihi, quis tam vecors erit paterfamiliâs, qui gregem suarum ovium patiatur à proprio pastore deseri, & à conductitio pasci, quem ille accersit, datâ aliquâ portione justæ mercedis; quam à patrefamiliâs accepit, ut reliquum mercedis devoret, ubi relicto grege libeat occupari, ne dicam deliciari.* Hæc ille. 7. Qui alium surrogat, & animum à grege dominico alienum, & summam in Christum ingratitudinem, prodit. Ipse, ut observat Petrus Martyr, cùm nos servatos voluit, non misit angelum,

In Medul. Theol. 2a 2æ qu. 185. art. 5.

1 Pet. 5. 8.

Vide opuscula varia de residentiâ pastorum in Bibl. Dom. Petri Cantabrig.

Tract. de resid. cap. 11 Vide etiam Domin. cum Soto lib. 10. c. artic. 3.

Loc. com. class. 4. c. 5.

gelum, ſed ipſe venit, ipſe carnem aſſumpſit, ipſe æſtum diei & iram patris ſuſtinuit, ipſe pro nobis mortuus eſt: annon pudeat nos, quæ nobis, ut amoris noſtri in illum ſpecimen, curanda mandavit, ea aliis tranſmittere? Author eſt, ſi benè memini, Macrobius, militem quendam qui Cæſari in bello Actiaco inſervierat, ejus in lite quam habuit forenſi opem implorâſſe: Imperator annuit; at cùm per internuncium id facturum animadverteret, miles abnuit, niſi quod faciendum ſuâ perſonâ faceret: nec id ſolùm miles, ſed & pectus nudavit, vulnerum cicatrices, quas ſuâ perſonâ ejus causâ receperat, oſtendit. Annon ſecum iniquè actum conqueratur Dominus Jeſus, cùm, noſtrî causâ, iram patris immenſam in ſuâ perſonâ ſuſtinuit, ſuis in corpore vibicibus nos ſanavit, ſi, quod in ovibus paſcendis ejus causâ nobis faciendum aliis demandaremus, nos interim in utramque dormiremus aurem? Quò chariores nobis vel liberi vel amici, eò impenſiùs nos ipſi eos curamus, eorum curam aliis ablegare ægrè ferimus; ἄροτον hoc in paſtoribus, ut pretio conductitio ſuos alteri lactandos locent. Damaſus meretricibus aſſimilat, quæ natos ſtatim infantes ſuos nutricibus, quò citiùs ſuam expleant libidinem, educandos tradunt. Eckius ſic, *Annon amori, quem paſtoribus ineſſe oportet, conveniret potiùs, ut ipſi ſuâ perſonâ filiolis ſuis in Chriſto cibum miniſtrarent, iis invigilarent & quaſi propria ubera exponerent?* 8° Levitis vitio jam olim vertit Dominus, non ſolùm quòd corde & carne præputiatos in Sanctuarium introduxêre, ſed quòd alios ſubſtituêrunt, non ipſi ſuâ perſonâ obſervarent obſervationem rerum ſanctarum. Liquidò hoc conſtat, 1° E contextu, ubi duplicem Levitis

Hom. 1. de Steph.

Ezek. 44. 8

Deus

Deus intendit litem, & quòd alios ſubſtituerunt, ipſi *non obſervaſtis ſed ſubſtituiſtis*, & quòd *incircumciſos* ſubſtituerunt. 2° A primâ cujuſque ad ſuum munus aſſignatione præcipitur, ut ſuâ perſonâ quiſque quod obeundum obiret; *Cuſtodia horum*, non aliorum quos ſubſtituent, *eſt arca & mensa & lychnuchi.* 9° Si quis, Deo ſuffragante, poterat ſuum omne per vicarium officium exſequi, unâ operâ ſe à ratione, ob gregem malè curatum, reddendâ liberaret: At non ſic, cùm per prophetam ait Jehova; *Sanguinem eorum requiram de manu tuâ, quem præfeci ut vigilem Eccleſiæ.* Οἱ ἡγούμενοι, *qui præſunt vobis, Deo reddituri ſunt rationem.* Illis, non neſcio quibus mercenariis, Deus magno cum tremore aliquando objiciet, *perditam non quæſiviſtis.*

Num. 3. 31. & 4. 19. 49

Ezek. 34.

Heb. 13.

Secundò ſic arguitur. Si ad reſidentiam ordinariam tenetur paſtor, tum eapropter quòd non debetur beneficium, niſi propter officium iis præſtitum à quibus beneficium: at fallit ſecundum. Ergo, &c. Fallit ſecundum; quia ex eo ad beneficium jus, quòd aliis, utcunque non iis à quibus beneficium, operam impendit. Reſpondetur, 1° Ad majorem. Conſequentia infirma; cùm hæc una duntaxat cauſa eſt reſidentiæ; deficit, quod non ſufficiens enumeratio cauſarum propter quas paſtor populo obligatus. 2. Minor propoſitio, eò vacillat, 1. Quòd vel lumini naturæ contrariatur. Stipendium & opus ſtipendii cauſâ obeundum, merces & labor mercedis cauſâ, invicem ſe ponunt & auferunt; ſtipendium debetur operanti, non quòd alienum, ſed ſuum, de quo contrahitur, opus fecit: debetur merces, non aliud agenti, ſed id cui promittitur merces. *Paſcam gregem tuum, ſi dabis mihi mercedem.*

Argum. 2.

Vid. Num. 18.

Gen. 30. 31.

Exod. 2. 9. Rom. 13. 4. *cedem. Lactato puerum mihi, & ego dabo tibi mercedem.* Magistratui, *propter hoc solvenda tributa, quòd est minister tuo bono. Ubi stipendium pro opere penditur naturalis ratio illico demonstrat, non satis esse vicarium constitutum, etiamsi digniorem te ipso substituas: est enim ille veluti auxiliarius, qui ideo Episcopum non excusat quin passim, quod valuerit, efficiat.* Soto. artic. 3. Causidico non debetur pensum, quòd in foro causas egerit; sed, quòd meam. Medicus, non quod aliis ægrotantibus, sed quòd mihi succurrit, mercedem vendicat. Exigit servus de quo pactus est stipendium, quòd heri non vicinorum, negotium curaverit. Quàm id iniquum, ut Pastor Evangelicus ab iis reposceret beneficium, quibus nullum, vel non quod convenit, præstitit officium? Vel lex naturæ mercedem, operi propter quod merces spondetur, adjunxit; ab illo in cujus opere versamur, merces expectanda, non ab alio. Hoc sensit Erasmus, cùm ei aliquando suasit Episcopus Cantuariensis, ut beneficium acciperet; ille fic, *Quâ fronte illorum fruar pecuniis, quibus concionari non possum, nec monendo, nec consolando adesse, nec boni pastoris officium præstare?* At Episcopus, *posse illum libros conscribendo Ecclesiæ utilem esse*; cui rursus Erasmus, *fatebar amicè dictum, mihi tamen non persuasit.* Sic & Rainoldus, cùm, ex obitu Walsinghami, à quo pensionem, ut controversiis publicè legendis incumberet, accepit, periculum esset opus illud interrumpendum fore, nisi Essexiæ comes stipendium suppleverat: Non fas esse, inquit, arbitrabor, in hoc quo cœpi curriculo versari, ut interim è fructibus qui Pastoribus & Doctoribus aliarum Ecclesiarum sunt assignati, viverem. Apostolus quidem dicit se, alias

Num. 18. 1 Cor. 9.

spoli-

ſpoliâſſe Eccleſias, accepto ſtipendio ab aliis, ut Corinthiis inſerviret. Sed erat ille Apoſtolus; qui nec ſemper uni & eidem Eccleſiæ, per vocationis ſuæ rationem inſervire poterat; nec, à quibus ſtipendium accepit, in eum finem accepit ut iis ſolis inſerviret, ſed ut quemcunque in locum à Domino mitteretur, ibi Evangelium annunciaret. Noſtra conditio ratióque alia eſt; quorum, tum munera certis Eccleſiis docendis & paſcendis deſtinata ſunt; tum Eccleſiæ, quos miniſtris attribuunt fructus, idcirco attribuunt, ut iis ſpiritualia ſeminarent, qui ipſorum carnalia meterent. Et quanquam ex juris quod invaluit præſcripto, ſint quæ appellantur *beneficia ſine curâ* coram hominibus, tamen jus divinum eos exſecratur, qui lanam gregis induunt, & gregem non paſcunt; fortaſſe & æquitas juris humani, cujus celebre eſt illud ἀξίωμα, *Beneficium dare propter officium.* 2° Vacillat minor, quòd Scripturis adverſatur; formulæ enim illæ loquendi hoc evincunt, beneficium non deberi, niſi ob officium iis præſtitum à quibus beneficium. 1 Cor. 9. 1. 4. *Vos eſtis opus meum in Domino, apud vos habemus poteſtatem edendi & bibendi*, verſ. 7. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus, non alterius, non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit?* v. 9. Ubi comedendum *bovi*, niſi ubi *triturat?* v. 11. *Si ſpiritualia vobis ſeminavimus, magnum eſt ſi veſtra carnalia meſſuerimus?* 1 Theſſ. 5. 12, 13. *Eos agnoſcatis*, illos ſc. remunerando, *qui laborant inter vos, qui præſunt vobis, eos ſupra modum charos ducatis propter opus ipſorum.*

De lib. Apocryp. præl. 131.

At hoc argumentum ſic porro urgetur. Si reditus Eccleſiarum ſint penes Rectores, ut pro ſuo arbitrio in bonum Eccleſiæ diſponant; tum id

non neceſſe, ut nullus accipiat beneficium, niſi ubi & quibus præſtitit officium. At verum primum. Ergo. Sequela nititur hoc fundamento; quòd in damnum Eccleſiæ quandoque cederet, niſi ab una Eccleſia ad alteram reditus transferre fas eſſet.

Reſp. Non id negamus, quin poſſunt Eccleſiarum reditus diſponi in bonum Eccleſiæ; at, pro arbitrio rectorum poſſe diſponi, id negamus. Videndum hîc quousque hæc redituum tranſlatio licita, vel illicita. Licita ut ſit, 1° Sit in fine rectitudo; ſic eſt, cùm bonum commune, non privatum, transferentibus obverſatur. Non igitur ut hic vel ille diteſcat, ut gradui in Eccleſia ulteriori viam muniat, ut luxurietur, ut pompaticè vivat, reditus Eccleſiarum poſſunt huc & illuc transferri. 2. Requiritur, ut media, quæ ducunt ad finem, ex regula æquitatis ordinentur. Hæc autem poſtulat, 1° Ut nulla ſit hujuſmodi redituum tranſlatio, niſi ubi alia non ſuppetit ratio, quâ in publicum Eccleſiæ bonum laboranti conſuli poteſt. Sic, de publicis in Scholis prophetarum profeſſoribus, videant Rectores, annon aliunde potiùs, quàm ex Eccleſiarum reditibus, ſunt alendi. Utcunque enim particularis Eccleſiæ eſt, potiùs de ſuo jure cedere, quàm ut non promoveatur bonum publicum; gravamen tamen erit hæc redituum tranſlatio, ubi aliter Eccleſiæ bono proſpici poteſt. 2° Qui aliò transferuntur reditus, non cedant in præſentis Eccleſiæ damnum Paſtori, qui gregi invigilat, commeatus, quo ſe ſuóſque liberaliter ſuſtentet, quo item ξενίαν exerceat, ſuppeditetur. Si quid ex abundanti; poteſt Eccleſia, prout exigit commune bonum, aliò diſponere. 3° Illud cavendum, ne ditior Eccleſia pauperioris ad ſe attrahat reditus; hoc eſt, quod pro-

prohibet æqualitas, ut alii relaxentur, alii eorum relaxatione affligantur. 4° Illud nullatenus committendum, ut in quem transfert Ecclesia, pro bono publico, redituum portionem, ei curam animarum, unde reditus desumuntur, imponat. Iniquè id comparatum, ut qui muneri, cui designatur, non nisi par, alio cui impossibile est ut attendat implicetur. Si præcones Evangelii ad Indis concionandum emittendi; poterunt Rectores, cùm nulla alia occurrit ratio, à quolibet opimo beneficio pensionem exigere; at id injustum, ut gregis pascendi, ex pensione percepta, cura illis incumberet. His prælibatis, videndum quà claudicat argumentum. Negatur propositio minor: nec enim potest Ecclesia, nisi quod jure potest; id autem exigit jus, ut & finis translationis sit bonum non privatum, sed publicum; & media, quæ ducunt ad finem, sint secundum regulas justitiæ ordinata. Non sic, quæ apud nos obtinet, redituum Ecclesiæ translatio. 2 Cor. 8. 41

Tertiò objici solet. Quæcunque non nisi jure humano nituntur, ab iis quis potest eodem jure relaxari? At parochiarum & sortitio, & designatio ad gregem, nonnisi jure humano nituntur. Ergo, &c. Argu. 3.

Resp. 1. Negando minorem. *Quod enim homo facit Dei instituto, id non homo, sed Deus facit*, ait Dominicus Soto. Si rex inferiori magistratui quid mandet, regis authoritate id fieri dicendum, non ejus qui substituitur. Quando homines cœtus Ecclesiasticos disterminant, utcunque error sit in modo, at id ex authoritate quam Ecclesiæ commendavit Christus. Est divinæ institutionis, ut ad invicem distinguantur greges, prout possunt in unum convenire. Quando hic vel ille separatur ab hominibus, ad hunc vel illum Lib. 1. de just. & jure.

curandum gregem, annon id fieri dicimus authoritate quam in Ecclesiæ gremio Christus depoſuit? *Sp. Sanctus vos gregi præfecit.* Ita non tam Ecclesia, quàm Christus per Ecclesiam, dummodo ejus obſervantur leges, facit id quod tam in cœtibus dividendis, quàm in paſtoribus vocandis, fit. 2. Aliud eſt jus divinum, aliud juris divini uſus. Jus eſt facultas & præceptio faciendi id quod Deus inſtituit. Uſus eſt exercitium, quod in facto conſiſtit, & relinquitur prudentiæ eligentium. *Malè inferunt*, ait idem Soto, *qui electiones eſſe de jure humano volunt, ex eo quòd uſus juris ſit arbitrio & judicio humano. Multa ſunt* (ait Caranza) *quorum inſtitutio generalis facta eſt, ex jure divino, vel naturali, quorum tamen determinatio particularis fieri debet per jura humana ſive poſitiva*; v. g. *Obediendum præpoſitis, ſive prælatis, eſt præceptum à jure divino*; *Non eſſe accipiendas res alienas, eſt præceptum à jure naturæ. Quòd ego ſum prælatus hujus vel illius Reipub*; *item, quod hæc tunica ſit mea vel alterius, faciunt jura humana. Ad hunc modum Epiſcopus exercere per ſe officia ſacerdotalia in ſuis Eccleſiis, ac proinde in iiſdem reſidere, eſt præceptum à jure divino. Quòd autem ego ſum Epiſcopus Tridentinus, aut Veronenſis, hoc faciunt jura humana; quamdiu fuero Tridentinus, tenebor ibi reſidere*, &c. Hæc ille. *Electio Epiſcoporum, diviſio ovilium, injunctio curæ paſtoralis, vox illa, Vade & prædica populo tibi commiſſo, hæc σωματικῶς καὶ ὑπουργικῶς ab homine immediatè fiunt*; *ſpiritualiter verò καὶ ὡς κυρίως ἐνεργοῦμεν, à Deo per hominem. Deus enim eſt qui dividit charismata Spiritûs, qui committit curam animarum, denique qui poteſtatem paſtoralem tribuit*; ait Torrenſis de Reſidentia, adverſus Catharium. 3. Non negamus, quin relaxet

Act. 20. 28

huma-

humana authoritas vinculum quod connexuit, dummodo illud faciat ex eodem instituto quo connexuit. Unà junxit officium & beneficium, cùm pastoribus animarum curam demandavit; ab utrisque pariter relaxet.

Ultimò, quòd suis vicibus concionando (ut quater in anno, vel semel in mense) potest præstari, id non necessariò vendicat ordinariam residentiam; at pastorale munus potest sic præstari. Ergo. Argum. 4.

Resp. Negatur minor. 1. Quorsum id ferret Deus in pastore animarum, quod nullus in ovium pastore? Num dominus, vel pecudum, in eo acquiesceret, quòd quandoque gregem invisat? 2. Id exigit Deus, non solùm ut apud suos concionetur quis; sed ita concionari oportet, ut maximè è re populi. Qui autem id faciet, cùm faciem gregis non cognoscat, hospes planè sit in moribus suorum, gnarus planè, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Nullus potest gregem dextrè affari, nisi qui, cùm apud eos ordinariè resideat, exerceat pastoralem inspectionem. 3. Nil tam utile est, quod, in transitu, prosit: instando, urgendo, tempestivè, & intempestivè, populus lucrifaciendus & ædificandus. Vulnera non curantur, nisi indies repetantur pharmaca; nullum opus, ministeriale inprimis, quod non ex intermissione damnum patitur. Ut ferro, sic cordi, dum ignescit, quam velis, inducas formam: si deferveſcat, de novo & fornaci immittendum, &, ubi ignem conceperit, iteratis ictibus percutiendum. Compertum id, posse ictus iteratos, quod non possunt intermissi: illic, ictus ictui viam facit; hîc, post moram, contrahit, tam ferrum quàm cor, reduplicatam duritiem. Qui in quocunque opere mechanico; opus, ut relinquunt, sic 2 Tim. 3.

reperi-

reperiunt : non ſic concionator. Projectum ſemen, qui hominum ſaluti inſidiantur hoſtes, indies ſuffocare conantur. 4. Aſſiduitas periculorum, quibus indies exponitur grex, non menſtrualem, ſed ordinariam reſidentiam flagitat. Hinc de novo ſuas tentationes redintegrat Satanas; illinc mundus ſuis blanditiis dulci modulamine ſolicitat: hinc, ab hæreticis, ſchiſmaticis; illinc, à carne ad malum inſtigante imminet periculum. Putaret quis Diabolum, quem teſtatur Apoſtolus, *tanquam Leonem rugientem obambulare* (actu ſc. continuato) *quærentem quem devoret*, horum greges, ut luxaticos, niſi ſemel in menſe inteſtare? Si hoſtis nullas concedit inducias, quorſum non aſſiduè invigilaret, qui hoſti bellum indicturus? Atque ſic de iis quæ contrà objici ſolent. Sequitur, ut, unde in Eccleſiam irrepſit, dicam.

CAP. XVI.

Non-reſidentia unde irrepſit.

Auth. Hiſt. Trid. lib. 2. p. 218, edit. 1620.

DIſtinctio illa beneficiorum, quâ alia reſidentiæ, alia non-reſidentiæ dicebantur; quam vocat bonus author *perniciosam & nunquam ſatis deteſtandam*; purioribus Eccleſiæ ſeculis inaudita prorſus. *Quæſtionem, de reſidentia Paſtorum, apud antiquos admonitam quidem ubilibet, videre poteris; diſputatam verò vix unquam*, ait Soto. Cum demum ad faſtigium primatûs ſui feſtinabat ocyùs Antichriſtus, tum nata

nata est hæc qualiscunque distinctio. Quæ ministrorum à suis gregibus non-residentiæ occasionem dedêre, hæc.

Primò, cùm beneficia (ut vocant) & conferebantur & accipiebantur, non, ut Ecclesiæ cui annexa administrarent qui accepêre, sed ut favores vel dignitates, quibus qui contulêre, de se aut benè meritos remunerabant, aut ut mererentur provocabant. Duplex erat hic error: 1° Qui sic accepit, ut præmium vel factorùm, vel faciendorum; ille nullatenus gregem curabat. 2° Non dabatur, ab eo qui contulit beneficium, ut Ecclesiæ cui conjunctum inserviret, sed ut dignitas & emolumentum ex eo accipienti accresceret. Quod dico observavit historicorum facilè princeps. Auth. hist. Trident. *Anno septingentesimo (ait ille) Ecclesiastica ministeria in dignitates, honorifica pro officiis præstitis præmia: ita, ut priùs, persona quæ Ecclesiæ necessitati inserviret eligebatur; sic postea, gradus, emolumentum, aut dignitas personæ qualitati accommodabantur. Hinc exercitium ministerii per vicarium emanavit, & exinde sequata est non-residentia. Et reverâ, ubi industria personæ non eligitur propter opus; sed personæ dignitati, loco vel dignitate collatâ, consulitur; non postulat ratio, ut suâ personâ laboret.* Hæc ille.

Secundò, Romani Pontificis magnificentia, quâ supra omnes Reges terræ efferebatur, necessariò id postulabat, ut, qui ei assidebant Cardinales & Episcopi, principes pompâ mundanâ æquarent. Egregia fuisset in eo ἀνωμαλία, si ministri Ecclesiarum qui Romæ vixêre antiquam simplicitatem retinuissent, & Papa ad culmen dignitatis aspirâsset, quâ mundi illustrissimos Monarchas superaret. Et porro, vel ex eo Pontifici

fici gloria & majestas multò auctior, quòd Cardinalium coronâ, qui principum socii, circumcinctus; nulla autem commodior occurrebat ratio, quâ Romanæ Curiæ pomposa dignitas sustentaretur, quàm si reditus Ecclesiarum ei poterant aggregari. Hinc erat, quòd, ut privilegium Petri, vendicabat collationem omnium, quæ ubivis terrarum, dignitatum Ecclesiasticarum: atque, quousque apud principes in his conferendis prævaluit, Cardinalibus & Episcopis, qui ei cum magno apparatu assidebant, eas omnes largitus est. Hinc natæ dispensationes de beneficiis retinendis usque ad ducenta, trecenta, & ultrà, ut suprà dictum. Hoc novum aucupium, per multa secula, columen fuit fulgentis illius gloriæ, quâ Roma advenarum oculos perstrinxit, & principes terræ longo intervallo post se reliquit. Hoc cùm Papæ illi omnes, qui tempore Concilii Tridentini vixêre, perspexerunt; toto conatu incubuêre per legatos, ne quid detrimenti pateretur non-residentia prælatorum: hunc flosculum, ut è coronâ fulgidum maximè, avelli nullatenus ferebant: 1° Illud, præ cæteris, legatis Italis, qui à Curiâ Romanâ stetêre, in mandatis datum; ut omnes, de reformatione Curiæ, idque præcipuè in articulo non-residentiæ, sermones studiosè diverterent: quod ab illis, ad minimum, sexies factitatum. 2° Cùm negotium reformationis, quod ad residentiam, vehementiùs prosequebantur, qui concilio interfuêre, Theologi; ut declinarent, Concilium Bononiam transtulerunt qui Papicolæ; ac si totius Ecclesiæ Romanæ fortunæ in hâc navi periclitarentur; quidvis potiùs perpeti parati, quàm ut hanc non-residentiæ Helenam sibi eripi paterentur. 3. Cùm periculum erat, Concilium in sententiam

Vide Mat. Paris. in Henr. 3. p. 639.

eorum

eorum iturum, qui non-reſidentiæ prælatorum adverſabantur; quanto terrore perculſi ſunt Romanenſes? ait Hiſtoria, *Tota Roma contremuit.* 4. Cùm reſidentiam paſtorum tanto impetu urgebant Hiſpani Theologi, ut nullatenus obſiſtere potuère, quin decretum fieret; negotiabantur cum Pontifice, ut, quod neceſſe erat fieri, id conditionibus appoſitis irritum redderetur, cùm adhuc in poteſtate Pontificis eſſet diſpenſationem concedere. Hâc ut ſuccederet viâ, Paulus tertius, *ex Italiâ, validam manum quadraginta Epiſcoporum auxiliariorum miſit; quorum plerique tum recèns creati erant, &c. ut ſuffragiorum multitudine, in illius quæſtionis definitione, poteſtatem à reſidentia ſolvendi ſibi retineret*; ſic Gentilatus. 5. Cùm, exacto concilio, plures qui operam navâſſent Cardinales effecit, alios occaſione aliarum dignitatum auxit, neminem eorum qui in causâ non-reſidentiæ ei contrariabantur, remuneravit. Annon pudeat Evangelii Chriſti miniſtros eandem cum Curiâ Romanâ Helenam exoſculari? ejus causâ tanto zelo exardeſcere, ut nullatenus ferant qui in illam inſenſior?

In examin. conc. Trid. li. 4. ſeſſ. 23.

Tertiò, Tum demum invaluit non-reſidentia paſtorum, cùm & paſtoris officium in rem nihili redactum, & via ad ſalutem magis, quàm oportebat, compendiaria facta eſt. Receptum id, per aliquot annorum Centurias, Epiſcopi officium duntaxat eſſe, omnibus modis pſalterium noſcere, &, in promptu ut haberet, legere ſcrutabiliter & non tranſitoriè divinam ſcripturam. Sacerdotum id duntaxat erat, noſcere librum Sacramentorum, peritum eſſe in computo, pſalterium noſcere, & Homilias, per circulum anni, dominicis diebus & ſingulis

lis festivitatibus aptas, ad manum habere. Pastoribus, aut iis saltem qui pastorum loco fuêre, nihil mandatum, nisi ut missificarent. Quòd ad salutem adipiscendam illud sufficere credebatur,

Decret. p. 1. dist. 38. cap. 5. & 6. *credere ut credit Ecclesia*; ignorantia pro devotionis matre habebatur. Quid mirum, si pastores, parùm de grege soliciti, hoc qualecunque officium aliis peragendum delegârunt? Si fides implicita ad salutem sufficeret, quorsum assiduis laboribus in populo docendo se conficeret pastor? Egregia hæc Satanæ astutia, ut quò liberiùs à suis abessent pastores, & officium eorum extenuare, & viam ad salutem per ignorantiam effingere. *Propterea Episcopi obligationis residendi obliti sunt, quòd non putant alia sibi incumbere onera, quàm lites audire, & semel in anno ordines conferre.* Soto lib. 10. artic. 2. Hinc apud nos obtinuêre hujusmodi Paradoxa; *Anglicana Liturgia est optima prædicatio: quicunque baptizantur, necessariò regenerantur.* Hinc est, quòd, in opprobrium verbi prædicatorum, quidam preces publicas immodicè laudibus efferant; Homiliarum lectionem, ut æquè populo profuturam, strenuè defendunt.

Quartò, Ex abusu *Commendationum*, ut dicuntur, irrepsit non-residentia ministrorum. *Cùm enim, priscis temporibus, Ecclesiæ vacanti pastor idoneus statim præfici non poterat; interim, ut ea evitarentur mala & incommoda, quæ ut plurimùm parit ἀναρχία, solebat Ecclesia vacans alteriùs Ecclesiæ ministro commendari, qui non ejus pastor perpetuus, sed custos temporaneus, futurus erat*; Sic Duarenus. *Decursu temporis, non in Ecclesiæ bonum, sed gratiam ejus, qui cùm primò nonnisi fiduciarius, ad tempus duntaxat custos erat, ejusmodi concedebantur in perpetuum commendationes;*

De benef. lib. 5. cap. 7.

nes; Sic refert author hiſt. Conc. Trid. *ita res longè utiliſſima, & ad conſulendum Eccleſiis vacantibus inventa & excogitata, tandem in ipſarum perniciem peſtémque mirabiliter converſa eſt*; ut Duarenus. Hâc ratione Epiſcopatus in toto orbe ditiſſimos Cardinalibus ſuis donavit Papa.

Quintò, Ex eo in Eccleſiam intravit non-reſidentia, cùm aulas principum ſequebantur, civilibus negotiis ſe immiſcebant, quos gregi dominico paſcendo intentos eſſe oportuit. Utraque hæc mala, tam non-reſidentia prælatorum, quàm eorum in ſecularibus πολυπραγμοσύνη, in eâdem centuriâ invaluêre. *Ejuſmodi negotiis qui à ſuis ſe evocari patiebantur, negligebant prorſus officium docendi*; ut docent Magdeburgenſes. Cent. 8. De illo ſeculo, ſic Rabanus ep. ad Hæmonem: *Proh dolor! multi inveniuntur hujus temporis viri inter Eccleſiaſticos, qui relicto prædicandi officio, & ſpirituali converſatione, eò ſe magnos æſtimant, ſi terrenis negotiis præponantur, & diſceptationibus ſecularium interſint.* Et Petrus Bleſenſis ad Epiſcopum quendam ſic ſcribit; *Tuæ opinionis nomen enormiter gravas, quòd abjecta Eccleſiarum ſolicitudine, negotiis ſecularibus te totum occupas & involvis.*

Cap. XVII.

Non-reſidentia, quàm Eccleſiæ perniciosa.

VIdendum ultimò, Quàm Eccleſiæ Dei perniciosa fuerit, in iis quæ, utcunque non ſemper

A non-reſidentiâ profluunt.

per invexit mala, apta tamen nata est ut inveheret non-residentia.

Ignorantia in populo.

Primò, Populus, qui sub non-residentium curâ, in crassis ignorantiæ tenebris adolescunt, consenescunt, quisque facit quod rectum in oculis suis: quod nequitiæ genus apud illos non obtinet? Nec mirum, cùm id duntaxat curent ejusmodi, non pastores, sed depastores, ut legis literæ satisfiat, ne quis ob neglectum officium litem intendat, ut vili quàm fieri potest pretio negotium transigatur. Parùm illi vel de animarum salute soliciti, vel muneri fungendo idoneúsne qui præficitur. Quanta in ejusmodi Ecclesiis, de quâ propheta, fames verbi? cùm, qui mercenarius est, ut plurimùm, non potest; qui non nisi titularis pastor, populum in vîa ad salutem erudire haud vult. Novem illi viri, quibus Paulus tertius curam reformandæ Ecclesiæ demandavit, sic se exprimunt; *Quis miserabilior, per Deum immortalem, viro Christiano conspectus esse potest, quàm Ecclesiarum solitudo! Omnes ferè pastores recesserunt à suis gregibus, commissi sunt ferè omnes mercenariis. Annon ejusmodi cœtus dicant, cùm Israelitis, Fac nobis Deos qui antecant nobiscum, jam enim, de Mose viro illo, quid factum sit, ignoramus.* An mirum est, inquit Duarenus, *gregem perire, qui, pastore destitutus, luporum quotidiè insidiis est expositus?* Quàm ingens illud quod ex horum supinâ negligentiâ Ecclesiæ accrescit damnum, videre est, in literis illis, quæ lepidè confinguntur, ut à principe tenebrarum ad principes Ecclesiarum missæ: *Læti nos vobis deferimus gratias, quòd per negligentiam vestram ad nos ferè totus mundus devolvitur, &c. Esto*, ait Ludolphus, *quòd tales habeant dispensationem super absentiâ, seu non-resi-*

Exod. 32. 1.

Vide Hist. Mat. Paris. an. 1072.

Vid. Foxi Martyrol.

den-

dentiâ; nunquid dispensationem habere poterunt supra peccatis, & malis committendis, quæ inevitabiliter sequuntur, ex eorum absentiâ & negligentiâ? & ideò bene iis esset, si Vicarium haberent in tormentis, sicut, excusando, se dicunt habere in beneficiis.

Secundò, Ut horum suppleantur vices, creantur novi adolescentuli, quandoque de fæce populi, Jeroboami sacerdotes, triobolares ministri, quisquiliæ hominum, qui, juxta maledictionem quam domui Eli Deus denunciavit, *incurvabunt pro nummulo argenteo & frusto panis.* Quanto isthoc hominum genus, vel toto ordini tribûs Levi, sunt dedecori; fundi nostri calamitas! quàm miserè sub horum ductu perit populus! cæci cæcos ducunt; populi nudantur, & Aaron nudavit. Exod. 32. 35

Indignorum ordinatio.

Tertiò, Annon reditus, qui sic absentibus ex Ecclesiarum spoliis abundè suppeditantur, eorum nonnisi luxum, superbiam, avaritiam, ambitionem, ut plurimùm, fovent? Cui apud nos inserviunt in plerisque, qui ex beneficiis accumulatis oriuntur proventus; nisi, ut lautiùs vivant, vestibus sericis splendescant, ut loculos impleant, quibus ad majora aspirent; cùm interim gregem susque déque habeant? Utinam & hi illud Bernardi cogitarent; *Indignus lacte & lanâ convincitur, si non pascat oves; si non vigilat in custodiâ gregis, judicium sibi manducat & vestit. Væ, væ tibi, Clerice, mors in olla, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in hujusmodi delicciis est, &c.* Paulò pòst; *Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando (ut aiunt) tibi videntur provenire; sed bonum erat etiam fodere, & arare; peccata enim populi comedis, acsi propria tibi minus sufficere viderentur.* Sic & olim reditus Ecclesiæ, vestium splendori, m nsarum luxuriæ,

Vitiorum nutrimenta.

Serm. ecce nihil omnibus, &c.

Bernard. in Cant. serm. 77

vasis argenteis & aureis congerendis impendebantur, ut Bernardus; *Intuere* (inquit) *quomodo incedunt nitidi, exornati, varietatibus circumamicti, tanquam sponsa procedens de thalamo.* Et Petrus Blesensis; *Vestri officii est, vivere de Evangelio, sicut Dominus constituit nobis, non pompaticè incedere in vestium cultu, in equorum fastu, in multitudine clientelæ.*

Academiarum injuria.

Quartò, Scholis prophetarum, quæ Ecclesiæ seminaria, admodum infesta est non-residentia ministrorum. Nam 1. cùm illic germina ad justam maturitatem succrescere oporteat, quæ suo tempore in vineam Domini transferenda; nullus his locus: sc. quòd usque ad provectiorem ætatem hîc in sodalitiis consenescunt non-residentes, non operarii, sed voluptuarii; non tam beneficiarii, quàm quæstuarii. 2. Quorsum hîc, vel ad spectatorum nauseam, commorantur nonnulli, (nec enim omnibus impingi debet hæc criminatio) nisi, ut inoperto capite luxurientur, ut abdomini se totos dedant, ut aliis, tam in victu quàm in cultu, intemperantiæ sint exemplaria? annon ignavum hoc hominum genus, qui venenum infundunt fontibus, meritò ad greges suos relegari oportet? 3. Quibus, cœnobia reditibus amplioribus dotandi, vel de novo ejusmodi Musarum hospitia fundandi, animus est, hinc deterrentur, quòd quæ domicilia literarum alumnis in Ecclesiæ commodum educandis primitùs erigebantur, ea non-residentium veluti tot, non dicam latronum (utcunque me sic docuit Spiritus Sanctus Joan. 10. necnon vir pius) sed fucorum latibula fiunt. Sic enim Thomas Leaverus tempore Edvardi sexti; *Quorsum*, inquit, *erubesceret adolescens aliquis generosior, qui semel in vita diviti alicui quadraginta solidos per latrocinium*

Conc. habitâ ad crucem Divi Pauli. Dec. 14. an. 1550.

cinium eripuit; & prælatus aliquis, ætate provectior, pudore non suffunderetur, qui per totam vitam à pluribus parochiis quadraginta minas suffuratus est?

Quintò, *Emanavit hinc*, utì ait Caranza, *quòd unus plures simul occuparet Ecclesias; cum æquè facilè judicabatur plures præsentes & residentes habere vicarios, atque unum.* Hinc excrevit illa, de qua suprà, beneficiorum multiplicatio ad quadringenta, quingenta, plura. *Cum tamen*, ut ait idem, *nihil absurdius, neque magis periculosum, in Ecclesia fuerit ab assumpto Christo excogitatum, & nunc vix est alius abusus qui magis vexat Ecclesiam Christi, quàm ille de pluralitate beneficiorum.* Cui assentitur Franciscus Duarenus; *Prodigiosa sanè res est in Ecclesia, hac beneficiorum accumulatio, quæ sine delectu passim recipitur; nec minùs monstrosi mihi videntur, qui tot personas in Ecclesia sustinent, quàm Briareus, qui manus centum habuit, aut Geryon, quem trium fuisse corporum fingunt, est in fabulis. Optimi quique* (ut memorat, qui scripsit fasciculum temporum, circa annum 1050) *semper definierunt, nullo modo ferendum, ut quis diversarum Ecclesiarum proventus recipiat.* Jus Canonicum sic; *Nulli, quantumvis exercitatæ personæ, duo officia committantur; singula Ecclesiastici juris officia, singulis quibúsque personis, committi jubemus.* Nec id mirum, quòd tam severè olim cautum est adversùs beneficiorum polygamiam: nam 1. Hæc beneficiorum, quæ plurimis alendis commodè inservirent, in unum accumulatio, plurimos, ne sacris studiis animum adjiciant, deterruit: nec enim illis reliquus erit, in quo se exerceant, locus, aut de quo vivant, cùm horum rapaci ambitione omnia præripiantur. Clemens quartus *duas de tribus præbendis*

Beneficiorũ pluralitas.

Lib. 8. de benef. cap. 4.

nepoti abstulit, quia noluit unum habere quod sufficeret pluribus: Genebrardus lib 4. in an 1272. Quis indefesso studio se huic muneri comparabit, quod æquè per alterum, ac suâ personâ, potest administrare? Notatu dignum, seculum illud, in quo invaluit non-residentia, præ aliis fuisse & sterile & indoctum.

Redituum Ecclesiæ alienatio.

Sextò, Annon hinc Ecclesiarum patroni, reditus qui ministris antiquitùs consecrati sunt, ad se rapiendi, sepositâ pastori portiunculâ, occasionem arripiant? *Eadem enim ratio apud plebem, num decimas solvit Doctori, qui non vult, & patrono, qui non potest, gregem pascere:* ut idem Leaverus conc. prædictâ.

Pauperum defraudatio. Vide quid Innocent. XI ad initium lib. extrav.

Septimò, Ecclesiæ bona, quæ pauperibus, ex Veterum Canonum præscripto, ubi ministris abundè provisum, dispensari oportebat, aliò transferuntur, nulla prorsus ratio pauperum habetur. Villicus pretium ad quadrantem solvit, quod absentis pastoris, sive luxuriæ, sive avaritiæ, non satisfacit. Accedit, quòd, ex incuriâ pastorum, plerisque in locis, corruunt ædificia, multa fiunt in damnum Ecclesiæ, omnia denique dilapidationibus sunt cooperta. Sed, in tantis vitiis, hæc, quæ minora præ reliquis, scrupulosiùs excutere non est animus, ait Duarenus. *Ex hoc fonte* (ait idem) *innumerabilia mala & incommoda in Ecclesiam universam quotidie manant, quæ sine horrore maximo referre non possumus.* Et Curanza sic: *Ni suffocaremus rationem nobis inditam, cùm affectibus obsequi discupimus, nemo est tam cæcus, quin videat, qui de residentia dubitant, in sole meridiano lucem quærere.* Audiant denique, qui frontem non perfricuêrunt, (nec enim hic sentio de omnibus, sunt forsitan qui errore seculi duntaxat abducuntur) audiant hi, vel matris, sc. Eccle-

lesiæ Anglicanæ, vocem; sic enim decrevit. *Non-residentia Pastoris est res in se fœda, odiosa in vulgus, & perniciosa Ecclesiæ Dei.*

Cap. XVIII.

De assidua lectione; speciatim, Scripturarum.

Secundò, Ut pastor ad munus instructior accedat, attendat lectioni. *Interim, dum venio, intentus esto lectioni*; dum venio, cum tamen brevi se affuturum spem fecerat, cap. 3. 14. Ætate provectior Paulus, libros & membranas ad se afferri, non cum blattis & tineis rixari, voluit. Petrus Pauli Epistolas legit; et Daniel Jeremiæ prophetias scrutatur. David, è prophetis facilè princeps, legem nocturnâ versat manu, versat diurnâ. Si viri illi θεόπνευστοι, in quos effusissimos donorum imbres depluebat Sp. Sanctus, libris nihilo seciùs incubuêre; quàm nos pudeat homunciones, quibus, quas veritatis scintillas recludit Deus, eas jugi operâ excutiendas voluit, in otio & umbrâ segnescere, lectioni non obnixiùs incumbere? Lectioni autem vela daturis, ne desultoriâ ingenii levitate huc illuc discurrant, ad scopulos impingant; en Cynosuras, quarum subsidio, Syrtes prætervecti, secundâ aurâ ad portum appellant. Non id mihi assumo, ut cuiquam, vel infimæ classis pastori, legem ponam; aliorum hoc, qui, cùm otio, ingenio, & valetudine abundârunt, confragosas hasce Alpes Herculeo labore superârunt. Ego, quàm mihi domi curta suppellex, sat nôrim; cuique per me libera

1 Tim. 4. 13

2 Tim. 4. 1
Dan. 9. 2.
Psal. 119.

bera sit optio; tantùm, cùm eò me duxit dicendi methodus, quid sentiam, pro mea tenuitate, brevì dicam.

Qui ad lectionem advertit animum in Theologiâ inceptor, in aliquibus præmonendus; in aliis dirigendus.

Præmonendus, 1° Ut speculativis practica admisceat; tradunt hæc mutuas operas. Impar muneri erit, qui non utrisque operam dedit: illa intellectum luce perfundunt, corroborant, nervosum reddunt pastorem; hæc pietatem alunt, exercent: illis hæreticis ora obturamus; his populum Dei ad salutem ædificamus. Utrumque incumbit pastori, & ut lupos abigat, & oves pascat: illi inserviunt speculativa; huic practica: illis doctior, his sanctior, evadit pastor. Controversiarum scientiam necessariam nobis faciunt hæretici, ait Amesius: sed studium pietatis, ut absolutè necessarium, Deus. Illi qui principia, & omnia ferè practica negligunt, tanquam vulgaria, pervia, & omnibus exposita; & languent interim circa quæstiones quasdam subtiliores, & controversias implexas; cùm postea ad concionandum accedunt, sibimetipsis placent quidem nimis, sed omnibus prudentibus aliàs risum, aliàs misericordiam, solent movere. Risum sc. cùm vel minimâ arreptâ ansâ de controversiâ aliquâ non necessariâ plura effendunt quàm par est; misericordiam, cùm de practicis dicturi, quasi in alium mundum translati, frigent prorsus.

Secundò præmonendus ne sic se libris immergat, ut media quibus porro instrui potest negligat. Est 1. suum cujusque cor pro libro, ex quo ediscat, quomodo alium affetur. *Ut in aquis* Prov. 27. 19 *facies respondet faciei, ita animus hominis unius alteri,*

alteri, i. e. ut Mercerus, videat quis alterius cor in ſuo tanquam ſpeculo: eſt idem in omnibus corpus peccati, unde, ſi non eædem, at ejus generis verſutiæ; anfractus, & receſſus iidem, tam in hoc quàm in illo. Qui ſeipſum penitus cognoverit, faciliùs multò in aliorum corda permeabit. Hinc toties inculcatum id apud Ethnicos, γνῶθι σεαυτόν. Cordis itaque ſui ſcrutinio aliquid ſeponendum temporis; ut ex eo ritè perſpecto, aliis detegat, quæ illic latent fallaciæ, fraudes, mala innumera. 2. Quiſque, quîcum congredimur, homo eſt pro libro, & A quo, & De quo, aliquid ediſcendum. Ab iis ediſcendum, quomodo tam peccatum quàm gratia, χαρακτηρίζει. Prout enim quiſque regenitus, vel non, ita ſuam vel pravitatem, vel pietatem, tam in dictis quam factis, teſtatur. Tam pravitas, quàm pietas, nunquam vivaciùs conſpiciendæ, quàm ubi ſe agendo produnt. Multa edidicit Solomon, hominum mores intentè obſervando; ut in Eccleſ. Porro aliquid De iis ediſcendum, ſíntne ingenio docili, an præfracto, ſíntne extrà vel intrà; ſíntne urticæ vel ſpinæ: Illæ leviter tactæ, repungunt; manu compreſſæ, non omnino prurigine afficiunt: hæ, ſi non cautè tractâris, vulnerant. Sic Paulus, apud Athenienſes dicturus, multa in iis animadvertit, quibus ſe blandè in illorum animos inſinuavit. 3. Opera Dei, tam creationis, quàm gubernationis, ſint pro libro, unde & ſe, & alios, inſtruat animarum curator. Hæc perluſtret, hæc altâ mente reponat. Ex his plurima de Dei potentiâ, juſtitiâ, miſericordiâ, ſapientiâ, veritate tam promiſſionum quàm comminationum, hauriat documenta. Quàm in his meditandis frequentes fuêre tam David, quàm

Solomon, teſtatur tam liber Pſalmorum, quàm Eccleſiaſtis. Nunquam dextrè, quod cupit, effectum dabit paſtor, qui ſic ſe muſæolo abdit, ut non his etiam libris ſcrutandis, inſpiciendis, aliquod concedat temporis.

In quibus dirigendus in Theologiâ tyro, ſunt. 1. Quid. 2. Quomodo. De utriſque hæc mea exilis ſententia. Cùm duplex ſit ſcriptorum genus, Sacri, Eccleſiaſtici; ſuas utriſque vires concedat operoſus paſtor.

Quod ad ſacros. *Can.* 1. Primas habeant inter legendum hi; in ſecundis ſubſiſtant doctiſſimorum qualeſcunque vel emunctiores lucubrationes. Ab his, Chriſto duce, auſpicandum; in his præcipuè inſiſtendum: ad illos, non niſi ut his operam præſtant ſubſidiariam, animum haud adjiciamus. Scripturarum illud præ cæteris elogium, quòd *hominem Dei ad omne opus miniſteriale reddunt perfectè inſtitutum; in ſe meditabundos beant*; illarum operâ *anima* ad Deum, à quo averſa, *convertitur*; juventutis effrænatæ & laſcivientes cupiditates coercentur, de novo formantur. Lydius lapis, eſt Scriptura, ad quam hominum ſcripta qualiacunque exigenda. Eſt illud unicum infallibile Dei verbum, quod nullos habet admiſtos errores. Denique, Scripturarum ea eſt profundior altitudo, quæ nunquam exhauritur; ea impervia difficultas, quæ, utcunque indies indagatur, nunquam tamen plenè eruitur; ea perennis efficacia, quæ, multoties repetita, de novo ſemper operatur in cordibus fidelium. Nec id quiſquam miretur, cùm infinitus ſit Spiritus, qui in his loquitur, his præ aliis adeſt, & per has ſuam præcipuè exſerit ἐνέργειαν.

2 Tim. 3. 17. Pſalm. 1. & 19. Pſal. 119. 9.

Can. 2. E ſcripturis, illas primò percurramus, ídque operâ intensâ, quæ ordine naturæ prio-

priores; quippe hæ ſuccedentibus, ut pleniùs intelligantur, manum porrigunt auxiliarem. Ejuſmodi Moſaicus πανδάκτης, totius Scripturæ κρηπὶς & baſis: ita hâc nituntur quæcunque ſuperædificârunt ſive Prophetæ ſive Apoſtoli. Quæcunque ad ſalutem neceſſaria, hiſce libris integrè comprehenduntur; quæcunque deinceps acceſſêre, doctrinæ in his conſignatæ nonniſi uberior explicatio. Ex his fontibus irriguis hauriunt ſua divina eloquia prophetæ; hinc edocti peccata oſtendunt, objurgant, minantur, Chriſtum in plenitudine temporum venturum pronunciant. Ex his & prophetis conjunctim, omnem ſuam educunt Evangelicam doctrinam tam Chriſtus, quàm Apoſtoli. In ſcriptis, tam propheticis, quàm Evangelicis, cæcutiunt planè qui non Moſaicos libros diligenti trutinâ examinârunt. Mat. 5. Act. 26. 22.

Can. 3. E ſcripturis, quæ doctrinæ capaciori ambitu reliquis anteſtant, illæ operam magis frequentem deſiderant. Ejuſmodi cùm multò reliquis fæcundiores, eò quòd plerunque in genere traduntur, quem illis ſcrutandis impendimus laborem abundè compenſant. Hi ſunt, in veteri Teſtamento, libri Job, Pſalmorum, Solomonis, quibus accenſendi ut apprimè utiles Deuteronomii & Eſaiæ libri. In novo Teſtamento, ex Evangeliſtis, Johannis hiſtoria Evangelica diligenter evolvenda; Epiſtolæ omnes, præ reliquis, ſylvam materiæ legentibus exhibent. Cum his, præſertim Pſalmorum & Eſaiæ voluminibus, frequentius rem habuiſſe tam Chriſtum, quàm Apoſtolos, ex eo veriſimile, quòd plura teſtimonia ab illis quàm à reliquis accerſant; ex Iſaiâ loci circiter ſexaginta, ex Pſalmis ſexaginta quatuor citantur.

Can. 4. Cùm Scripturæ quædam eo nexu conjun-

junguntur, ut mutuas sibi in illarum intelligentiâ tradant operas, conjunctim eas legere oportet. Ejusmodi sunt libri prophetici, & historici: quorum hi illis ita famulantur, ut, seorsim si leges, aliquoties hærebit aqua; sin utrosque conjunctâ operâ perlustraveris, Spir. Sancti mens multò clariùs effulgebit. Liber Joshuæ annon terræ sanctæ χωρογραφίαν, quæ in Prophetis legendis multùm conducit, quasi oculis spectandam subjicit? reliqui qui subsequuntur libri historici, & variam Ecclesiæ conditionem enarrant, & temporum rationem Chronologicam suppeditant. Utrisque his; temporum (volo) serie, & locorum delineatione, næ tu quasi binis oculis prophetarum vel invia maximè penetrabis.

Ioan. 20. 21 In novo Testamento, quàm pulchrè se invicem exosculantur scripta Evangelica & Epistolica: quorum illa, Jesum esse Christum filium Dei, tam factis quàm dictis certò concludunt; hæc, quis istius veritatis usus fructúsque quoad nos, quomodo ejus compotes simus, quomodo hâc dignè incedamus fusiùs disserunt. Ita utraque si uno mentis intuitu oculis exhibeantur, alternatim se illustrabunt.

Sic trabes, è scripturis, Quid primò, quid maximè, quid conjunctè legendum. Sequitur, Quomodò. Cui inserviunt Canones hi.

Can. 1. Sacra hæc Dei mysteria non legantur, nisi Deum cordatè supplex oraveris, ut Spiritum suum, qui mentem illustret, doceat, impertire dignetur. Januas Scripturarum custodit Sp. Sanctus; non datur aditus, nisi, propriæ cæcitatis conscius, hujus opem implorâris. *Invoca me, & respondebo tibi, & indicabo tibi*

Ier. 33. 3. Ps. 119. 18. *magna & abstrusa, quæ non agnoscis. Retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege.* Aliud,

gram-

grammaticum verborum ſenſum expiſcari; aliud, res ſacras quæ ſub iis ſignificantur percipere: aliud eſt, res ſacras per ſpecies alienas duntaxat comprehendere; aliud, per internas & proprias ſpecies, Spiritu intùs revelante, eas cognitas habere: denique aliud eſt, ſpiritualia carnali modo; aliud, ſpiritualia idque ſpirituali ratione intelligere. Hæc omnia vult propheta, dum cupit *mirabilia ex lege intueri. Si inclamaveris prudentiam, ad intelligentiam edideris vocem tuam, tum intelliges reverentiam Jehovæ.* Illud itaquè Hieronymi fixum maneat; *Orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio.* Qui ſecùs faciunt, quantum illis imminet periculum, aut prætereundi vera, aut affingendi nova! quàm illi è ſacrâ hac officinâ nihilo aut doctiores aut ſanctiores redeunt! Prov. 2. 3, 5.

Can. 2. Animus ritè afficiatur, quando penſum hoc aggreditur. Rectè autem tum demum afficitur animus, 1. Cùm ſcripturarum lectionem, ut Deo præcipienti obtemperemus, ſuſcipiamus. Adſit ſemper, ſi non actualis, ſaltem ad Dei præceptum habitualis reſpectus. Tum cultus erit, cui Deus ſecundabit, cùm ejus nomine peragitur. 2. Cùm finis, ad quem collimare legentem voluit Deus, ei ante oculos obverſatur: ille autem tàm noſtrî quàm aliorum in fide ædificatio. Lectio multiplex, ſi non eò dirigatur, ut Deum revereare, & præcepta ejus obſerves, ventoſa. *Vanitas* & nonniſi *carnifatigatio* eſt. Si gloria Dei & ſalus proximi, in iis quæ levioris momenti, cordi eſſe debent; annon in officio hoc, quod quibuſcunque hujus vitæ negotiis præponderat? Quàm hic culpandi, qui in Scripturarum ſtudiis illud unum in oculis ferunt, ut digito demonſtrentur, ut cognomen Eccl. 12. 12.

dun-

duntaxat profundioris ſcientiæ adipiſcantur. Nova hæc Satanæ aſtutia, ut quæ ſtudia cupiditatum ſitim extinguerent, earundem fibras exſtirparent: illa iiſdem inflammandis inſervirent: quæ, divino inſtituto, affectus inordinatos ſubigerent; ea, noſtrâ culpâ, eoſdem foverent.

Can. 3. Tam libri quàm loci, quem legimus, finis nobis inter legendum ſæpius occurrat. Hic apprimè conducit ad Sp. Sancti ſenſum nativum eliciendum; Hunc ſi aut ignoramus, aut mente impreſſum non afferimus, quos non procudimus ſenſus devios? huc illuc diſcurrimus incerti. Si enim finis utcunque noviſſimè perficiatur, primò cujuſque operantis animo ſuccurrat; quidni idem obtineret ſenſum ſcripturæ expiſcandi, qui & fabricandi? ſi primus eſſe debet finis in intentione loquentis, quid ni & in animo legentis, ſi loquentis mentem aſſequi voluerit? Finis iſte aliquoties explicitè traditur, quandoque verò implicitè involutus latet, & continuam rerum ſeriem attentè animadvertendo colligendus.

Ioan. 20. 31.
1 Joan. 5. 13

Can. 4. Cujuſque libri œconomiam, analyticæ reſolutionis ſubſidio, animo conſignandam curemus. Analyſis ejuſmodi fabricanda, quâ quæ promiſcuè tradi videntur, ea ad perpauca ſumma capita revocamus: quâ item nobis innoteſcit, quid probatur, quibus argumentis; denique quà nobis, quomodò aliud ex alio ſequatur, conſtat. Singulæ rerum clauſulæ minutiores vel memoriâ plùs æquo onerant, vel facilè effluunt, niſi logicâ quâdam diſtributione compingantur, ordinatè digerantur. Porro plurimum intereſt, ut Scripturæ, prout res tulerit, ad manum ſint; venas, in quibus cujuſque generis argumenta re-

con-

conduntur, perſpectas habeamus. Nullo negotio nobis occurrent ſcripturæ, qualiſcunque illarum uſus fuerit, ſi cryptica methodus genuinâ analpy explicetur. Atque hæc de ſacri codicis lectione. Attexendum aliquid, de Eccleſiaſticorum ſcriptis evolvendis. Videndum hîc, Qui legendi, & Quomodò.

CAP. XIX.

De Scriptorum Eccleſiaſticorum lectione.

IN Eccleſiaſticis ſcriptoribus legendis. *Can.* 1. Orthodoxi primò, ἑτερόδοξοι poſtremò legantur. Orthodoxi illi, qui ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ illibatam conſervârunt. Ἑτερόδοξοι, qui eam in fundamento labefactârunt. Ejuſmodi ſunt, præ aliis, Pontificii doctores; ſive Scholaſtici, qui à Lombardo familiam ducunt; ſive coaxantes iſti Jeſuitæ, Papæ emiſſarii; ſive tota fraterculorum cohors. Quàm hîc meritò taxandi, qui tyrones in ſtudiis Theologicis ad hos remittunt, ut ex illorum putidis lacunis ſuam omnem hauriant Theologiam: Interim verò clariſſima noſtræ Eccleſiæ lumina, quibus nulla poſt Apoſtolos ætas protulit fulgentiora, alii ſúſque déque habent, alii procaci ore in illa debacchantur! Quanta hæc in Deum ingratitudo, quòd cœleſtem mannam, quam in nos effuſiſſimè depluit, præ nauſeâ pertæſi, ad Ægyptiacas illas delicias retrò feramur! Quid ſalutiferi ſucci vel ſanguinis ex eorum volu-

voluminosis scriptis attrahemus, qui Antichristi satellites, purpuratæ meretricis asseclæ, Christiani orbis incendiarii, qui unctorum Dei cædibus nefariis rubent? An id tutum, illorum in rebus fidei vestigia premere, qui, fontes tam Hebraicos quàm Græcos deserentes, translationi omnium mendosissimæ se emancipârunt? nec enim ab eâ, nisi sub anathematis pœnâ, discedendum. Annon hi porro in verba Conc. Tridentini, quod analogiam fidei miserè fœdavit, prorsus jurati?

Interim non repugno, quin qui judicio maturi, si otio abundent, illorum perlustrent scripta. 1. Quòd non nisi illorum inspectione status controversiarum, quæ nobis cum illis intercedunt, poterit accuratè definiri. Maximè interest, ut iisdem terminis quibus se explicârunt, nos illorum quascunque opiniones proponamus. Causa calumniandi hoc modo illis auferetur. 2. Quòd, cùm magna est veritas & prævalet, in illorum scriptis multa occurrunt testimonia, quibus in sententiam nostram eunt; multa, quibus Ecclesiæ suæ adversantur: ut fusè ostendit in suâ Catholicâ apologiâ reverendus Mortonus. 3. Quòd nihil impedit, quin Pontificii quibus regenerationis gratia non illuxit, in gratiis gratis datis, ut in linguarum & artium cognitione, nostris antecellant. 4. Quòd plerique eorum, in iis quæ extra controversiam, ut de naturâ Dei, quòd ad quædam ejus attributa, De justitiâ & jure, dextrè enucleârunt. Sic Suarez, Lessius, Soto. 5. Quòd ex iis in medio Papismo aliquos excitavit Deus, quos in fundamentalibus principiis illustravit, adeóque illorum ministerio Deus Ecclesiæ suæ apud illos latenti consuluit. Ejusmodi fuêre illi Veneti fraterculi, Paulus, Ful-

Fulgentius; ejusmodi Joh. Ferus Moguntinus, qui aliquando interrogatus, Cur, cùm in pluribus cum Ecclesiis Evangelicis idem sentiret, Moguntiæ, ubi omnia Papismo cooperta videbantur, commoratus est? Respondisse fertur, Se haud scire, ubi in toto orbe viveret, ut pluribus prodesset. 6. Quòd ex Bibliothecis, quas habent alicubi instructissimas, multa suppeditant, quæ nobis usui esse possunt, quæque aliunde haberi non possunt.

Can. 2. Qui in sacræ Scripturæ contextu impensiùs scrutando se exercuerunt, à nobis pro palmariis habeantur Theologis. Sunt enim Scripturæ, illa veritatis sacro-sanctæ norma & regula; quam qui in oculis semper ferunt, quod solenne est expositoribus, non possunt non fœliciùs multò lineas ducere Theologicas, quàm qui ἀπρωτότυπῳ remotiores, ut qui toti in controversiis: Sunt illæ, aurifodinæ; in quibus si jugiter effodientes, ditiores multò evadant, cui id mirum? Sunt illi Sp. Sancti viva vox, idioma nativum; cui qui assiduè intelligendo incubant, ii pleniùs multò mentis sensa percipient, quàm qui rariùs commercium habent: hinc quod tritum obtinuit, *Bonus Textualis, bonus Theologus.*

Can. 3. Qui puriori seculo scripsere Theologi, potiori apud nos loco sint, quàm qui seculo minùs puro, aut fæculento, vixêre. Secula illa, quæ Apostolos non longo intervallo sequebantur, errorum rubiginem contraxêre: justum id apud Deum, ob Evangelicum prioribus seculis spretum. Sic solet mundi ingratitudinem ulcisci, cùm eos in errorum dumeta transversos abripi patitur. Huc accedit, quòd viam oportebat, ad Antichristum suo tempore formandum, per multos antecedentium seculorum errores muniri; ac pro-

propterea quælibet ætas ſuum contulit quaſi ſymbolum, opinionum quæ minùs ſanæ, ex quibus invicem conjunctis exſurrexit ille omnium hæreſeωn centrum, Antichriſtus. Seculum illud omne, quod ſtatim ab Apoſtolis uſque ad partum Antichriſti, ut minùs purum contendum; ubi verò ad celſum ſuæ dignitatis culmen aſcenderat Antichriſtus, atque illic per quatuor annorum centurias, mundum quaſi faſcino dementavit; tum cœpit illud tenebricoſum ævum, in quo omnia caligine errorum cooperta. Poſtquam verò emicuit jubar Evangelii, confeſtim evanuêre tenebræ iſtæ pluſquam Cimmeriæ; errores, quibus veritas ſacra ferè extincta jacebat, detegebantur; lux clariſſima quaſi mundum illuſtrans effulſit. Seculum hoc illud quod à primis Eccleſiæ reformationibus exorſum ſumit. Hanc ſeculorum diſtinctionem, & res ipſa, atteſtante temporum omnium hiſtoriâ, loquitur; & ex Joannis Apocalypſi facile eſt demonſtrare.

Minuenda hîc opinio illorum, 1° Qui veteres ſcriptores, Eccleſiæ patres, ita immodicè efferunt, ut Neotericos nullo numero habeant. Fatendum illud, antiquos patres ut magna mundi lumina ſuis temporibus colluxiſſe, hæreticorum malleos, veritatis ſacræ acerrimos vindices, Sp. Sancti donis largiter fuiſſe imbutos. Plurimum nos illis debemus, à quibus, ad omne ævum duraturæ, tranſmiſſæ ſunt lucubrationes perpolitæ & nervoſæ, Eccleſiæ apprimè utiles. At Neotericos tam vili æſtimare, ut præ illis hi ſordeant; & judicii malè ſani eſt, & ſummæ in Deum ingratitudinis. Utrique fruantur ſuâ debitâ laude. At Neotericis, ſive in Scripturis interpretandis, ſive in hæreſibus refutandis, palma videtur concedenda; Primò quòd, ſeculo in quo

quo vivunt Neoterici, Antichriſtus debellandus; ſeculo in quo patres floruêre, ſenſim ſine ſenſu introducendus. Probabile ſaltem illud, Deum dona ſua vel minori vel majori menſurâ effuſurum, ut negotium quod illis incumbit peragendum vel gravius vel levius fuerit. Seculo hoc noſtro, congrediendum erat Theologis cum illis, in quibus omnium ætatum hæreſes quaſi in unum aggregabantur: Donorum itaque copiis inſtructioribus opus erat. Seculo illo altero, neceſſe erat ut in pluribus occæcarentur patres Eccleſiæ, ut ſic Antichriſto via panderetur. Secundò, qui pluribus ſubſidiis ad veritatem eruendam abundârunt, veriſimile eſt eos multò fœliciùs res Theologicas explicâſſe, quàm qui eiſdem caruêre. Seculum hoc noſtrum plura ſuppeditare adjumenta, quibus veritas accuratiùs exquiratur, non ſanæ mentis qui negabit. Habemus nos linguarum cognitionem, quâ plerique veteres carebant; artium ſcientia apud nos ad ſummam, præ illis temporibus, maturitatem perducta; artis item typographicæ beneficio, quæ ante annum 1440 non innotuit, cujuſcunque generis libri in rei literariæ commodum inſigne divulgantur. Accedit, quòd, cùm quælibet ætas habet ſuam menſuram, nos & noſtram & antecedentium ætatum menſuram habemus. Sit menſura noſtra illorum inferior; at ſcimus (ait Stella) Pygmæos Gigantum humeris impoſitos pluſquam ipſos Gigantes cernere. In Luc. 10.

Veteres à Neotericis vinci, & teſtatur, & probat, è noſtris, Reverendus Mortonus in Apologiâ Catholicâ; ubi plures reddit cauſas, quare in patribus non ſit acquieſcendum; 1° Quia incertum eſt quid deſiniant patres, propter libros ſuppoſititios, qui patribus aſcribuntur. 2° Quia ſcripta patrum Pag. 1. lib. 2. cap. 10.

tantâ ferè obscuritate involvuntur, ut quid sen-serint difficile sit statuere. 3. Quia variæ sunt de multis scripturis patrum expositiones. 4. Multiplex patrum lapsus, cujus causas reddit Sixtus Senensis. Prima est, quòd absque ullo prævio authore intentârunt illud iter aggredi. Alia est, quòd tanto divinæ pietatis zelo ardebant, ut, cùm errorem destruere pro viribus conati sunt, in contrarium inciderint. Agricolarum more, qui, cùm curvum stipitem corrigere conantur, in contrariam formam deducunt. Tertiò, Temporum decursus veritatis indagationi plurimùm auxiliatur. 1. Quia sic à Deo constitutum, ut divina Veritas non nisi gradatim emergeret. Sic, ante adventum Christi, quò propiùs appropinquabat, eò clariùs lux effulgebat; perinde & quò proximior, tam Christi ad judicium adventus, quàm Ecclesiæ Judaicæ gloriosa restitutio, eò veritas magis clarescet. 2. Quia, cùm in Scripturis multa sunt prophetica, qui remotiùs ab illorum impletione vixerunt, eò necesse erat in multis cæcutire, quæ postera ætas dilucidè explicaret; sic de Antichristo. Quartò, Habuit à Christo, & Apostolorum temporibus, Ecclesia variam conditionem; nunc in interiori atrio delituit, & quasi exul in solitudine occulta manebat; nunc quasi civitas in monte posita eminebat: aliquando, utcunque non secesserat in desertum, fugam tamen meditabatur: aliquando gloriosè, velut jubar exoriens, è nebulis errorum erumpebat. Discriminandi authores, prout ejusmodi vixêre seculis, vel in quibus veritas angulos perreptabat, hæreticorum astutiâ, tyrannorum rabie ferè extincta est; vel in quibus Fides Orthodoxa in propatulo fuit, omnium oculis conspectior. An non plerique è patribus in hoc à Neotericis vincuntur

cuntur, quòd hi ſeculo magis defæcato ſcripſêre, illi cùm omnia ſi non caligine cooperta, eò tamen oeyùs properabant? E Pontificiis, hoc ipſum teſtatur Roſſenſis, *Non cuiquam obſcurum eſſe poſſit, multa eſſe tam ex ſcripturis aliis, quàm ex Evangeliis, luculentiùs nunc excuſſa, & intellecta perſpicaciùs quàm olim, nimirum quia veteribus non adhuc erat perfracta glacies, aut quia non ſufficiebat eorum ætas totum Scripturarum pelagus ad amuſſim expendere.* Et Salmeron, *Non omnia omnibus dedit Deus, ut quælibet ætas ſuis gaudeat veritatibus, quas prior ætas ignoravit, quælibet ætas antiquitati ſemper detulit; ſed illud aſſerimus, quòd juniores eò perſpicaciores eſſe doctores.*

Secundò, Illorum hîc redarguendus error, qui, ſanioribus Neotericis omiſſis, Scholaſticos doctores, qui decimâ tertiâ centuriâ obtinebant, in Theologia candidatis inprimis commendatos volunt. Concedo nonnulla quæ in Theologia difficilia, ab illis dextrè explicari; idque præſertim in moralibus, ut quæ de juſtitiâ, & jure, &c. Illa Aquinatis tam prima, quàm 2ª 2ª, digna eſt quæ ſuo loco legatur. Concedo, illos in quibuſdam terminos artis admodum idoneos ſuppeditare; & in iis quæ lumine naturæ percipiuntur, adeóque illorum cognitionem ſupponit Theologia, ut de natura animæ, &c. multa illos utiliter enucleâſſe; Verùm, ut de manibus hominum tam patres, quàm modernos excutiant, ut primitùs ſuam illis conſecrent operam novitii, ut tanquam primipili Theologi in Scholis dominentur, horret animus meminiſſe. Non hæc dico, quaſi ipſe Scholam univerſam perluſtrâſſem; nec enim id neceſſe, ut quis univerſum mare ebibat ut diſcat quòd aqua ſit ſalſa; Ex ungue leonem. Turpiter verò ab illis erratum, ut craſſam barbariem & prodigio-

digiosas καινοφωνίας omittam, 1. Quòd doctrinam Ecclesiæ in summis capitibus corrupêrunt. Justificatio ex fide sola, exclusa est; meritum Christi, ut initium duntaxat justificationis habebatur, quia gratis recepti suis operibus justitiam coram Deo adimplerent. Doctrina de bonis operibus, ut quibus tribuebant meritum æternæ vitæ, &c. miserè fœdata. Doctrina de hominis depravatione, corrupta; cùm asseruerunt hominem, faciendo quod in se, mereri gratiam de congruo. Doctrina de pœnitentia, eò quòd discrimen Legis & Evangelii sustulêre, collapsa prorsus. Nec mirum, cum apud hos receptum, Papam esse fundamentum fidei; literam Biblicam esse materiam litis; Scripturarum sententiam non nisi ex Patrum & Conciliorum scriptis desumendam; nihil contra Aristotelem dicendum, nedum in rebus fidei: quod Aquinati solênne. Hinc Reverendus Theologus sic; *Assero, atóque sine omni circuitione, non modò non necessariam, sed errorum omnium παναιρεμίαν esse, scholasticam Theologiam, ac nullam quidem capitaliorem pestem, quæ quidem doctrinæ nomine vestita incedit, veræ atque ad salutem Theologiæ, vel ab inferis exhalari posse.* 2. Cùm ille Sp. Sancti
Joan. 20. scopus in scripturis, ut fides eorum, quæ scripta sunt, in hominum mentibus imprimatur; in illud unum incubuêre Scholastici, ut Academicam illam ἀκαταληψίαν in scholas theologicas introducerent, veritatem in utrum verterent, ut Lutherus: Dubia quæ occurrunt solvenda, quas induxerunt hæretici præstigias errorum, eas discutere oportet; sobrias quæ de controversis articulis instituuntur disputationes admodum probamus: verùm, ut quæ apud omnes recepta, [illegible]mè perspicua fundamenta religionis, ea datâ operâ

operâ novis confictis dubiis in dubium vocare, fidei illi πληροφορίᾳ ad quam omnes aspirare debent, planè repugnat, ut observat doctissimus Sadeel. 3. Frivolas & inanes distinctiones, ad veritatem Dei eludendam, excogitârunt hi. De his, sic Rainoldus conqueritur, Quòd argumentis veris constricti, excogitatâ aliquâ distinctione evadere solent, quod vilis & degeneris ingenii, Ludovici Vivis judicio, indicium est. Cùm, qui sunt ingenui, potiùs respiciunt quàm id verum sit quod defendunt, quàm quomodo possit defendi; veritatem, quàm victoriam, pluris æstimantes. Annon distinctiones illæ, quas à Scholasticis mutuati sunt Pontificii, Ecclesiæ Romanæ nutanti & labenti quasi in subsidium, ut totidem copiæ succenturiatæ, venêrunt? Ejusmodi illæ, de dominio Papæ in principes directè & indirectè: De Christo & Papa, cùm ille caput Ecclesiæ dicitur quoad internum influxum, hic verò quoad externum regimen: De papa errante ut Personâ privatâ, non ut Papâ: De capite Ecclesiæ principali, minùs principali. De hujusmodi distinctionibus sic Whitakerus; *Si semel ea lex & consuetudo obtinuerit in Theologia, ut liberum sit cuivis distinctiones comminisci, nihil in omni religione fixum certúmque permanebit. Quis non eo modo quidvis labefactare poterit? Exploranda igitur distinctiones diligentiùs, & dijudicandæ sunt, eâque magni æstimanda regula est: Nullas in Theologia probandas esse distinctiones, nisi quæ apertis Scripturæ locis nitantur.* Et Hadrianus Saravia sic; *inanis & sophistica est omnis distinctio, & fallaciæ plena, quam quis scriptis sive sacris sive profanis inducit, non ab illis desumit.* Regula juris est, *Non esse distinguendum, ubi lex non distinguit*; sic Reverendus Mortonus.

In præfat.

Coll. cum Harto c.2.

Contr. 4. qu.2. p. 146

Pa.2. lib.2. *Vid.* p. 22.

4° Quæſtionibus curioſis, inſipidis, quæ nullo modo ædificationi inſerviunt, libros ſuos refer-
1 Tim. 4. c. 6. 4. 20. ciunt; *Devita oppoſitiones, falsò nominatæ ſcientiæ.* Sp. Sanctus non ejuſmodi gaudet quæſtionibus, *quæ nullatenus in fide ædificant. Lombardus ſacro-ſanctæ Philoſophiæ veritatem, fontémque puriſſimum, (ſicut plus millies à Jacobo Fabro, & Jodoco Clictoveo, præceptoribus meis accepi atque audivi) quæſtionum & opinionum rivulis conturbavit:* ſic Aventinus. Oſwaldus Myconius de Zuinglio ſic; *Ipſum non negligenter in Theologiam ſcholaſticam intuitum eſſe; móxque vidiſſe, quòd hîc eſſet boni temporis amiſſio, quòd omnia confuſa, ſapientia mundi, Philoſophia, Deus, inanis loquacitas, barbaries, vana gloria, & quicquid hujus generis, nihil indè ſanæ doctrinæ ſperari poſſe. Gaudeo*, inquit Lutherus, *me à ſcholaſticâ Theologiâ erutum, & gratias ago Chriſto Domino meo.* Qui plura cupit, conſulat
Annal. lib. 8 præfat. ad Cent. 13. Centuriatores Magdeb. Antonium Sadeelem in præfationem de Meth. Theologiæ: Philippum Melanchthonem in apologiâ contra Theologos Pariſienſes: Didymum Faventinum, ſeu potiùs Philippum Melanct. adverſus Thomam Placentinum, pro Luthero: Lambertum Danæum in prolegom. ad examen Lombardi, de origine &
Lib. 2. c. 34. progreſſu ſcholaſticæ Theologiæ: Parkerum de Politiâ Eccleſiaſticâ. Ego unum illud duntaxat Whitakeri apophthegma de iis adjungam, *Scholaſtici doctores plus habent argutiarum, quàm ſcientiæ; plus ſcientiæ, quàm doctrinæ; plus doctrinæ, quàm uſûs? plus uſûs, quàm ad ſalutem.*

Can. 4. Qui in quoque genere claruerunt maximè, eos è catervâ ſcripturientium ſeligamus, in iis toti ſimus. Non omnia potuere omnes, ſingulis ſuas quibus eminent dotes, nulli dedit

omnes

omnes largitor ſummus; *Huic ſermo ſapientiæ, illi notitiæ, alii donum prophetiæ, alii interpretatio linguarum datur*; & quiſque non niſi ἐκ μέρους μέλος ἐσί, v.27. Summæ id erit in paſtore prudentiæ, ſi, quo in genere quiſque antecellit, accuratiùs diſpiciat; in iis immoretur; non vago curſu huc illuc diſcurrat. In roſtris, veluti alter Apollos, dominatur Chryſoſtomus; in hæreticorum offuciis diſcutiendis, facilè princeps Auguſtinus; in commentariis, reliquis palmam præripuit Hieronymus: Perinde &, in Neotericis, hic Syſtematis Theologici fabricâ, ille in Scripturarum enucleatâ explicatione, alius in Theologiâ κατασκευαστικῇ, alius in ἀναστευαστικῇ excellentior. 1 Cor. 12. 9.

Singuli omnia pertractant; non unus aliquis omnia ut ſingula abſolvit. Atque ſic, qui in Eccleſiaſticis legendi: Sequitur, Quomodò, ſive quâ cautelâ.

Can. 1. Nullus perlegendus author, quin conſilium ineundum, quâ vixerit ætate. Cùm enim nulli non magno conſtitit ſeculi, in quo vixerit, prævalens defectio; ita vel optimis viris aliquid inde affricatur mali. Videndum, quæ ſtipulæ errorum, quod traditionum fœnum, quæ ceremoniarum ſtrues in Eccleſiam jam tum ſurrepſerant: hâc ratione & ab erroris tincturâ noſmet liberabimus, & æquiori in illos animo erimus, quos non tam ſuis quàm ſeculi erroribus involvi comperiemus. Latum diſcrimen eſt, inter errorem hominis, & errorem ſeculi; vel bonos viros ſeculi erroribus, veluti torrente, abreptos videamus. Quis non in Bernardum, Anſelmum, Gerſonem iniquior erit, qui eos cum purioris ſeculi ſcriptoribus conferat; qui tamen in ætate ſuâ veluti faces ardentes colluxêre, utcunque in illis

multa superstitiosa reperies? Apprimè huc conducit, ut, in studiorum ratione, historiæ Ecclesiasticæ reliquis præmittantur; & unà Chronologi consulendi, qui seriem temporum accuratè digesserunt.

Can. 2. Cùm perpauci aliquando exstitêre theologi, quorum non fuêre aliqui in doctrinâ saltem nævi; videndum, ut cujusque, quoad possumus, malesana dogmata in numerato habeamus. Secùs foret, ut, quorum excelsum ingenium, summam eruditionem, pietatem insignem veneramur; illorum, aliud agentes, erroribus involvamur. In antiquiorum nævis designandis optimè meriti sunt Magdeburgenses. Chemnitius, in eleganti illâ, quam de patrum lectione habuit; oratione; Scultetus, in suâ Medullâ, &c. Quod ad Neotericos, habuêre complures suos errores; ut Lutherani, ut qui Calvinum sequuti in doctrinâ de Sabbato; ut Hemmingius, qui pro gratiâ universali contendit; ut Piscator, qui rejicit activam Christi obedientiam à justificatione peccatoris, &c.

P. 1. loc. com.

Can. 3. Tractatus Theologicos, qui spurii & incerto patre nati, danda opera ut à legitimis internoscamus. Solenne id fuit, apud Hæreticos, ut sub Orthodoxorum nominibus sua divulgarent venenata scripta. Et Romani Gnathones scripta complurima confinxêre, quæ illius sedis magnificentiæ, & primatui, testimonium perhiberent, eáque sub veterum nomine mundo obtruserunt: ejusmodi sunt Decretales Epistolæ, quæ sub nomine Clementis, Anacleti, Anyceti, &c. circumferuntur. Alter Aristarchus fuit Erasmus in scriptis veterum, præcipuè Hieronymi, genuinis à nothis secernendis. Post eum, egregiam alii navârunt operam; ut Robertus Cocus

pastor

pastor Leodiensis, in censurâ veterum, Thomas Jamesius Oxoniensis, Andreas Rivetus in critico sacro; atque, è Pontificiis, Possevinus, in suo apparatu, Sixtus Senensis, in suâ Bibliothecâ; aliique plures obiter hoc fecerunt, ut Perkinsius, in problemate, & Parkerus, in suâ Politiâ. Lib. 2. ca. 13

Cap. XX.

Gregi quomodo & Inspiciendum, & Prospiciendum.

TErtiò, Ut ad munus instructior accedat Pastor, ejus est ὁπτικοπεῖν, i.e. ut, qui in speculâ constitutus, gregem undique circumspicere. Ποιμαίνες ὁπτικοπῆντες. Dicitur autem pastor ὁπτικοπεῖν, 1. Inspiciendo. 2. Prospiciendo. De Inspectione pastorali videndum, 1. Quæ ejus necessitas. 2. Circa quæ versatur. 3. Quomodo exercenda. Gregi Inspiciendum. 1 Pet. 5. 2.

Inspectionis necessitas arguitur, 1° Quòd quæcunque sive prophetarum, sive Christi & Apostolorum conciones, populi, quîcum res erat, cognitionem supponunt: Gregis autem nulla explorata cognitio sine inspectione. *Haud officia gregi præstabit Pastor, nisi cujusque ovis faciem & balatum noverit; ut, non per relationes, aut per alium; sed de vultu, gestu, & voce, animi morbum deprehendat.* Sot lib. 10. artic. 2. In eo concionatoris laus, non quòd promiscuè sua effundit, sed quòd omnia iis quos alloquitur adapter. A Sutore vestiario, non id solum quæritur, ut Quare.

ve-

vestem conficiat; sed, ut huic vel illi, cujus vestis, accommodam: perinde & à concionatore, ut sua omnis populo, quicum res est, concinnè accommodet. Hinc Ezechieli, populi exitium denuntiaturo, quæ in conclavibus, quæ in locis seclusis abominanda peccata perpetrârunt, Deus per modum visionis oculis subjecit. Multiplex illud væ, pro auditorum conditione, idque non in genere solùm, sed in specie, denunciavit Christus. Sic, non nisi inspectione adhibitâ, Athenienses alloquutus est Paulus. Quæ conscriptæ ab eodem Epistolæ, populi ad quem conscripsit cognitionem, arguunt: hinc quandoque misit, qui secum, Evangelistas; ut qui in statu res eorum essent intelligeret. Haud enim potest vel frater fratrem ad pietatem & bona opera excitare, nisi καλαυοῦ. 2° Quòd pastoris est, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, i. e. Cuique, pro suâ spirituali conditione, tribuere quod suum: infantibus, quod infantibus; adultis, quod adultis &c. Ejus est quandoque *mutare vocem*. Carnales, ut Carnales, non ut spirituales, alloqui. 1*Cor.*3. 1. Quî hoc poterit, nisi diligenti priùs adhibitâ inspectione? 3° Quòd sacrorum dignitas non aliàs conservari potest, nisi mundos ab immundis discriminet pastor: quî autem possunt hi ab illis secerni, nisi omni accuratiori scrutinio explorentur? Quanti hoc intereat testatur illud apud Prophetam; Sacerdotes profanant res sanctas meas, inter sanctum & profanum non discernunt, & inter purum & impurum discrimen non ostendunt. 4° Vel naturæ lumine hoc constat. Sumus Medici; medicina idonea non potest, nisi morbo cognito, parari: Sumus sacrorum Oeconomi, quibus nova & vetera educenda, id est, quæ cuique conveniant distribuenda;

Ezek. 8.

Mat. 23.

Act. 17.

Phil. 2. 19.

Heb. 10.

2 Tim. 2. 15.

Gal. 4. 20.

Ezc. 22. 26.

nda; sic Musculus: Sumus seminatores; nullus, nisi soli naturâ expensâ, semen spargit: Non omnis fert omnia tellus: Sumus nutrices; quæ populo ministramus, pro ejus modulo, robore vel infirmitate, temperanda.

Sequitur, circa quæ versatur hæc inspectio. Circa quæ. Primò, De gregis spirituali conditione videndum. Ovium Christi, varia conditio: aliæ sanæ, aliæ morbidæ; quarum hæ firmiores, illæ infirmiores: aliæ perditæ; quarum hæ ignaræ, sed dociles; illæ scientes, sed non humiliatæ: aliæ ægrotæ: aliæ per errores abactæ: aliæ è lapsu vulneratæ. Animo recognoscat pastor, ad quam harum classem suas revocet. Porro, si perditæ, illud dispiciendum, quo in genere perditæ, quæ apud illos regnant mala, quibus in his constringuntur laqueis: Si ægrotant, quæ illas malè habent conscientiæ vulnera: Si errorum dumetis implicitæ, quo in genere errant: Si lapsæ, quæ lapsûs circumstantiæ; sagaciùs perquirendum: Si sanæ, in quibus corroborandæ, contra quæ muniendæ, attentè circumspiciendum. Secundò, advertendum, quæ suorum conditio ex donis vel naturæ, vel gratiæ communis: sive ex bonis adventitiis, ut quòd divites, vel pauperes; personæ nobiles, vel ignobiles, publicæ vel privatæ; senes, vel juvenes; réne eorum prosperæ, vel adversæ, &c. Tertiò, quærendum, quomodo se gerant in totâ vitæ consuetudine; præcipuè in statione ad quam designati; An tam Deo, quàm hominibus, secundùm varias relationes, debitum præstant officium; an à scandalo liberi, quos sibi asciscunt socios. Quartò, & illud attendendum, quam in cordibus eorum verbum quod dispensatur sortitur operationem. Fateor, multoties verbum latenter effi-

efficax esse, vel ejus operatio ne vel Lynceo oculo inspicienti conspicua; at id pastoris, ut auscultet, quod verbi dispensati effectum. *Attendi, & audivi; prava loquuntur: nullum virum pœnitet malitiæ suæ, ut dicat, Quid feci?* Ut enim, qui ignem ex silice decusserit in igniarium, oculum advertit, num ex scintillis decussis quæ subest materia combustibilis flammam concipit: sic verbi dispensatori animadvertendum, ubi verbi scintillulas huc illuc sparsit, num sint qui ignescunt, quorum corda inflammantur.

Jer. 8. 6.

Quomodo.

Sequitur, ut dicam, Quomodò hæc inspectio exercenda. Primò, Omnis arripienda occasio, sive illos domatim alloquendi, sive cum illis congrediendi, confabulandi. In colloquio cum iis instituendo, 1° Ansam demus, ut, quæ in religione mentis sensa, expromant. 2° Sciscitandum, si id commodum videtur, quomodo se gerant qui sub eorum imperio. 3° Subodorandum, quibus innituntur fallacibus principiis, quæ verbo dispensato vel dispensando obicem ponunt. Secundò, cum aliis, quibus melius cogniti, colloquendum; ab iis de illorum conditione certiorem. Sic 1 Cor. 1. 1. *Declaratum est mihi à domesticis Chloe, quòd lites sint inter vos. Gavisus sum cùm venirent fratres, & testimonio suo commendarent sinceritatem tuam, &c.* Tertiò, revocando ad examen (nec enim rumoribus statim credendum) quæ vel circumfert fama, vel quæ ab iis qui melioris fidei suggeruntur, de inordinatè viventibus. Qui aliis præsunt, eorum gloria eos qui nequiter vivunt perquirere, quæ clanculum ab illis fiunt detegere. *Honor regis pervestigare rem.* Atque sic ἐπισκοπεῖ pastor inspiciendo.

Joan. ep. 3.

Prov. 25.

Sequitur, ut dicam, & Quare & Quomodò Pro-

Prospiciendo. Quare. Scil. Quia sic pastores describuntur, ut *qui vigilant pro animabus* eorum qui subsunt: αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, est autem ἀγρυπνεῖν, noctes insommes agere, quod solent viri βουληφόροι. Paulus frequens fuit ἐν ἀγρυπνίαις, quæ nihil aliud quàm pernox illa solicitudo, quâ Evangelio propagando totus incubuit.

Gregi Prospiciendum. Quare. Heb. 13. 17

2 Cor. 6. 9.

Solicitudo hæc exercetur, 1° Cùm pastor suis periculum imminere, vel ab hæresibus ingruentibus, vel à malis quibuscunque serpentibus, certò perspexerit: tum enim eò suos omnes conatus in ministerio dirigat, ut suorum animos in doctrinâ quam acceperint corroboret. Propheta Esaias, prospiciens populum Dei ad gentem idololatricam aliquando abducendum, de vanitate idolorum copiosè disserit. Presbyteros Ephesinos, gregi attendere voluit Apostolus, *quòd lupi graves post ejus discessum ingressuri essent; & exorirentur viri perversa loquentes, ut discipulos post se abducerent.* 2° Diligenter animo expendat, quî id faciat quod maximè conducat gregi. Seligat sua temporum intervalla, quibus, reliquis sepositis negotiis, ad illud unum, Quomodò suis prosit, mens tota feratur. Sunt alii è Satanæ faucibus liberandi, alii in suâ fide ulteriùs ædificandi, alii, ne transversi abripiantur, in suâ integritate conservandi; alia atque alia, pro variâ conditione, ineunda via. Atque, si vel in humanis negotiis, nihil nisi consilio & maturè deliberando, solet ritè geri; nunquid in divinis, iisque omnium excelsissimis, aliquid effectum dabimus, nisi toto animi nisu in illud incumbamus? Si pro negotii, cui operam damus, sive difficultate sive magnitudine, in consilio & frequentiores & cogitabundi magis; quam non experrectam animi

Quomodò.

Esa. 40. 41, 42, 44.

Act. 20. 28, 29.

ἐνεῦ-

ἀνζυλίαν flagitat animarum cura? quam non postulat assiduam μεριμνῶν;

CAP. XXI.

Sit animus debitis affectibus imbutus.

Affectus, quibus imbuendus.

QUARTÒ, Qui verbum populo dispensaturus, animum ejusmodi affectibus imbuat, quos sibi inter concionandum adesse cupit. Adsit primò, Zelus gloriæ Dei. Sic Christus, *Zelo domûs Dei exestus*; & Apollos, *fervens spiritu*, locutus est: incaluit sc. animus flagranti desiderio Evangelium propagandi, & gloriam Dei ex eo illustrandi. Zelus hic exprimendus, 1° Piâ in peccatum indignatione. De Chrysost. Sozomenus, Sic coarguebat peccata, tam in Ecclesiâ publicè, quàm privatim apud eos qui deliquissent, ὡς ἀυτὸς ἠδικημένος, μὴ παῤῥησίας ἀγανακτῶν, *acsi ipse injuriâ affectus, summâ cum dicendi libertate stomachans.* Ac cujus revera non exardesceret animus in peccatum, quo Deus summè bonus contumeliâ afficitur? millia animarum indies in gehennam detruduntur? respub. civitates, familiæ florentissimæ, dissipantur? sub quo denique vel totius mundi fabrica ingemiscit? 2° Testandus hic zelus desideriis ardentioribus, quibus salutem animarum, quarum vel una toto mundo pretiosior, omni animi impetu persequimur: perrumpenda quæ impediunt, quæcunque obstacula, nullus non movendus lapis, omnes animi vires in unum aggregandæ, ut Or-

Zelus. Joh. 22. 17.

Act. 18. 25.

Lib. 8. c. 2.

co

co demersos liberemus. Moses & Paulus, hoc divino animi ardore correpti, ille se de libro vitæ expungi, hic à Christo anathema esse exoptavit, potiùs quàm populus Dei non salvus fieret. Exod. 32. 33 Rom. 9. 3.

Conqueritur apud Amesium author laudatus: *Verba vitæ, in quorundam doctorum & prædicatorum labiis, quantum ad virtutem & efficaciam, planè moriuntur; adeò enim tepidè, adeò remissè verba Dei enunciant, ut extincta in labiis eorum viderentur: unde sicut ipsi frigidi sunt, & extincti, sic frigidos & extinctos relinquunt, utinam non facerent, auditores, &c.* Ita est zelus in dicente, ut instrumenti musici chordis resina; absque quâ nullum emittit sonum fidicula. In Cas. Consc. li. 3. cap. 6.

Secundò, adsit tenera eorum quos alloquimur commiseratio: id iis compertum sit, nostra de ipsorum perditâ conditione viscera æstuare; illæ loquendi formulæ, quæ Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuuntur, talem esse debere in dicente affectum, insinuant. *O si esset hic eorum animus illis*, &c. *O si meus populus auscultaret mihi*, Psal. 81. 13. *Quare moreremini, O domus Israel? Quomodo disponam te, O Ephraim, ut Admam? ponam te ut Tzeboim? se versat in me animus meus, simul æstuant viscera mea pœnitentiâ.* Et Dominus Jesus sic, *O Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, ut gallina pullos suos sub alis! Misericordiâ tactus, flevit super urbem. Cum vidisset turbas, misericordiâ commotus est, quòd essent destituti & dispersi, ut oves non habentes pastorem. Assumitur ex hominibus Pontifex, qui commodè possit miserari ignorantes & aberrantes.* Ecquid commiserationis objectum huic par, homini sc. qui, cùm filius iræ, ad vermem mordacem, mortem vivacem, indies properat? Quàm miseranda ejus conditio, qui Commiseratio. Deut. 5. 29. Ezek. 18. 31 Ose. 11. Mat. 23. 37. Luc. 19. 41 Matth. 9. 36 Heb. 5. 1, 2.

qui in totum depravatus, cæcus, ſurdus, claudus, quid non? mancipium Diaboli, Gehennæ indies obnoxius, ſupplicio omnium maximo in omne ævum ſine remedio adjudicandus; cùm interim nihil tale de ſe cogitat; omnia ſibi fauſta promittit! Quid? quòd idem à miſericordiâ, & gratiâ quæ in Chriſto excluſus manet; gloriâ cœleſti, communione cum Deo, conſortio cum ſanctis & angelis, tempore ſuo, in æternum excludendus! Quæ non induenda viſcera miſericordiæ; cùm tales, de ſalute recuperandâ, exitio ad quod in inſtanti abripi poſſunt vitando, alloquimur?

Doctrinæ ſenſus interior.

Tertiò, Adſit ſenſus interior doctrinæ quam aliis commendatam volumus. Niſi enim in nobis priùs ejuſmodi affectus exſuſcitamus, quos aliorum animis impreſſos volumus; fruſtra erimus, quicquid conamur. Apoſtolus, Corinthiis pro peccatis triſtitiam ingenerari cupiens, ipſe ex multâ afflictione, & anxitate cordis, per multas lachrymas, illis ſcripſit. In quem locum

2 Cor. 2. 4. ſic Calvinus; *Sunt multi* (inquit) *clamoſi reprehenſores, qui in vitia declamitando, vel potiùs fulminando, mirum zeli ardorem præ ſe ferunt; interea ſecuro ſunt animo, ut videantur per luſum guttur & latera exercere velle. At pii paſtoris eſt, flere ſecum, priuſquam alios ad fletum provocet; tacita cogitatione diſcruciari, priuſquam indignationis ſigna edat; & plus retinere apud ſe doloris, quàm aliis faciat.*

Humilitas.

Quartò, Adſit illa animi demiſſio, quâ nos Dei auxilio in totum niti teſtamur. Deponenda omnis de noſtro qualicunque apparatu fiducia.

2 Cor. 3. 5. *Fiduciam habemus, non quòd idonei ſumus per nos ipſos ad cogitandum quicquam, veluti ex nobiſmetipſis, ſed, quòd idonei ſumus, ex Deo eſt.*

Haud

Haud rectè afficimur, ſiquando nobis magna pollicemur, quòd, quæ dicenda, ut quæ rem acu tangant, appoſita; quòd plurimum operæ & olei impendimus. Incaſſum eunt, vel quæ auditorum animos maximè commoverent, niſi cœlitùs adſit Spiritûs ſubſidium: *Cathedram in cœlo habet qui corda docet. Nec is qui plantat eſt aliquid,* 1 Cor. 3. 7 *nec is qui rigat; ſed Deus, qui dat incrementum.* Sæpiùs id compertum, quæ maximè elaboratæ, conciones, ne hilum proficere; cùm, quæ minùs cultæ, intimos animorum receſſus penetrant. Accedit, quòd multi elingues facti, cùm in concionibus formandis infinitos exantlâſſent labores; ita ad ſingulos actus miniſteriales de novo requiritur gratia. *Hominis ſunt diſpoſitiones acierum animi, ſed à Deo eſt reſponſum linguæ*: Non prodeſt qualiſcunque ad opus miniſteriale præparatio, niſi linguam dirigat Deus, ut præmeditata proferat. Id Deo inprimis perplacet, quando nos à Deo in ſolidum pendére palàm facimus. Pro. 16. 1

Quintò, Summâ divinæ Majeſtatis reverentiâ, cujus & vicem agimus, & verbum eloquimur, animus dicentis afficiatur. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* Populi in eo laus eſt, 1 Pet. 4 *quòd verbum, non ut hominis, ſed ut Dei excipiant:* 1 Theſſ. 2 pariter & eorum qui diſpenſant encomium, quòd non ut hominis, ſed ut excelſi Dei, ſermonem enuncient. Reverentia.

Sextò, Adſit intimus quo auditores complectimur affectus: Id iis innoteſcat, quàm nobis chari ſint. Altiùs illabitur ſermo, ubi auditor dicentis affectum in ſe benevolum animadvertit. Quæ vel aſperiora, in mitiorem partem interpretabitur, ſiquando ab amore omnia proficiſci conſtabit. Hinc illud Auguſtini; *Dilige, & dic quod voles.* In 6 ad Galat. Charitas.

voles. Id conatur inprimis Apostolus, ut amor ejus, iis quibuscum rem habuit, compertus sit: 2 Cor. 6. 11 *Os nostrum apertum est erga vos, &c.* Phil. 1. 8 *Testis mihi est Deus, quàm propensè vos omnes amem in visceribus Jesu Christi.* 1 Thess. 2. 8 *Ita erga vos affecti, voluissemus vobis impertire non solum Evangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas, quòd chari nobis essetis.* 2 Cor. 12. 15 *Ego verò libentissimè impendam, & expendar pro animabus vestris; etiamsi plurimùm vos diligens, minùs diligar.* Exprimitur verò inter concionandum ejusmodi animi affectus, Si auditores blandiùs compellemus: sic Apostolus Judæos iis nominibus affatur, quibus, ut veteris suæ gloriæ insignibus, gaudebant: Si permanenter obsecramus: Si nostram de ipsorum bono solicitudinem testemur: Porro, si illis suggeramus, quòd illorum in precibus nostris sumus memores; quòd nihil æquè nos contristat, vel exhilarat, ac illorum res prosperæ, vel adversæ: Si denique omnia suaviloquis insinuationibus (modò absit adulatio) cordatioris affectûs testimoniis condiamus. Multùm intererit, si nos in illos benevolè affectos esse prospexerint. Act. 2. 14 & 22. 2 & 13. 15 Item, 23. 1

Ἀφοβία. Septimò, Adsit ἀφοβία, quâ, semotâ omni formidine, intrepidè peccata detegimus, judicia minamur. *Ego repletus sum spiritu Jehova, judicioque & potentiâ, ad indicandum Jahakobo defectionem ipsius, &c.* Mic. 3. 8 *Da servis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum. Orate, ut mihi detur apertio oris cum libertate; ut patefaciam Evangelium sicut oportet me loqui,* Act. 4. 29 & 28. 31 Eph. 6. 19 Col. 4. 4 i. e. intrepidè. Absit pusillanimitas, timor, turpe silentium, quibus ab officio revocantur qui ἀνθρωπάρεσκοι.

Simplicitas. Octavò, Adsit illa ἁπλότης, de quâ Apostolus, quâ Dei præceptum duntaxat in oculis ferimus, ei soli ac hominum conscientiis ministerium nostrum 2 Cor. 1. 12

ſtrum probatum volumus. *Stude teipſum ſiſtere probatum Deo.* A nobis propulſare oportet omnes illos, quibus ſolet animus prurire, inanes hominum applauſus; quæcunque nos titillant, ſive honoris, ſive lucri blanditiæ, eas averſemur. *Non ut cauponantes ſermonem Dei, ſed ut ex ſinceritate, ut ex Deo, in conſpectu Dei de Chriſto loquimur. Declaratione veritatis commendamus nos ipſos apud omnem conſcientiam in conſpectu Dei.* Atque hæc, de iis, quibus paſtor ad munus accedat inſtructior. Sequuntur, quibus populus ad auſcultandum paratior.

2 Tim. 2.15
2 Cor. 2.17
2 Cor. 4.2

Cap. XXII.

Quomodo populus ad auſcultandum fiat paratior.

UT populos ad auſcultandum verbo ſit paratior, aliquid nobis faciendum incumbit; aliquid à Deo exorandum.

Ut populus ad auſcultandum ſit paratior; 1. Eorum animi demulcendi.

Primò, nobis incumbit, ut, quibuſcunque poterimus lenociniis, animos populi in nos propenſos reddamus.

Sextuplex hîc occurit ratio, quâ paſtor ſuorum animos ſibi devinctos teneat. 1. Si χρηστὸς erit, i.e. ſi comiter ſe gerat, ſi moribus facilis ſit, omnibus ſui copiam & uſum faciat. *Eſtote alii in alios χρηστοὶ, Eſtote ad invicem φιλόφρονες, comes. Ut favus mellis, ſunt verba amœnitatis. Verba oris ſapientis ſunt gratioſa;* i.e. mellito & molli ſermone gratiam ſibi conciliat. Suorũ animos facilè conciliabit, qui vultu, ſermone, geſtu, iis ſe comem & affabilem

Eph. 4. 32
1 Pet. 3. 8
Prov. 16. 24
Eccleſ. 10. 12

fabilem præbuerit. 2. Si εὐπαλαίστος & συμπαθὴς erit, in iis quæ ſuis obvenerint calamitatibus; animo ſit ad miſerandum propenſo, lugeat cum lugentibus. Ex eo amoris noſtri fidem facimus uberiorem, ſi in rebus adverſis illis ſuccurramus, affectum in illos pronum teſtamur, eorum onera mutuâ συμπαθείᾳ in nos ſuſcipiamus.

2 Cor. 11. 29 *Quis affligitur, quin ego affligor? quis offenditur, quin ego uror?* De Ambroſio fertur; *Facere eum putes cum jacentibus, lachrymari cum lachrymantibus, gemere cum gementibus: Vir clementiſſimus in omnem formam ſe transformavit, ut homines Diaboli faucibus ereptos Chriſto lucrifaceret.* 3. Si ἀγαθοποιὸς, i. e. Beneficentiâ, operâ, auxilio, quantum in illo eſt, cunctos demereatur.

Act. 10 Gal. 6. 10 *Chriſtus obambulabat* εὐεργετῶν. *Simus benefici erga omnes*, &c. Chriſtus, pluribus benefaciendo, & eorum affectus in ſe proclives reddidit, & ex iis multos ad fidem lucrifecit. Charitas noſtra innoteſcet famis, peſtis, aut alicujus divini flagelli tempore. Hoc nomine celebratur Baſilius ille magnus, quòd fame graſſante, populo in maximâ rerum penuriâ conſtituto, ſua omnia expromendo, ſuccurrit. 4. Si, in quibus fas erit, ut in iis quæ tam naturâ quàm uſu adiaphora, illorum ruditati ſe accommodet: nullo negotio ſuorum animos ineſcabit, & vel reluctantes, blandiùs inclinabit, ſi omnia fiat omnibus. Qui ſecùs faciunt, in adiaphoris mordicùs tenaces, quantas illi miſcent turbas, gregis affectus à ſe prorſus alienant! Hinc Apoſtolus, utcunque *liber ab omnibus, omnibus ſe ſervum fecit, ut plures lucrifaceret. Factus eſt Judæis, ut Judæus, &c. exlegibus ut exlex, omnibus omnia, ut aliquos ſervaret. Ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipſius utilitatem, ſed multorum, ut ſerventur.*

1 Cor. 11. 16 & 9. 19 & 10. 33

ventur. Hoc consilio Timotheum circumcidit, voto se obligavit, se purificavit, ut Judæis placeret; cùm, hæc omnia nullius momenti esse coram Deo, sciebat. Act.16.3 & 18.18 & 21.26 5. Captet quandoque ansam cum suis convivandi communem; cum illis, ut res tulerit, agat mensam. Fit aliquando, ut quæ in animos hominum subrepant de nihilo simultates, quæ desuetudine vitæ exoriantur temerariæ suspiciones, vel invicem convivium agitando abeant in nihilum. Hinc Christus, qui ovem Israelis perditam quæsitum venit, non recusavit quandoque etiam cum Publicanis, & peccatoribus cibum capere. Luc 5.30 & 15.23 Et Gregorius Bonifacium hortatur, Ep. 3. ut cum presbyteris, multis vitiis irretitis, communem mensam ageret, ut hâc ratione ad meliorem frugem traduceret. *Plerunque enim* (inquit) *accidit, ut quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendum veritatis normam, conviviorum sedulitas & admonitio blanda ad viam justitiæ perducat.* Eleganter Seneca, *Cœnent nobiscum alii quia digni; alii, ut sint digni.* Interim cavendum, ne ita cum illis commercium habeamus, ut vel inde ex illorum consortio aliquid mali contrahamus; aut aliis scandalo sit, qui exin conjiciant illorum à nobis peccata probari; aut illi in sua nequitia confirmatiores evadant. Omnibus sit exploratum, nos cum illis, non nisi ut medicos cum ægrotis, congredi. 6. Omnes quascunque rixas, & jurgia, quæve horum flabella esse possunt, caurè fugiat, qui suorum animos sibi conjunctissimos velit, Pastor. Inprimis, solicitè declinet omnes iras cum iis, qui, quòd opibus & amicis potentiores, odium haud nôrunt deponere. Horum animos si irritaveris; & altiùs insident vel leviusculæ injuriæ, nec ita facilè

vulnus coaleſcit. Pariter, nec cum aliquo hominum ordine, aut cum multitudine in unum conſpirante, (modò id ſalvâ conſcientiâ poteſt) certamen ineundum.

Animorum hanc conjunctionem qui ſartam tectam eſſe velit, 1. Contractus omnes cum ſuis, in hujus vitæ emolumentis, quos non vel lex charitatis, vel inevitabilis neceſſitas exigit, ſtudioſè declinet. Quippe hi, cùm plerunque contentionum occaſio ſint, animorum alienationem ſenſim pariunt. *Hei mihi, mater mea,* Jer. 15. 10. *quòd peperiſti me in quem intendatur lis, &c. non dedi mutuum, nec mutuum dederunt mihi,* i. e. ab omni litis occaſione, quæ humanitùs moveri potuit, ſuperſedi prudens, *& tamen unuſquiſque maledicit mihi.* 2. Siquando cum illis intercedit quodcunque negotium, ſive in ſpiritualibus, ſive in iis quæ hujus vitæ, animum, manſuetudinis thorace munitum, curet. Qui non quaquaverſum inſtructus, (mihi crede) populi id pervicax & moroſum ingenium, ut vel mitiſſimo cuique, niſi antè cavebit, bilem commo-
2 Tim. 4. 2 vebit. Hinc eſt, quòd omne hoc paſtorale mu-
& 2. 15. nus, μακροθυμίας grano conditum, voluit Apoſtolus. 3. Illud paſtori fixum deliberatúmque populi ineptias complures devorare; injurias, quæ non graviùs vulnerant, pro ſuâ prudentiâ, tranſilire. Qui ſecus faciunt, quodvis ξεῦδος μῆλον projectum arripientes, ſi in homines litigioſi ingenii inciderint, cœlum & terram contentionibus miſcent. Hanc ſuorum à ſe abalienationem propterea defugiat paſtor, quòd animi audientium, inimicitiis exacerbati, quicquid vel candido affectu dicitur, id omne rapiunt in deterius; nec enim unquam probatur quod dicitur, cùm de affectu dicentis dubitatur.

Se-

Secundò, Ut fœliciùs ſuccedat omne cum populo in ſacris diſpenſandis negotium, Deus paſtori privatim exorandus. Anpon miniſtri verbi, qui in laboribus aſſidui, ſuam omnem ludunt operam arando, ſerendo, irrigando, niſi cœlitùs proveniat incrementum? *Non is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum.* Chriſtus, Evangelium annunciaturus, ſubduxit ſe priùs in deſertum, ut precibus vacaret, ne apud eos fruſtra eſſet miniſterium. *Non deſinam ſupplicare pro vobis, nec inſtituere in via optima, & rectiſſima. Deprecatio ſuper Iſrael eſt, ad ſalutem*, i. e. ut verbum Evangelii, quod illis, prout occaſio erat, annunciabat, reciperent. Idem Apoſtolus, pro Eccleſiis quas fundaverat, oravit inceſſanter; quantò ardentiùs, in iis fundandis, Dei auxilium implorabat? Quid? quòd hoc reciprocum paſtoris & gregis officium, ut pro ſe invicem orent. Populi eſt, Deum orare, ut illa ſuggerat paſtori, quæ in eorum profectum cedant: Paſtoris, ut corda hominum, quò verbum medullitùs recipiatur, aperire dignetur: nec enim arma militiæ noſtræ, niſi Deo auxiliante, ſunt potentia. Fruſtra ſunt vel doctiſſimi paſtoris juges labores, vel minùs inſtructi proſunt valdè; prout uterque in divino auxilio precibus efflagitando vel remiſſior, vel attentior. Denique, ſi, in quibuſvis hujus vitæ negotiis, nihil pro voto ſuccedit, cui non aſpirat Deus: nunquid veriſimile, hoc omnium auguſtiſſimum, & difficillimum munus, quo homines ab inferorum clauſtris, ad gloriam cœleſtem traducuntur, poſſe Deo non opitulante dextrè adminiſtrari? Si tam ardenter flexis genibus preces effudit Petrus, ut non-niſi corpus demortuum exſuſcitaret; quanta vel

2. Deus exorandus.

1 Cor. 3. 7.

Marc. 1. 35, 38, 39.

1 Sam. 12. 23

Rom. 10. 1

2. Cor. 10. 4

ab intimo pectore ſuſpiria & preces nos effundere oportet, ut animas in peccato mortuas, exitio æterno devotas, in vitam ſpiritualem, æternam reſtituamus? Atque ſic, de iis quæ παραινετικῶς in munere paſtorali obeundo requiruntur. Sequitur, ut de ejus γυμνασίᾳ dicam.

LIBER

LIBER SECUNDUS:

De dispensatione verbi pastorali.

Cap. I.

De publicâ Verbi Prædicatione; & speciatim de Contextu Eligendo & Interpretando.

DE Pastorali munere, quod ad ejus γυμνασίαν, videndum. 1° Quotuplex. 2° Quæ in eo fungendo confirment. Munus pastorale duplex. 1° Simplex, quod solus administrat. 2° Compositum, quod cum aliis conjunctè. De hoc non est instituti mei in hoc tractatu disserere. Simplex est, vel quo os Dei ad populum, vel populi ad Deum. Os Dei ad populum est vel dispensatione verbi, vel administratione Sacramentorum. Quod ad verbi dispensationem advertendum. 1° Quot modis

modis dispensari oportet. 2° Qui huic subserviunt Canones. Dispensari oportet verbum, vel publicè vel privatim: publica dispensatio est principalis, vel minùs principalis. Principalis est illa quæ vulgò dicitur verbi Prædicatio.

Prædicatio verbi, Quid.

Prædicatio verbi est medium gratiæ divinitùs institutum, quo res regni Dei publicè & explicantur & applicantur, ad populi salutem & ædificationem. Dico, est *medium gratiæ*] ut morale scil. instrumentum, in cujus cum fide conjuncto usu efficax est Deus ad gratiam operandam: Sic dicitur esse *potentia Dei cuivis credenti ad salutem*: est *brachium Jehovæ*, Isa. 53. 1. *Divinitùs constitutum*] sic enim à Deo statutum, ut non ipse vivâ voce, non angeli, sed homo hominem ad salutem edoceret. *Quæcunque loquuti sunt, benè loquuti sunt*, cum sc. Mosem qui inter Deum & populum interloqueretur, desiderarent. *Profecti docete omnes gentes, docentes observare omnia quæ mandavi vobis*, &c. *Quo res regni Dei*] sic Luc. 4. 43. Res regni sunt Lex & Evangelium. Evangelium, ut quod principale; Lex, ut ei subserviens. Evangelium, ut quo Christus cuivis sic credenti ut resipiscat, in salutem exhibetur: Lex, ut quæ vel manuducit ad Christum, vel ad illum adductos dirigit. *Publicè*] primò ratione loci, qui aut publicus, aut quasi publicus esse debet, in quem conveniant quorum corda exsuscitat Deus. 2° Ratione personæ, ut cum ab eo dispensatur qui publicè ad hoc manus segregatus. *Et explicantur & applicantur*] Quæ dispensanda sunt mysteria recondita, captum hominis ψυχικῦ transcendunt, ut intelligantur, explicari oportet. Explicavit Christus quomodò in ipso impleta quæ in manibus Scriptura. Quæ in genere explicantur, ea nullus ut sibi dicta in-

Rom. 1. 16.

Deut. 5. 27, 28.

Mat. 28. 19

Luc. 8. 1.

Act. 13. 44

Luc. 4. 21

ter-

terpretabitur, nisi cuique prout varia conditio in ejus ædificationem accommodentur. *Qui prophetat loquitur hominibus ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem. Ad populi [lucrum]* sic, ut à morte ad vitam traducti, remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant. 1 Cor. 14. 3

Verbum salutis sic publicè dispensaturo duo incumbunt. 1. Contextus eligendus. 2. Tractandus. In contextu eligendo videndum, Quare, Quomodò. A&. 26. 18 Contextus eligendus.

Obj. Quare? cum ordinariè nec Christus, nec Apostoli contextui se astrinxêre? *Resp.* Dispar nostri, & Christi ac Apostolorum conditio. Convenit nobis, utcunque non semper illis, ut contextum sumamus. 1. Quia illis semper aderat in opere ministeriali assistentia Spiritus infallibilis; nobis cum non sic, omnia nostra ad contextum θεόπνευστον exigenda. 2. Christi & Apostolorum id erat officium, ut principia fidei quibus tota superstruenda Ecclesia, substernerent; nostrum id ut normam credendorum & faciendorum sic positam interpretemur, & in populi usum accommodemus. 3. Quia gentes, quibuscum post Christi ascensum in Evangelio dispensando Apostolis res erat, Scripturas non agnovêrunt. Ex non concessis arguisset quicunque illis contextum proposuerit. Sic Quarè; videndum Quomodò. Quare.

Præmonendum id in genere, Contextum semper eligendum, ex quo populo in iis quæ illis accommoda succurramus; id pastori ratum sit, ejusmodi sibi assumere contextum, quo viam muniat ad ea quæ populo necessariò dicenda. Id enim in oculis primò ferendum, quid exigit gregis necessitas: Contextus eligendus, ut medium, Quomodo.

quo

quo huic ſubveniamus. Contextus ſubſerviat populo, non populus contextui, qui illi nullatenùs accommodus, alligandus. In contextu eligendo expendendum: 1. Quæ populi quem affamur conditio. 1. In ſpiritualibus, ſintne intrà vel extrà, infantes an adulti, ſtantes vel lapſi, animo docilíne an obſirmato, quæ obtinent apud illos peccata, &c. 2. In iis quæ apud homines diſtinguunt, ſintne divites vel pauperes, ſintne urbani vel ruſtici, ſintne ingenio acutiori vel hebetiori, rebúſne adverſis an proſperis fruantur, cujus denique ordinis ſunt. 2. Videndum quæ conditio temporum; ſunt quandoque tempora lugubria, ſunt quandoque lætiora; ſunt dies vel boni vel mali; nunc à judiciis Dei ingruentibus periculum, nunc Halcyonia omnia. Quæ tempeſtivè enunciantur, ea altiùs animis audientium illabuntur. 3. Pro re natâ contextus deſumatur: ut in Sacramentorum diſpenſatione, in conjugio conſummando, in juridicis conventibus, ſi quando habenda concio funebris, ſi quando ſolemnior vel humiliatio, vel gratiarum actio celebranda, &c. Concio ex dimidio peracta, ubi contextus vel populo vel negotio, quod in manibus, congruus. Errant hîc qui contextum ſic eligunt, vel in quo variam duntaxat lectionem venditent, vel in quo floſculis ingenii lùdant, vel ex quo quæ difficiliora enucleando profundioris ſcientiæ famam aucupentur, vel in quo multoties ſe exercuerunt, utcunque nulla ſit cum populo ἐφάρμοσις. Atque ſic de contextu eligendo; Sequitur de tractando. Dicendum hîc quâ Methodo utendum. 2. Quare. De methodo concionandi dicturus, non tantum mihi arrogo, ut cuiquam docendi rationem à quâ non diſcedat, ipſe è concionatoribus minimus, ſtatuam;

Methodus concionandi.

tuam; ſuo quiſque fruatur judicio. Ego illud unum deſidero, ut omnia ad populi Dei ædificationem peragantur, juxta illud, *Salus populi inter concionandum ſuprema lex eſto.* Sat benè nôrim, ut hominum facies tam multiformes, ut vix una alteri reſpondeat, omnes tamen ſeorſum ſuam habent venuſtatem: perinde & in multiplici quâ uſi ſunt doctiores concionandi methodo, quamvis vix una alteri per omnia ſimilis, omnes tamen, ſi gregis ſalutem unicè in oculis ferant, ſummè laudandæ. *Ut quiſque accepit donum, ita alius in alium illud ſubminiſtret, ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* Abſit itaque, ut ex eo quod dicam, fideli alicui Chriſti miniſtro aliquid detraham, quiſque in illâ docendi ratione inſiſtat, quam populum maximè prodeſſe diuturna illum docuit experientia. Id unum inſtituti mei eſt, cùm de officio paſtorali mihi neceſſariò aliquid dicendum, quæ mihi populum docendi compendiaria maximè via videtur, illam rudi minervâ exprimam. Methodus autem concionandi tribus hiſce circumſcribitur. 1. Scripturæ datæ interpretatione. 2. Doctrinæ ex eâ emergentis deductione. 3, Doctrinæ deductæ accommodatione. Scripturæ interpretatio duo in ſe complectitur. 1. Senſûs ſcrutinium. 2. Senſus ſcrutinio indagati propoſitionem. Senſui Scripturæ indagando hæc inſerviunt adminicula. 1. Scopus ad quem collimat Sp. S. tum libri in genere, tum ſectionis è quâ deſumitur contextus, attentâ lectione animo figendus: ille ſenſus maximè probandus qui, cæteris ſubductis, huic aptiſſimè conveniat; qui huic repugnat, ille certò rejiciendus. Eò hîc in ſcopo eruendo impenſiùs elaborandum, quò ex hujus ignoratione errores in re Theologicâ proſeminati ſunt teterrimi.

1 Pet. 4. 10.

Senſûs indagatio.

terrimi. Absque hoc ritè perspecto, qui sensum affingunt, næ illi erratico cursu feruntur, ut qui scopo utuntur dissoluto sagittarii. 2 Grammatica verborum in linguâ primævâ vis & emphasis, tum seorsum, tum in Syntaxi pensitanda. Habet unumquodque vocabulum suam quâ continetur sphæram, extra quam si protendas, ei vim infers. Hunc verborum ambitum, & quos ei usus constituit cancellos, quicunque accuratiùs cognoscere cupit, ei primò videndum quo significatu aliàs occurrunt in sacrâ paginâ, præsertim ejusdem in quo versamur libri. Dein & ethnici scriptores, si res tulerit, de justo verborum pondere consulendi. Atque cùm in omni disquisitione accuratiori illud philosophi, sc. δεῖ ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα passim obtinet, haud committendum ut in Theologicâ συζητήσει verborum examen negligatur. Porrò diligenciùs exquirendum quam, ex syntaxeos ordine, mutuantur verba ἔμφασιν. Cui enim qui in Grammaticorum castris mediocriter versatus id non compertum, pro dispari verborum ordine, pro temporum varietate, pro multiplici regiminis formâ, vim vocum esse ἐμφατικωτέραν? 3. Videndum, an Rhetorica perlustratio contextui explicando aliquid afferat lucis; hæc pro variâ schematum ratione, vel verba, vel sententias, vel integram orationem, sive plurium sententiarum accumulationem, intuetur. De his omnibus consule *Illyricum* de tropis & schematibus. Cavendum hic ne tropum comminiscamur ubi nullus; nec tropum negemus, ubi justa ratio tropicam esse locutionem probat. Multa dicuntur in scripturis quæ, si propriè sumantur, in aliquod præceptum fidei vel charitatis incurrunt, aut veritati alicubi dilucidiùs traditæ adver-

2. part. cla.

versantur, aut id quod vires naturæ superat, involvunt; ut quod de Annâ, quæ dicitur *non abscedere à templo, sed jejuniis & deprecationibus* Luc. 2. 37. *Deum colere noctem atque diem. Dies hic est decimus quartus ex quo jejuni permanetis nullo cibo* Act. 27. 33 *sumpto.* 4. Logica series diligentius expendatur; hujus subsidio videndum, Quid in quæstione est; Quibus mediis confirmatur; Quam induunt singulæ voces Logicam relationem; Quo ordine argumenta proponuntur; num per κρύψιν argumentationis, partes seu λήμματα inverruntur; Num suis singulis membris exprimitur integra ratiocinatio, an quâ claudicet. 5. Si locus difficilior scripturæ datæ, cum aliâ vel ejusdem libri, vel alterius, suâ perspicuitate translucidâ, collatio instituenda. Revocetur, si fieri potest, locus controversus ad aliquem Pentateuchi contextum similem; dein animo prophetas percurramus, ac quomodo illi hanc legis clausulam explicârunt, attentè animadvertamus. Sin nullus occurrat contextus, qui ei παράλληλος, advertendum de quo subjecto loquitur Scriptura in quâ difficultas, atque ex eo recurrendum ad illa Scripturarum vada in quibus eadem doctrina clariori verborum structurâ traditur. Huic scripturarum collationi eò attentiùs incumbendum, quòd cùm omnium sit certissima explicandi ratio, maximam gignit in animo πληροφορίαν: ut enim in ambiguis hominum sermonibus quilibet sui optimus interpres; ita in locis scripturæ dubiis, illa cæteris anteponi debet expositio, in quâ Scriptura, & glossa, & contextus. Hoc artificio Paulus Judæos Damasci habitantes superabat, & confundebat, Scripturis sc. collatis demonstrans Jesum esse Christum. Est Act. 9. 22. enim συμβιβάζειν verbum architectonicum ab

arti-

artificibus desumptum, qui si aliquid compingant, singulas partes invicem committunt, ut inter se aliæ aliis ad amussim quadrent. 6. Circumstantiæ loci sensui ejus tam clarum perhibent testimonium, ut qui his ἀσύνδετον, meritò explodendus. Sp. S. qui sapientiæ omnis fons, in eo semperdecorum servat, quod circumstantiarum rationem habeat. Accedit, his propterea ambiguè dicta veluti radiis illustrari, quòd iis velut individuo nexu adhæreſcunt. Hæ sic enumerari solent. *Quis, Cui, Quâ occasione, Quo tempore, Quo loco, Quo fine, Quid antecedit, Quid sequitur.* 7. Ultimò, analogiæ fidei ratio habenda, ita ut nullus affingatur sensus Scripturæ, qui huic contrarius. Probabile enim id, omnem illam doctrinam quæ ad salutem necessaria, perspicuè & sine omni involucro tradi. Si quis igitur ex locis obscurioribus duntaxat novam aliquam, in iis quæ necessariò credenda vel facienda, opinionem Ecclesiæ obtrudat, non est auscultandum. Atque sic de iis quæ textui indagando inserviunt. Operæ-pretium quandoque hîc erit, quod pro pastoris prudentiâ animadvertendum quousque expediat, ut Scripturæ primanibus locum ab hæreticorum nostri temporis malè sanis interpretationibus, solidè vindicemus. Sequitur sensus quem jugi labore adinvenimus, propositio.

Sensûs Propositio.

Paraphrasis.

Sensus Scripturæ proponendus, vel παραφραστικῶς, vel ἀναλυτικῶς. Tum proponitur παραφραστικῶς, cùm sensum ex singularium vocum expositione emergentem aliis verbis integrè enunciamus. Quæ enim singularum vocum ἐπίλυσις membratim discerpitur, ea in unum conglobata intellectu facilior. Sit autem hæc paraphrastica expositio; 1. Dilucida, verbis clario-

ri

ribus & ad captum vulgi accommodatis, non novatis, aut quæ apud populum minùs increbuêre utendum. Illam consectemur orationis perspicuitatem, ut potiùs digito ostendere, quàm linguâ proloqui videamur. Crassior enim plebeculæ in sacris percipiendis indoles, malum doctioribus & incognitum & incredibile. 2. Sit succincta & brevis, non sententiarum tractu longiori plus æquo expandatur. Nihil enim vulgi intellectui magis officit, eundémque planè obruit, quàm aut periodi in longum extractæ, aut sententiarum, quæ arctiùs constringi poterant, diffusiores ambages. 3. Semina doctrinarum quæ deinceps erundæ in hac paraphrasi hinc indè spargantur. Ita enim audientium animis vim facimus, ut, velint nolint, assentiantur, si illis ex dilucida contextûs explicatione doctrina proponenda veluti sponte fluens innotescat.

Sensus ἀναλυτικῶς proponitur, cùm singula pro Logica relatione in suas partes retexuntur. Partitio sensûs sic indagati adjungenda. 1. Ut memoriæ consulamus, cùm quæ varii generis, ad certa capita revocentur. 2. Ut è membris vel ad invicem distinctis vel relatis commodior sit doctrinarum deductio. Cavendum verò hîc, 1. Ne sub obscurioribus artis terminis, nisi unà explicemus, tradantur divisiones. 2. Ne multiplicentur in divisione partes: sint numero pauciores. Turba enim partium tam intellectui quàm memoriæ audientium officit. 3. Nulli afferantur divisionis termini, vel quibus deridiculo sint res sacræ, vel quæ ingenii ostentationem redolent. Atque hæc de sacræ Scripturæ interpretatione; Sequitur Doctrinæ deductio. Analysis.

CAP. II.

De Doctrinæ Deductione, Propositione, Tractatione.

Doctrinæ deductio.

DOctrinæ deductio nihil est quàm sacræ illius veritatis, quæ sub contextûs ambitu comprehensa, ad populum Dei ædificandum extractio. Cum enim Scriptura non in cortice verborum, sed in interiori sensûs medullâ posita, non in nuda litera subsistendum, quin ejus latentem veritatem impensiùs rimari oportet. Huic Scripturarum sagaci indagationi fidem facit Christus, & præcepto, cùm Scripturas non solùm ἀναγινώσκειν, sed & ἐρευνᾶν jubet; & exemplo, cùm ex eo quòd Deus Abrahami Deus, resurrectionis doctrinam concludit. In doctrinæ deductione videndum, Quomodo Deducenda, Proponenda, Tractanda.

Joan. 5. 39
Mat. 22. 32

Deducendi ratio explicita.

Doctrinæ deducendæ duplex ratio, Explicita una, Implicita altera. Explicitè doctrina deducitur, cùm in totidem distinctas propositiones axiomaticè distribuitur sensus loci. Hæ enim membratim propositæ, tot sunt doctrinæ minima mansa, quæ veluti in os populi inserit, ut nutrix, quilibet pastor fidelis. Huic doctrinæ eruendæ rationi convenit ille Scripturarum in Veteri Testamento ad dogmata in Novo confirmanda frequentior usus. Plerumq; enim Evangelici Scriptores verba immutant, explicatiùs proponunt, sensum duntaxat consectantur. Quod nobis exemplo esse potest, & in sacra doctrina ad populi usum concin-

concinnandâ, non verbis quæ plerumque nobis obſcuriora mordicùs adhæreſcamus, ſed ſenſum verbis ad vulgi intellectum accommodatis tradamus; necnon eundem in minutiores particulas ut faciliùs comprehendatur quaſi fruſtulatim partiamur.

Implicitè verò doctrina eruitur quæ non κατὰ τὸ ῥητὸν expreſſa, ſed per ἰσοδυναμίαν duntaxat è contextu argumentativè colligitur. Collectio autem hæc ope & ſubſidio locorum, quæ in Logica dicuntur Topica, fieri debet; hujuſmodi ſunt Cauſa, Effectum, Subjectum, Adjunctum, Diſſentanea, Comparata, Genus & Species, &c. Hæc autem doctrinæ extrahendæ ratio ab exemplis Chriſti & Apoſtolorum, qui hâc ratiocinandi formâ uſi, clarè confirmatur. A minore ad majus ducto argumento, ſe probat eſſe Deum Chriſtus. Juſtificationem non eſſe ex operibus, arguitur ex veteri lege à Contrario. Qui in doctrina quæ medullitùs latet expromendâ ſolertior eſſe velit, ſit ille in Logicorum campis exercitatior. Eſt reverâ cuique, Deo aſpirante, ſuum inditum acumen dialecticum quo multa poteſt in hoc genere ſummè laudanda præſtare: ſi verò ad hoc Sp. Sancti donum ars acceſſerit, quàm multò oculatior erit mentis acies! Palmam reliquis præripuit Wolfgangus Muſculus, præcipuè in Commentariis, tam in Pſalmos, quàm in Evangelium Joannis; ita nemo in concluſionibus è contextu deducendis fertilior, nec in Theologiâ tyronibus accommodatior. Implicita. Joan. 10. 34, 35, 36. Gal. 3. 11, 12.

Interim verò cavendum paſtori, 1. Ut quæ elicit documenta, illorum è contextu ſequela clarior ſit: Omnem enim illam flexanimam vim, quam in conſcientiis exercent, à Scripturis mutuantur; Niſi itaque cum his pulchrâ connexione Cautiones.

convenere auditoribus palam fiat, perit illorum in cordibus hominum omnis vis vivacior. Huc conducit, ut, quæ doctrinæ profundiùs latent, illæ omittantur, quæ in propatulo sunt & vulgo obviæ, ea duntaxat desumantur. Annon præstaret multò, cùm quæ hîc non nisi obscurè traduntur, alibi cuivis expositа, ea illic potiùs, quàm ubi sic abscondita, proponere? 2. Cum Sylva doctrinæ in unoquoque contextu ubertim succrescit, opus hîc singulari prudentiâ ut quæ auditoribus idonea maximè seligatur, quæ illis non perindè accommoda rejiciatur. Qui, huic parùm attenti, quæcunque se obtulerint documenta, ea promiscuè nullo habito delectu effundunt, quàm illi multa inopportunè dicunt! Est quædam sacræ veritatis cum auditoribus bella ἐφάρμοσις, quæ si cui cordi erit, næ ille animos suorum quasi præpotenti ductu quò velit facilè perducet, fœliciùs multò hoc omne negotium transiget. 3. Documentorum numero non laboret concio: paucioribus insistendum, ne, dum plura acervatim congeramus, audientium memoriam labilem obruamus. 4. Ad invicem distincta sint quæ tradimus documenta; non ejusmodi quæ, cùm verbis discrepant, re conveniunt. Hæc enim in concionibus sacris verbosa βαττολογία præterquam quòd ἀμέθοδος est & fastidium auditoribus parit, & multum de honorifica dicentis existimatione detrahit.

Proponendi modus.

Secundò videndum, quomodo doctrina deducta proponenda. Consulendum hîc & intellectui & memoriæ auditorum. Huc spectat, 1. Ut doctrina proponatur verbis maximè perspicuis & vulgo notis. Si nihilo seciùs hæret difficultas, explicatio adjungenda tam verbalis quàm realis. Si quæ obscurior vocula, si quis terminus

nus quem non assequitur vulgus, aliis explicetur verbis; Ejusmodi complura illa vocabula Theologica quæ à lingua Latina originem repetunt, ut Justificatio, Sanctificatio, &c. Si quæ in re quæ sub vocula significatur sit difficultas, ea brevi explicanda, ut sic distinctiùs, quod dicitur, percipiatur. 2. Auditorum memoriæ tum consulit pastor, cùm contractiùs sua omnia proponit documenta. Quæ breviter &, concisè enunciantur, si absit obscuritas, ea multò faciliùs in memoria conservantur, nec tam facilè excidunt quæ sic in angustum quasi concluſa. Brevitati itaque in doctrina proponenda studeat concionator, amputentur quæ non rei quæ sub doctrina comprehensa necessariò inserviunt. Populi & hebes ingenium & memoria lubrica id abundè flagitat.

Tertiò, doctrina quæ ritè deducta, perspicuè & breviter propoſita, dextrè tractanda. Danda hîc opera, 1. Ut nonnisi cum necesse fuerit, in doctrina tractanda latiùs expatiemur. Quoad ejus fieri potest, omnia brevi concludantur, ne flaccescat animus audientis. Optimè fluit sermo concionatorius, cùm res sic transigitur, ut non largiùs excurrendo tædium oboriatur, priusquam ad Usum accedimus. Et si quandoque necesse erit doctrinam longiùs protrahere, plura in ejus explicatione capita consectari, erit utile; singulis Usum adjungere particularem. Discursus quibus non admiscetur Usus, quo tam voluntas quàm intellectus habent quod suum, nauseam creant. 2. Sat erit in doctrina tractanda, si ea tantùm assumantur quæ eam clarè exhibeant intellectui. Propterea enim insistimus & commoramur in doctrina sive probanda, sive explicanda, ut intellectum pleniùs informando

Tractandi regulæ generales.

viam muniamus voluntati, & in voluntate affectibus. Rejiciantur itaque quæ non necessariò desiderantur, ut judicium habeat in quibus certò acquiescat. 3. Summæ prudentiæ erit, si quando periculum ne doctrina in ejus tractatione excrescat supra quod par, ut quæ commodè possint ea aut in textuali explicatione præmittantur, aut in Usus illustratione postponantur. 4. Si in doctrinæ explicatione, instantia particularis danda, quâ loci vel personarum peccata peculiaria nominentur. Atque hæ sunt generales regulæ quæ dirigant concionatorem in doctrinâ tractandâ. Sequitur ut Quomodo tractanda dicam.

Speciales. Prout autem varia est dogmatum doctrinalium natura, ita dispar in illis tractandis ineunda ratio. Aliquando dubia duntaxat & probanda, aliquando generalis & explicanda, aliquando Metaphorica & res rei adaptanda, aliquando ambigua & regulis seu cautionibus appositis munienda, aliquando controversa & quæstionis status determinandus. De his paulò distinctiùs.

Doctrina dubia confirmanda, Scripturæ testimoniis. In doctrinâ confirmandâ videndum, 1. Quomodo. 2. Quare. 1. Quomodò. Scripturæ testimoniis & rationibus, si res ferat, doctrina quælibet communienda. Scripturæ testimoniis cavendum, 1. Ne numero tot sint quæ memoriam vel tenacem suâ frequentiâ prægravent. 2. Ne parerga, & ad id quod cupimus probatum minùs apposita. 3. Ne acervatim conglomeremus, nudè duntaxat proponendo; interierit quandoque brevi quæ citamus testimonia explicare, rei quæ in manibus adaptare. In Rationibus afferendis videndum, 1. Ne sint inconcinnæ aut ineptæ, ejusmodi excogitandæ quæ è causæ medullâ & viscéribus eruuntur; hæ vel invitis assensum fidei extorquent, & intellectum cæteroquin aversum

Rationibus.

ſum præpotenti ductu quò velint pertrahunt. 2. Ne numero laborent; ubi magna illarum congeries, & plerumque coincidunt, & memoriam plùs æquo onerant, una aut altera ut plurimùm ſufficiet, plures non aggregandæ niſi ubi doctrina controverſa. Intererit hîc quandoque ut quæ contrà objici poſſe veriſimile, ne aſſenſum inhibeant, brevî explicentur, diluantur. Non hîc eâ religione aſtrictum ſe exiſtimet concionator, ut in unaquâque doctrinâ confirmandâ, rationes neceſſariò conquirantur; his quandoque ſuperſedendum. Si ſunt Theoremata de quibus agitur, vel Prima ſunt, ut quæ de naturâ Dei, & ejus actibus ſummis, quorum nulla, ſaltem à priori, ratio dari poteſt; vel ſuâ perſpicuitate pellucida; operam ludit qui rationibus curiosè indagandis ſeipſum torquet. Atque ſic Quomodò doctrina corroboranda. Sequitur Quare. 1. Ut conſcientia auditorum efficaciùs convincatur, intellectus luce clariori perfundatur; ædificat ſine fundamento qui hortatur, objurgat, corrigit, nec antea judicium ſtatuminavit. 2. Quid in ſacrâ paginâ frequentius, quàm ut quæ circa controverſiam propoſitiones, eas ad fidem pleniorem faciendam rationibus adductis confirmet? Et ſi quando doctrina in dubium vocatur, ut in articulis de Juſtificatione & Reſurrectione, ſua omnia pluribus argumentis accuratiùs concludit Apoſtolus, ut in Epiſt. ad Roman. ad Corinth. ad Galat. Atque ſic de doctrinâ quatenus dubia confirmandâ. Sequitur ut dicam quomodo quæ generalis explicanda. Quare.

Explicari debet doctrina generalis; ut enim aromata dum integra parùm odorifera, ſin in minutiora conterantur odorem emittunt multò fragrantiorem, ſic quæ in genere proponitur doctri- Generalis explicanda.

ctrina animum vix leviter afficit, cùm eadem in ſua membra diſpertita in cordibus hominum multò eſt efficacior. Explicatio doctrinæ eſt vel fuſior vel contractior. Si fuſiùs explicanda, proponenda certa capita, prout maximè expediat populo, ad quæ revocetur totus qui ſequitur diſcurſus: cui verò in animo eſt ſic integram rei naturam explicare, ſcripturas quæ de eo argumento occurrunt hinc inde ſparſas in unum colligat; ex iis collectis rei pertractandæ naturam clariùs deſcriptam intuebitur. Rariùs & non niſi cùm neceſſe fuerit hæc apud Vulgus ineunda via. Quandoque verò interſit, modò non omnia quæ dici poſſint, ſed quæ duntaxat iis utilia, conſectemur, & brevitati quoad poſſumus ſtudeamus. Tractatus fuſiores infirmorum ingenia obruunt; nec quando ab una parte ad alteram tranſitur, aut quæ omnium inter ſe connexio, facilè aſſequuntur. Contractior illa doctrinæ explicatio uſui inprimis, ut quæ illam mentis oculis clariùs ſubjiciat. Explicatio eſt bipartita, vel quoad ſubjectum, vel quoad prædicatum, ut vel hîc vel illic terminus generalis. Multifariàm ſolet doctrina explicari, quandoque ejus membra particularia recenſendo, quandoque circumſtantias, quæ ei lucem afferant, enumerando, denique conditiones aſſignando quæ neceſſariò adſint ut rectè fiat quod fieri dicimus. V. gr. ſi ejuſmodi ſit doctrina, *Eſt juſtitia quæ non valet ad vitam æternam aſſequendam*, intererit ejuſdem recenſere varias ſpecies: Vel ſi ſic *Amor Dei erga nos in Chriſto eſt ampliſſimus*, utile erit circumſtantias enumerare quibus exaggerandus ille amor Dei: Vel ſic, *Deus certò ſe revelabit ipſum quærentibus*, Neceſſe hîc erit ut conditiones adjungantur quæ dirigant quærentes, ſic quærere ut inveniant.

Fuſiùs.

Contractiùs

Infi-

Infinitus essem si singulas doctrinam explicandi rationes consectarer, faciat quisque pro re natâ, & prout populo expedire animadvertit. Illud semper fixum maneat, eatenus duntaxat in doctrinâ explicandâ immorandum, quatenus usui & sequenti applicationi viam muniamus.

Metaphorica, illustranda.

Tertio, si doctrina sit Metaphorica, enitendum ut quomodo inter se conveniat res terrena & quæ eâ adumbratur spiritualis, patefiat. Viz. si ejusmodi sit doctrina *Christus est suis quod sol mundo*, illud satagendum ut quæ Christi cum Sole similitudo, brevi enarremus.

Ambigua, limitanda.

Quartò, si doctrina ejusmodi sit, vel ut quam malè feriati homines rapiant in deterius, vel infirmiores inde animos despondeant, necesse erit cautiones vel regulas adjungere, quæ & hos ne animo labantur confirment, & illos ne abutantur deterreant; v.g. si sit doctrina *de amplitudine misericordiæ Dei in Christo*, sic tractanda est ut non inde arripiant, qui nequissimi, occasionem in suâ nequitiâ se confirmandi; vel si doctrina *de certitudine salutis, ad quam quilibet aspirare tenetur*, sic proponenda ut qui eam nondum assecuti sunt, aut pro tentationis tempore ejus sensu orbantur, non animo concidant.

Controversa, determinanda. Clarè.

Quintò, si doctrina controversa, apicem controversiæ designare oportet. Controversiæ sunt vel Theoreticæ, vel Practicæ. Theoretica illa, *An quis fidelium potest excidere à gratiâ salutari*: Practica verò, *An mundo prorsus valedicendum qui Christo nomen dedêre*. In utrisque status controversiæ brevi ponendus, & sic progrediendum sive ad probationem, sive ad ea quæ objici solent argumenta ἀνασκευαστικῶς discutienda, sive ad utraque, prout populi ædificatio exigit. Nullæ hîc certæ leges figi aut possunt aut debent,

bent. Consilium capiendum in arenâ. Id nobis cordi esse debet, ut non nisi coacti πολεμικὰ πολεμικῶς apud vulgus tractemus: quantum fieri potest omnia διδακτικῶς proponantur, cùm (ut Philosophus) *rectum est index sui & obliqui.* Sin periculum, ne sanæ Christi oves hæreticorum male-sanis dogmatibus irretitæ abigantur, fieri non potest quin in certamen descendat pastor Evangelicus, ut & nutantes sustentet, & stantes confirmet, & errantes revocet. Interim verò religio sit, 1. Ne quascunque hæreses in palæstram hanc rostralem refutandas promiscuè inferamus. Sunt quædam jam olim intermortuæ, quædam moribundæ, aliæ à quibus nullum imminet periculum gregi quicum versamur. In his ingeniosè evertendis cùm plerique satis superque attenti, quas oportebat sepultas, eas tam gloriosè sepeliendo latiùs diffundunt. Abundè satisfacit officio qui errores indigenas nervosè refutaverit. 2. Etiam in his convellendis non quæcunque male-feriati aliquandò excogitârunt, nec dum apud vulgus cognita, ea undiquè corradat pastor, & populo proponat. Nimia hæc diligentia, & populo obest sæpiùs quàm prodest, nam plerumque fit ut qui omnes qualescunque adversariorum argutias subtiles, nodos difficiliores, à diabolo conficta ad veritatem infirmandam dubia operosè conquisiverit, non tam ille suos in veritate agnitâ stabilire, quàm in ancipitem cogitandi curam distrahere solet. Id enim usu venit, ut quæ ad veritatem vindicandam adducuntur responsa, illa excidunt prorsus; cùm quæ contrà afferebantur argumenta insciæ plebeculæ animis altiùs insident. Sat erit si eas tantummodo proponamus objectiones, quæ, cùm obviæ & circumforaneæ, verisi-

Cautè.

risimile istis populum Dei posse à tramite recto abduci. Sic Apostolus, ubi articulum resurrectionis in dubium vocârunt qui malè sani, non quæcunque objici poterant sagaciùs exquirit, sed illa duntaxat quæ apud populum invaluerunt dubia solvit. 3. Perpaucorum intra domesticos parietes latitantes errores, non publicè in fidelium cœtibus exagitandi, nisi illos serpendo vires acquirere nobis compertum. Plerumque fit, si illos vehementiùs persequamur, ut errantium animi incitentur, & hominibus in studia partium divulsis factiones enascantur admodum turbulentæ. Sic Alexander ille Alexandrinus Episcopus, dum hæresi Arianæ in angulis latitanti publicis ad Ecclesias literis præmonitoriis præproperè occurrere voluit, quam extinctam voluit, eam latiùs desseminavit. Atque sic de doctrinâ deducendâ, proponendâ, tractandâ. Sequitur ejusdem Accommodatio. 1. Cor. 15.

Cap. III.

De Doctrinæ Accommodatione, Usúque tam faciendo, quàm prosequendo.

Doctrinæ accommodatio.

DOctrinæ deductæ Accommodatio nihil aliud quàm ejusdem particularis applicatio, quâ, pro variâ hominum conditione in Spiritualibus, usus ad cujusque ædificationem fit. Quæ doctrina in genere duntaxat proponit, hæc cuique velut viritim accommodat. Enascitur hæc accommodatio è doctrinâ; à quâ debitâ sequelâ

suam

ſuam omnem quam in cordibus hominum exercet vim precariò ſumit. Anima concionis hæc, ita ut inefficax doctrina, vel nervosè concluſa, niſi accedat *Uſus*. Quod enim Philoſophi dicere ſolent, *Omnis actio fit per contactum*; id in ſacrâ prædicandi actione vel maximè locum habet, ut Davenantius. Eſt expanſio retis quæ involvit piſces, in particularibus inſiſtendum qui peccatores ad Deum converſos velit, *Rom.* 1. 29. 1*Cor.* 6. 9. In doctrinâ autem accommodandâ oportet uſum facere, uſum proſequi. Videndum, 1. Quot modis uſus fiat. 2. Quæ in uſu faciendo dirigunt regulæ. Uſus doctrinarum qualiſcunque ad quatuor capita revocari poteſt.

In 1. cap. ad Col. ver. 21.

Uſus faciendi.

1. Quoad intellectum. Videndum, 1. Numquid à doctrinâ emergit quod intellectui perficiendo inſerviat. Eſt mens hominis ignara, & docenda: eſt dubia, & informanda: eſt veritatis ſcientiâ imbuta, ſed quæ ſuperficiè tenùs, hæc altiùs radicanda: eſt mens erronea, quæ in viam revocanda; errat autem mens, vel principiis quæ à naturâ depravatâ pullulant malè ſanis, & hæc dedocenda; vel erroribus quibus regulam vel credendorum vel faciendorum diſtorquet, & hi refutandi; vel cum de ſpirituali noſtrâ conditione atteſtatur, & hæc meliùs inſtruenda. Qui hanc invadunt errores omni diligentiâ eradicandi. Siquidem quæcunque in vitæ conſuetudine errata, à mentis errore proveniunt. Qui hanc luce clariore perfuderit, illas Sophiſticas ratiocinationes, quas vocat Apoſtolus λογισμὸς, facilè ſolvet.

2 Quoad Voluntatem & Affectus. Secundò attendendum num à doctrinâ, quæ præ manibus, aliquid exſurgit quo voluntati & in voluntate affectibus vel langueſcentibus faces ſubmittamus, vel in præcipitia ruentibus frænum

num injiciamus. A voluntate id exigit Deus, 1. Ut quæ exhibet in Christo bona promptè amplectamur. 2. Ut quæ nobis bona præstanda proponit, ea cupidè prosequamur; quæ mala vitanda, ea ex animo aversemur. Est intellectus ut scil. in sellâ auriga; est voluntas instar vehiculi: est intellectus ut Rex in solio; est voluntas ut subordinata facultas, quæ, prævio intellectûs dictamine, quò velit hominem impellit. Dispiciendum, quomodo è doctrinâ propositâ, voluntati vel calcar addamus, vel remoram injiciamus: quomodo ejus propendulam naturam blandâ exhortatione huc aut illuc pertrahamus; vel ejus feroces impetus verbis dehortatoriis cohibeamus, aliò flectamus. Sunt porro in voluntate affectus, qui id sunt animæ, quod nervi corpori, quod volatili alæ, quod plaustro rotæ, quod velum vento impletum navi: inditi hi ut quibusdam quasi stimulis excitaretur animus, qui aliàs torperet, ut truncus jaceret. De se anima exit amore & odio. Tanti est in sermone concionatorio, *Verbum exhortationis*, ut tota verbi dispensatio hoc nomine comprehendatur. His vel inflammandis, vel comprimendis, vel dirigendis si quid inserviat, non id negligendum.

Tertiò, est in homine conscientia quæ, Dei vice, nobiscum excusando, vel contra nos accusando, testatur. Est in conscientia, testimonium rectè nobiscum perhibente, serena animi tranquillitas; quæ si abfuerit, vita non est vitalis. Ubi enim Conscientia, contra nos testando, dira minabitur, quantæ in animo turbellæ? *Spiritum fractum quis attollat?* Quòd in sic vulneratos animo propentior est Deus, liquet. 1. Quòd ex eo nobis innotescere voluit ut qui summè laudandus, cùm

3. Quoad Conscientiam.

Prov. 18. 14.

Pſal. 147. 3. Iſai. 57. cùm *ſanat fractos animo & velut obligat in doloribus eorum. Cum eo qui attritus eſt demiſſúſque ſpiritu habito, ut vivum conſervem ſpiritum demiſſorum*, &c. ait Dominus. 2. Quòd Chriſtum Iſai. 61. 1. miſit *ut fractos animo obligaret.* 3. Quòd ſpiritus, qui effuſus in electis Dei, eo nomine inſignitur. Joan. 14. 16 *Dabit vobis Pater παράκλητον*, .i. qui conſolatur. 4. Quòd Scripturæ eo nomine ſcriptæ, Rom. 15. 4. *ut per conſolationem ſpem habeamus.* 5. Quòd miniſtris verbi data eſt *lingua eruditiſſima, ut* Iſai. 50. 4. *ſciant tempeſtivè eloqui defeſſis verbum.* 6. Quòd cuilibet mandat Deus, *ut conſolentur eos qui* 1 Theſ. 5. 14 *puſillo animo ſunt.* Undecunque igitur circumſpiciendum, num è doctrinâ pertractatâ aliquid iis ſuppeditemus ſolatii.

4. Quoad vitæ conſuetudinem. Quartò, occurrit totius vitæ conſuetudo in quâ quiſque dirigendus, corrigendus; utilis ſcriptura *πρὸς παιδείαν, καὶ πρὸς ἐπανόρθωσιν.* Triplex officiorum genus in quibus homo vel dirigendus vel corrigendus; alia Deo, alia nobis, alia proximo debentur. In his pro variâ eorum naturâ, ſuos, documenti quod in manibus adminiculo, vel inſtruant vel deviantes corrigant. Atque ſic uſum facere oportet. Sequuntur quæ dirigant eum regulæ.

Regulæ. Primò, illi ſeligantur uſus qui liquidò è doctrina fluunt & populo conducunt. Eſt unaquæq; doctrina, pro ſuâ feracitate, uſûs multiplicis. Non id commodum, ut in ſingulos uſus excurramus; quandoque non id fert conditio audientium, quandoque huic non illi idonea doctrina. Secundò, uſus fiat non in generalibus ſubſiſtendo, ſed (prout expedit) particularia hominum peccata deſignanda, ſinguli hominum aſtantium ordines compellandi, & pro varietate ætatum, ſexuum, diſcriminanter ſuum cuique tribuen-

buendum. Qui omnia generatim proponit, nulli cogitat bonum; qui in particularibus instat, multò efficaciùs corda hominum percellit. Tertiò, qui vel ætate ingravescente, vel dignitate personæ venerandi, non tam corripiendi quàm hortandi. Reprehensio sc. leni exhortatione conjungenda. Ingenium id humanum, ut mavult duci quam cogi. Habet omnis increpatio aliquid acerbitatis, quam nisi aliquantum delinias, irritat potiùs quàm prodest. Atque sic tam de usu faciendo, quàm de iis quæ dirigunt regulis. Sequitur ut dicam, quomodo usum prosequi oportet. 1 Tim. 5. 1

Usus prosecutio.

Usum prosequimur vel applicando vel amplificando. Primò Applicando. Applicatio est cùm usus doctrinæ in auditores, examen instituendo, quousque obtinet, reflectitur. Doctrina & usus se habent ut genus & species, ab usu doctrinæ ad ejus applicationem descensus est quidam quasi à specie ad individuum transitus & progressus. Sic *Zepperus.* 1. Applicatione.

Cur necessaria.

Necessaria hæc. 1. Quòd sic verbum dispensandum, ut de se haberi sermonem intelligant auditores, ut Deum in loquente agnoscat qui infidelis & idiota, cùm occulta cordis ejus deteguntur. Non id assequitur concionator nisi usum reflectendo. 2. Id è verbo vitæ dispensato sequitur, ut corda malorum excrucientur. Duo prophetæ dicuntur *torsisse terræ incolas.* Illud Achabum malè habuit, quòd *semper de illo non bonum, sed malum prophetabat Michaias. Non potest terra hæc sustinere verba prophetæ*, ait Amaziah. *Repleti sunt omnes qui audierunt excandescentiâ*, cum sc. se correptos senserunt. *Audientes hæc*, cum sc. verbum applicando illos compellavit, *findebantur cordibus suis, & stridebant* Matt. 21. 45 1 Cor. 14. 25 Apoc. 11. 10 1 Reg. 18. 8. Amos 7. 10. Luc. 4. 28. Act. 5. 33.

bant dentibus in ipsum. An non sic ubi non applicantur quorum usus sit? Vel quis nequissimus ejusmodi concionem ferret quæ generatim omnia tractat, commonstrat duntaxat quid faciendum, quid non. Id duntaxat illis grave est, ut cui ferendo non sunt, cùm illorum vitæ consuetudinem scrutamur, ex illorum dictis, factis, eos esse filios iræ, gehennæ obnoxios, clarè evincimus. Id Sacerdotum corda quasi dissecuit eósque in rabiem adegit, quòd eos sanguinis Act. 5. 28. Christi effusi reos peragebant Apostoli. 3. Necessariò est usus applicatio, quòd doctrina & usus sunt tantùm instar remedii quo possunt qui perditi recuperari. Non valet autem remedium, sive in animi sive in corporis vulneribus curandis, nisi accedat ejusdem applicatio. Atque sic constat quòd necessaria. Sequitur ut dicam, quomodò progrediendum in usum ad auditores reflectendo.

Quomodo fit. Revocentur auditores ad examen, num in illis efficax fuerit quem fecimus doctrinæ usus. Advertendum hîc, 1. Cùm multis modis usum non fieri contingat, ubinam, vel quo in genere defectus. An in eo erretur, quòd adhuc in ignorantiâ hærent, quos multoties edocuimus; vel in elementis adhuc subsistunt, qui pro tempore adultiores esse poterant: vel ex insitâ pravitate oculos adversus veritatem occludunt; vel pertinaciter adhærent sive erroribus, sive quibuscunque male-sanis principiis; vel denique blandiantur sibi; cùm credunt se regenitos qui non, resipiscentes vel credentes qui non: An porrò ad quæ vel hortamur vel dirigimus bona fiant: Quousque prævalent verba hortatoria, directoria, reprehensoria, consolatoria: Dispiciendum sedulò, num illa flocci faciant, quisque nihilo seciùs facit quod rectum in oculis suis:

Con-

Consolationes Dei avertentur: 2. Τεκμήρια sive indicia è consuetudine vitæ desumpta proponantur. Horum adminiculo tales esse vel non; talia facere vel non, ad quæ hortamur vel dirigimus, certis argumentis evincendum. Id necesse, ut, quocunque in genere auditores culpamus, id palam faciamus quòd jure culpandi. Intererit hîc quandoque per modum διαλογισμῶ cum iis sermocinari, ac si quæstiones illis proponeremus, atque ex ipsorum vel dictis vel factis, quæ ipsis aliisve manifesta responsa, quæ eos constituant reos, eliciamus. Atque sic docuimus quomodo progrediendum in usum ad auditores reflectendo.

Sequitur ut dicam quomodo amplificandus. Nempè, primò Scripturam unam vel alteram adducendo, quæ usum corroborent. Modò vel errore pernitioso liberandi auditores, vel cardinale id sit ad quod hortamur officium vel à quo avocamus vitium, vel denique gravius laborat gemebunda conscientia. Secundò, Prout in eo quod magni emolumenti bonum voluntas vel languescens jacet vel ad malum præceps ruit, ita conquirenda argumenta vel προτρεπτικὰ vel ἀποτρεπτικά. De his, quod ad domicilia argumentorum generalia, Rhetores nec non Dialectici consulendi: illi ab honesto, utili, necessario, possibili, &c. suadent; hi à causis, effectis, subjectis, adjunctis, minori vel majori, à contrariis, &c. argumentantur. Tertiò, Media, vel interna, vel externa, vel utraque, quibus efficiant quæ docuimus sive ad quæ hortamur vel dirigimus auditores, possunt adjungi. Animum plerumque despondent auditores, eò quòd clam illis est quomodò quod peragendum incumbit efficiant. Intererit hic quandoque radices ma-

2. Amplificatione.

lorum undè pullulant deſignare, iiſque extirpandis remedia idonea ſubtexere. Quartò, quæ remoram injiciant verbo vel exhortationis, vel directionis, vel conſolationis, ea & exquirenda & amovenda. Nec enim in intimos animi receſſus penetrant ſive ſuaſiva ſive diſſuaſiva, niſi quæ aſſenſum inhibeant nullius momenti eſſe conſtabit. Sic Chriſtus, *Johannis* 5°, à verſ. 31. ad 40. diluit objectionem. Quintò, Caſus conſcientiæ quandoque ex iis quæ edocuimus emergunt. Hi, ſi non perpaucorum duntaxat ſed plurium aut ſunt aut eſſe poſſunt, publicè ſolvendi. Paſtoris laus non minima quòd ſuorum animis quoad ejus fieri poteſt ſcrupulos eximat, ut habeat in quo certò acquieſcat qui è fratribus vel infirmior vel abjectior animo eſt. Sic, dico, poteſt uſus amplificari, atque, quando id expediat, penes eſto paſtoris prudentiam. Alia atque alia ineunda via, ut vel doctrina vel populi conditio varia; conſilium capiendum in arenâ: nullæ hîc leges certæ imponi aut poſſunt aut debent. Hæc tria duntaxat attexam quæ in methodo hâc concionatoriâ cordi eſſe debent paſtori. 1. Jucundâ quâdam varietate animos auditorum reficiat. Non ſic in unâ concionis parte immoretur, ut vel benevolè affectis tædium oboriatur, vel quæ æquè neceſſaria amputentur, aut feſtinantiùs quàm par tractentur. 2. In argumentis cujuſcunque generis, ſive intellectui, ſive voluntati, &c. inſerviant, certandum non numero, ſed pondere: quæ invalida, iis quæ firmiora detrahunt. 3. Ex iis quæ reverâ pondus habent, deligendum quæ imprimis accommoda, veriſimilia quæ animos audientium afficiant. Sumus nos concionatores ut piſcatores, quibus non id ſat quòd eſcam adhibuerint, ſed quæ piſcem,

ut

ut cui accommodatur, allectura. Non pes calceo, ſed calceus pedi, adaptandus: non populus concioni, quod ad methodum docendi, conformari debet; ſed concio populo. Hactenus de methodo concionandi. Sequitur ut dicam, quare hâc utendum.

Cap. IV.

Cur Methodo ſuperiùs declarat uti conveniat?

PRimò, modus hic docendi videtur præſcribi, 2*Tim.*4. 2. *Prædica ſermonem*, i. e. ut exegeticè ſe interpretatur Apoſtolus, *argue*, *objurga*, *exhortare*, *cum doctrinâ*. Subſternenda doctrina ut fundamentum totius ædificii, huic ſuperponendæ, ut tectum, objurgationes, exhortationes, &c. cap. 3. 16. *Scriptura utilis eſt ad docendum, arguendum, ad corrigendum, ad inſtituendum*: Illa ſcripturas pertractandi ratio eſt maximè commoda quâ illarum uſus ſit ad fines quos deſignavit Spiritus Sanctus.

Secundò, Praxis tum Prophetarum tum Chriſti & Apoſtolorum hanc docendi rationem præmonſtravit. Annon prophetæ, quam ex lege hauſerunt doctrinam, ex eâ populum docebant, redarguebant, corrigebant? Annon Chriſtus, quam ex lege & prophetis ſumpſerat, doctrinâ, redarguebat quæ apud Judæos invaluerant ſive peccata, ſive errores, omnia ſua illorum quos affatus eſt conditioni accommodavit? Apoſtolorum verò id erat, ut Chriſtum & probarent &

teſtificarentur eſſe Meſſiam promiſſum; & porro ut illum fide amplecterentur, eóque dignè ambularent, cunctis perſuaderent. Annon vero theſis illa *Doctrinæ*, hæc altera *Uſûs* loco? Hanc populum Dei inſtruendi rationem per omnia ſecula valuiſſe teſtatur Scriptura. *Deut* 1. 1, 2, 3. Doctrina proponitur, quæ explicitè ſic, *Deus ſe bonum exhibuit Iſraeli*; tractatur hæc doctrina inductione particularium. Uſus fit, *cap.* 4. 1. *Nunc ergo, Iſrael, attende ad ſtatuta judiciáque*, &c. Uſus pluribus argumentis περιστατικοῖς, quæ hinc indè ſparſa, urgetur. Sic *Joſ.* 24. In Epiſtolâ ad Roman: proponitur doctrina de juſtificatione ex ſolâ fide in Chriſtum: variè tractatur: uſus fit in *cap.* 12. *verſ.* 1. &c. In 1. ad *Cor. cap.* 15. doctrina de reſurrectione mortuorum tractatur; uſus infertur verſ. ult. Epiſtola ad Eph. & Coloſſ. utraque complectitur Doctrinam, de Chriſto, ut nobis ad ſalutem efficaci; & Uſum, ut propterea ſanctè ambularent.

Tertiò, hæc docendi Methodus maximè efficax in cordibus audientium, utpote quâ particulari modo ſingula illorum malis adaptantur. Aut non percipiunt, aut oculos occludunt adversùs ea quæ in genere duntaxat enunciantur; corda non afficiuntur uſque dum ſingulorum errata, quaſi oculis ſubjiciuntur. Rei peragantur qui audiunt, *Vos crucifixiſtis Dominum gloriæ*, & Act. 17. 23. *Vos ignorantes Deum colitis.* Sic conſcientiæ hominum maximè expergefiunt. Act. 2.

Quartò, illam docendi rationem conſectari oportet cui populus Dei juſtis de cauſis aſſentitur. 2 Cor. 5. 11. *Spero nos in conſcientiis veſtris manifeſtos eſſe.* Cum Conſcientiæ auditorum alicui docendi generi amplum perhibent teſtimonium, non id negli-

negligendum. Populus autem Dei ingenuè fatetur ſe hâc ratione proficere inprimis: & quòd ſingula diſtinctiùs comprehenduntur, & tenaciùs in memoriâ conſervantur; & denique quibuſcunque eorum neceſſitatibus commodiùs ſubvenitur. Ita diſpenſator bonus poteſt hâc docendi Methodo dare cuique dimenſum ſuum.

Quintò, advertendum & illud, quòd non niſi ſeculi impietas huic docendi Methodo infenſior eſſe ſolet. Homines qui luxu, avaritiâ, ſuperbiâ, immunditie quaſi cooperti, facilè ferunt conciones quæ intellectui informando duntaxat inſerviunt. Sunt ejuſmodi conciones, in quibus putrida audientium ulcera minùs contrectantur, edentulæ: Miſſæ Pontificiæ in eo non diſſimiles, quòd minimè mordent. Horum crudis vulneribus ſi verbum particulari ratione accommodaveris, ſi illos quaſi reos coram Dei tribunali ſiſtas, quàm indignabundi fremunt, tumultuantur! Certè à Deo eſt illa docendi ratio in quam tanto impetu inſurgunt qui nequiſſimi: illa non à Deo ad ſalutem quæ in peccati veterno obdormiſcentes nullatenus expergefacit.

Ultimò, quandiu viguit in Eccleſiâ hæc concionandi Methodus, quâ ad vitia extirpanda, errores refellendos, ad affectus concitandos, ſeu in ordinem revocandos, ad vitæ emendationem, Scripturarum uſus fiebat, Antichriſtus Embryo duntaxat erat. Factitatum hoc *Chryſoſtomi*, *Auguſtini*, & reliquorum patrum temporibus; ex eorum enim Scriptis facilè eſſet demonſtrare hanc concionandi Methodum, utcunque crypticè latentem. Tum demum ad ſuam ἀκμὴν pervenit ille homo peccati, cùm Scholaſtici ſubtiliter diſputando laſciviêrunt, in argutiis toti erant, qui optimè meriti non niſi intellectui ſuas concinna-

bant ſpeculationes, cùm denique fraterculi non in id incubuêre ut populi peccata detegerent, redarguerent, ſed fabulis datâ operâ, ut plebem in errores abducerent, confictis, ſuas omnes referciebant conciones. Atque ſic & de Methodo concionandi & de rationibus quibus aſtruitur. Hæc eſt illa publica diſpenſatio Verbi quæ Principalis, ſequitur quæ minùs Principalis.

CAP. V.

De publicâ Scripturarum Interpretatione, & Catecheſi.

ILla minùs principalis verbi Dei diſpenſatio, quæ nihilo ſeciùs publica, vel eſt ἐξηγητικὴ vel κατηχητικὴ. Illa, quâ quæ occurrunt in Scripturis loca difficiliora brevi explicantur: Hæc, quæ ſumma religionis capita ad captum vulgi, quantâ fieri poteſt perſpicuitate, proponit. Illâ conſulitur adultis, hâc infantibus in Chriſto. Tale debere eſſe in quâlibet Eccleſiâ exercitium, arguitur. 1. A difficultate, quæ in Scripturis ubique obvia. Plurima occurrunt loca ſalebroſa, in quibus hæreat neceſſe vel quinaſutior. *Intelligis quæ legis?* ait Philippus ad Eunuchum. *Quî poſſum*, inquit, *niſi quis mihi præierit?* Act. 8. 30. 31. Moſaicæ Ceremoniæ, Canticum Salomonis, viſiones propheticæ, Liber Apocalypticus, annon inter legendum, ut populo uſui ſint, interpretis lucem efflagitant? Tam in Evangelio, quàm in Epiſtolis Pauli, multa occurrunt difficilia quæ interpretis operâ eno-

Publicæ Scripturarum Interpretationis, Neceſſitas.

enodanda. 2. A periculo, quod legentibus imminet, ſenſum alienum affingendi. Pontificii propterea Scripturarum in linguâ vernaculâ lectionem populo ſubtrahunt, quod in id pronus quiſque ut rapiat in deterius plurima. Quæ in Scripturis *difficilia intellectu indocti parúmque ſtabiles detorquent ſuo ipſorum exitio.* 3. Interpretationem eorum, quæ non aſſequitur intellectus, ut medium ex quo populus ædificatur ſupponit Apoſtolus. *Major qui prophetat quàm qui loquitur linguis, excepto ſi interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat.* Formula loquendi obſcurior æquè impedit intellectum ac lingua ignota, non ædificatur qui auſcultat, niſi quæ leguntur brevî explicentur. 4. A conſtitutione Eccleſiæ Judaicæ hoc liquet, ubi fuere γραμματεῖς, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι, quorum id munus, ut contextum Scripturæ explicarent, nodos ſolverent, quæſtiones arduas elucidarent. Talis fuit Ezra, *Scriba promptus in lege Moſis*, Ezr. 7. 6. Chriſti temporibus dicuntur Scribæ *ſedíſſe in Moſis Cathedrâ*, ut qui Moſis Legem populo enarrârunt. *Legem Dei explanatè legebant, & exponendo ſenſum, dabant intelligentiam per Scripturam.* Huic conſonat Chriſti praxis, qui *privatim omnia diſcipulis ſuis ἐπέλυε. Interpretabatur quæ in omnibus Scripturis de ipſo ſcripta ſunt.* 5. Fides, reſipiſcentia, & quæcunque ſpiritûs dona ſalutaria fundantur in uberiori rerum divinarum ſcientiâ. Ita eſt intellectus lumine ſupernaturali perfuſus, ut janua per quam ſubintrat, quæ voluntatem & affectus ſuaviter inclinat, ſalvifica gratia. Vera Chriſtianorum incrementa ſunt, cùm proficiunt in agnitione & intelligentiâ, deinde in charitate. *Charitas veſtra redundet magis atque magis in omni cognitione & intel-*

2 Pet. 3. 16.
1 Cor. 14. 5.
Mat. 23. 2.
Nehem. 8. 9.
Mar. 4. 34.
Luc. 24. 37.
Calv. in 1. Phil. 9. Col. 1. 10.

ligentia. Omnis operis boni fructum proferentes & crescentes in cognitione Dei. Nulla autem expeditior ad rerum divinarum scientiam acquirendam via, quàm Scripturarum inter legendum interpretatio. Testatur hoc universa fidelium natio, quòd nullatenus qui adulti in Scripturis intelligendis promoventur magis, quàm ejusmodi contextuali explicatione. Plurimas expedit difficultates, ingentem parit in animo, dubia solvendo, πληροφορίαν, ad quæ enucleanda non pertingit, qui non nisi gradu testudineo progreditur, Sermo concionatorius.

Regulæ. Danda verò hîc opera. 1. Ut contextualis hæc expositio sit succincta, modò non obscura, quoad fieri potest contracta. 2. Ut non, in locis difficilioribus, enumerentur variæ interpretum sententiæ, sed quæ nobis, maturo judicio omnia probantibus, probabilior videtur. 3. Ut non divisiones multiplicando populi memoriam obruamus. Potest esse brevior summorum capitum analysis, at non singula in minutias conterenda. Methodus quæ per κρύψιν latet ostendatur, formulæ loquendi obscuriores explicentur, distincta quibus probatur quod in manibus argumenta indigitentur. Remoram injicit, nec populo ita prodest, singulis apicibus insistere, artium vocabulis quæ vulgo incognita obtenebrare, quæ explicanda suscepimus. Atque sic de illâ verbi dispensatione quæ ἑρμηνευτικὴ, sequitur quæ κατηχητικὴ.

Publicus Catecheseos usus. Hæc illa docendi ratio quâ rudes in Christo inchoantur, & quæ vocatur Lac, *Heb.* 5. 12. Hebr.6. 1. Hâc accommodat se pastor aut iis qui prorsus ignari, aut qui saltem infantes in Christo.

Necessitas. Talem in unaquâque Ecclesiâ debere esse erudiendi formulam, constat, 1. Quòd obtusum po-

populi ingenium, aliis docendi rationibus impar, ejuſmodi elementariam docendi rationem efflagitat. Ita qui elaboratas doctiſſimorum in articulis fidei fuſiùs enarrandis lucubrationes fruſtrà audiunt, in Catecheſeos veluti minimis manſis ad ſalutem enutriuntur. Hanc populum docendi rationem ſubinnuit propheta, *Præceptum, præcepto, &c. delineatio delineationi, paululum hîc, paululum illic* fuerit additum. Illam docendi rationem vult propheta, quâ utuntur ludimagiſtri, qui non ſua præcepta acervatim infundunt, ne forſan infuſa ſuperfluant, guttatim & ſenſim quæ docent inſtillant; perinde non in eo acquieſcant paſtores quòd frequentes in concionando, quòd quæ aggrediuntur accuratiùs pertractant, interim indocili ſuorum ingenio catechetică inſtitutione haud omnino conſulunt. Qui infanti cibos apponit integros, quos non fruſtulatim diſpertiendo priùs paraverit, operam ludit; perinde qui ſua omnia fuſo dicendi genere proponit, næ ille laterem lavat; eò quòd audientium minùs capacium ingenia obruit. Serpendum humi, & cum ſuis quaſi balbutiendum, qui ſua rudioris plebeculæ animis conſignata velit. Propheticum illud vocabulum, *Stillandi*, hoc ipſum denotat, nec enim aliud eſt ſtillare, quàm guttatim & minutatim in animos auditorum influere. 2. Methodus illa, quâ res Theologicæ digeruntur, neceſſariò ejuſmodi formulam exigit. Quæcunque in Theologiâ occurrunt vel ſunt principia, vel à principiis orta: vel ſunt elementa initii eloquiorum Dei, vel ſunt ejuſmodi quæ iis ſuperſtruuntur. Qui concionantur, ut plurimùm, ea tractant quæ tecti, rariùs quæ fundamenti: Catechiſtes eſt qui mera & ſola principia populo proponit. Quàm verò hoc abſonum, ut ad

Heb. 5. & 6. 1.

ad ea ſe recipiat, paſtor, quæ, à principiis cùm fluunt, illa ſupponunt, illa negligat quæ reliquis inſtar ſubſtrati fundamenti. Fœliciùs multo ſuccedet hoc omne negotium paſtorale, ſi quando ſaltem pari jugo incedant tam Catechetica quàm Concionatoria inſtruendi formula. 3. Varia eorum, qui in Eccleſiæ gremio ſunt, conditio hanc erudiendi rationem vendicat; nec enim illic ſolùm adulti & perfecti reperiuntur, non illic patres & robuſti in fide ſolùm, ſed rudes ſermonis juſtitiæ, ut qui infantes, infirmi in fide, ſunt agnelli qui in ſinu portandi. Hîc ſe accommodare debet paſtor & illorum infantiæ
Eſa. 44. 11. proſpicere, ut lacte nutriantur qui ſolido cibo
Heb. 5. impares. Cùm tam hî quàm illi Chriſto chari, utriſque pariter conſulat fidus paſtor. 4. Capita Catechiſmi enumerantur. Heb. 6. 1. *Non jacientes iterum fundamentum, tum reſipiſcentiæ*, &c. Quorſum in unum quaſi compingeret Apoſtolus articulos Catecheticos, niſi tale incumberet paſtori officium? Nec enumerat ſolùm, ſed ſe ejuſmodi ordinem religioſè obſervâſſe inſinuat. 5. Uberrimus, qui ex Catechetica inſtitutione, Eccleſiæ accreverit profectus, nec enim aliâ quâcunque viâ apud ignarum vulgus magis promovetur Evangelium, quàm hâc inſtituendi formulâ. Vel pontificii id agnoſcunt, qui regnum ſuum nullatenus æquè convulſum conqueruntur, ac rudiores in principiis fidei Catechizando. Pluſquam probabile, illam docendi formam à Deo eſſe, cui tam fœcundo proventu affluaverit. Quod ad Catechizandi rationem attinet hæ obſervandæ regulæ.

Regulæ. Primò, duplex ſit Catechiſmi formula; hæc contractior, quæ memoriâ & ingenio infirmioribus ediſcenda; illa fuſior, quæ ab iis qui doti-

bus

bus amplioribus imbuti ſunt exigenda. Diſcrimen hoc religiosè obſervandum, ne, dum pensum cui impares ſunt imponimus, animos despondeant illi; néve faciant quod in ſe hi, cùm infra quod poſſunt ab iis quæritur.

Secundò, non aſſumenda in Catechizandi formulam, niſi quæ principia fidei, eáque ad ſalutem abſolutè neceſſaria. Si plura accumulemus, periculum eſt ne populi indocile ingenium obruamus, & lubricam memoriam plùs æquò oneremus.

Tertiò, in Catechizandi formulâ cavendum, ne reſponſa in longum extrahantur. Multùm conducit rudiorum fragili memoriæ, ut omnia breviter, modò dilucidè, concludantur.

Quartò, in ſuas claſſes digerantur Catechumeni. Aliquando hi ætate provectiores, illi juniores; cavendum ne hos, coram illis Catechizando, probro exponamus: aliquando hi ſubruſtico pudore immodico à publicâ fidei profeſſione abſterrentur, cùm alii intrepidè quæ comprehendunt eloquantur; his ſaltem ad tempus parcendum. Hoc omne negotium ſic tranſigendum, ut nulli incutiatur pudor, nullus aliis ludibrio ſit.

Quintò, non in eo acquieſcendum paſtori, quòd fidei principia memoriter recitare valeant; danda opera ut ritè intelligant, quæ enunciant. Id poſcendum, ut aliis verbis reddant quod in Catechiſmo proponitur; ab illis quærendum, quid verba ſibi volent. Nihil inter Pſittacum & Catechumenum intereſt, ubi forma duntaxat verborum recitatur. Atque ſic de publicâ verbi Dei diſpenſatione ſive principali, ſive minùs principali; ſequitur illa quæ privata.

Cap.

CAP. VI.

De privata verbi dispensatione Pastorali.

Privata verbi dispensatio, necessaria.

PAstor tenetur ex officio etiam privatim dispensare verbum. Primò, quòd Dominus Jesus, qui pastorum princeps, in id studiosè incubuit, ut omnem arriperet verbum privatim dispensandi occasionem. Quandoque dubia solvebat, quandoque peccantes redarguebat, quandoque segnescentes cohortabatur, aliquoties pro re natâ aliquid, quod in astantium ædificationem cederet, enunciandi ansam captavit: ut *Luc.* 14. 2. Apostolus de se testatur,

Act. 20. 20. quòd Ephesios *tam domatim quam publicè docuerat*; animadvertebat scil. publicam doctrinam quasi in aerem evanescere nisi privatis admonitionibus, & colloquiis adjuvaretur. *Disputabat quotidiè in foro Apostolus, cum iis qui ipsum adiissent.*

Act. 17. 17.

1 Thes. 2. 11. *Nôstis quomodo unumquemque vestrum tanquam pater liberos suos hortabamur, consolabamur.* Et

2 Tim. 3. 6. si falsi doctores *in domos viduarum, ut seducerent, irrepsêre*, annon qui orthodoxi parem adhiberent diligentiam? 3. Gregis necessitas varia necessariò postulat ejusmodi privatâ verbi dispensationem. Multa sunt ad quæ publica prædicatio non pertingit, multa quæ non expedit publicè proponi, multi qui publicam reprehensionem haud ferrent, privatam æqui bonique consulerent, sunt denique complures, quos Deus à publicis conventibus secluſit, quibus nihilo seciùs suis temporibus verbum salutis distribuendum. Hinc Calvinus sic:

Haud

Haud excusabilis est eorum negligentia, qui, habitâ unâ concione, quasi pensum solverint, in reliquum tempus securè degunt, ac si in templo vox eorum esset inclusa, cum inde egressi prorsus obmutescunt. Et Bucerus: *Non satis est pastori concionem habuisse, sed, in modum seduli & fidelis imperatoris, dies noctésque præfectum plebi Dei oportet circumspicere, sollicitè occasionem captare, nihil intentatum relinquere, quo dolo, quâve virtute, captas à Satanâ mentes Christo asserat, regnique Dei pomœria proferat.* Et Zepperus: *Si quispiam Ecclesiæ ministrum suarum rerum & partium egregiè sategisse existimat, quando concione è sacro suggesto perfunctus est (quemadmodùm sanè hæc plurimorum opinio est & persuasio) næ vehementer ille fallitur. Videmus sanè agricolas nequaquam cessare aut conquiescere agro stercorato, & semine sulcis commisso, sed quotidiè ferè inspectatione & sollicitis oculis observare, an semen agro datum germinet, an herbæ, cardui, lolium, aut zizania segetem obducant & suffocent, &c. quibus & id genus multiplicibus incommodis magno studio, curâ & laboribus medentur, ne omnis, quem agro & semini impensum impenderunt, labor ipsis pereat, adeo ut nunquam sibi inducias faciant, donec segetes demessæ & in horrea congregatæ sint. Quarè ab agricolis illis rusticis vinci se hîc paterentur qui spiritualia seminant?* Videndum de hâc ratione verbi dispensandi Quando & quatenus tenetur pastor, nec non quomodo differt hæc ministerialis dispensatio ab illâ quæ Christianis omnibus incumbit. Quod ad primum, tum justa occasio est, 1° Quando ab illis accersemur. Sic præscribit Apostolus, ut sc. pro iis preces fundamus, aut eos prout eorum conditio exigit, vel consolemur, vel dirigamus, vel

In Matth. cap. 10.

1° Quando.

Jacob. 5.

porro

porro iis in re aliquâ ſpirituali uſui eſſe poſſimus? 2. Cum illos compertum eſt, utcunque non exigant, ope tamen noſtrâ paſtorali admodum indigere, ut vel alicujus peccati admoneantur; vel alicujus erroris convincantur, vel ut iis ſegneſcentibus quaſi faces ſubmittamus. 3° Quotieſcunque res tulerit, ut cum iis congrediamur, in id incumbendum ut unicuique quod ſuum eſt ſapienter accommodemus, habeat quiſque quod ei convenit verbum ſacrum. 4° Si quærat quis;

Quatenus.

Quatenus tenetur paſtor ad privatam verbi diſpenſationem. Primò, eatenus duntaxat privatim diſpenſare verbum obligatur, quoad per publicum miniſterium, aut per ea quæ ei neceſſariò inſerviunt, licebit. Cum utraque ſimul conſiſtere non poſſunt, privata publicis cedant. Secundò, cum diſpenſatio verbi quæ privata inidoneum redditura eſt paſtorem, qui toti gregi officium debitum præſtat, tum ab ea ceſſandum. Viz. Graſſante peſte vel quovis morbo contagioſo, liber eſt à vinculo privatim diſpenſandi verbum paſtor, eò quòd hâc ratione ſe reliquo gregi ineptum redderet. Tertiò, tum à privata hac diſpenſatione ſolvit paſtorem Deus, cùm non niſi cum aliquâ mali ſpecie præſtari poteſt. Prudenter ſe gerat paſtor, ita ut, ſi quando neceſſe, ut privatum commercium habeat, cum iis quibus verbum privatim diſpenſandum, honeſta vel coram hominibus procuret, nullam mali vel leviorem ſuſpicionem præbeat. Intererit hîc adjungere ſibi de vicinis comitem, qui ſuæ cum illis conſuetudinis teſtis ſit. 3. Quod ad tertium attinet, dicimus, quod paſtoralis hæc verbi privata diſpenſatio in eo diſcriminatur ab eâ quæ ſingulis incumbit Chriſtianis, 1. Quòd quilibet paſtor in verbo diſpenſando ſive privatim ſive publicè eſt lega-

Quomodo differet hæc diſpenſatio privata paſtoralis, ab illâ quæ Chriſtianis omnibus eſt communis.

legatus Christi, cui potestas clavium ita demandatur, ut cujus peccata remittit, remittuntur; cujus retinet, retinentur in cœlis; non sic privatus quispiam, quicquid hic dispensaverit non authoritativè facit ut in nomine Christi, sed duntaxat ex lege charitatis, quâ frater fratri obligatus. 2. Quilibet pastor, siquando verbum suis vel privatim annunciaverit, id ex pastorali vinculo facit, qui eorum curam in Domino susceperit, iis invigilare tenetur ex speciali vocatione; non sic privatus, qui si quem admonuerit, redarguerit, &c. hæc omnia præstat officia vi generalis Christianorum omnium vocationis. Atque sic de verbi dispensatione qualicunque. Sequitur ut qui huic subserviunt Canones adjungam. Canones hi sunt vel generales vel speciales. Generales edocent, 1. Quoties verbum dispensari oportet. 2. Quid è verbo maximè dispensandum. 3. Quomodò dispensandum. 4. Quid cavendum.

Cap. VII.

De Pastoris diligentiâ & assiduitate in dispensatione verbi.

Arripienda est quæcunque se offert occasio verbum publicè dispensandi.

Quod ad primum sc. Quoties. *Can.* 1. Arripienda quæcunque se obtulerit occasio verbum Dei publicè populo dispensandi. Tum verò se offert occasio, cùm vel ex Ecclesiarum præscripto, vel ex mutuo pastoris & populi consensu, conventus sive ordinariè sive extraordinariè habendi. Ordinariè sive diebus Dominicis, tam vesperi quàm manè, sive hebdo-

domatim, ut ſemel vel bis per ſeptimanam. Extraordinariè, ut cùm baptiſmus adminiſtrandus, cùm vel nuptiæ vel defunctorum exequiæ celebrandæ, vel, pro re natâ, aut panegyrica de accepto beneficio commemoratio inſtituenda, aut dies aliquis precibus & jejunio ſanctificandus, &c. Verbum autem diſpenſari dicimus vel per modum κηρύγματος, vel ἑρμηνευτικῶς, vel κατηχητικῶς. Id commodum, ut nunquam conveniat in unum Eccleſia, quin aliquid impertiat diligens paſtor quod ei cedat in ædificationem.

Quare. 2 Tim. 4. 2. Talem in verbo adhibendam diligentiam evincimus. 1. A præcepto Apoſtolico, *Prædica ſermonem, inſta tempeſtivè, intempeſtivè*; i.e. ut omnem arripiens verbi diſpenſandi occaſionem. Hoc jam olim prædixit propheta, cuſtodes Eccleſiæ præficiendos, *qui totâ die & totâ nocte jugiter non* Iſa. 62. 6. *tacerent.* Sic factitatum à prophetis qui à diluculo indeſinenter elocuti ſunt, *Jer.* 26. 5. Sic à Luc. 21. 37, Chriſto, qui *interdiu docebat in templo*, ad quem 38. & 22. 53 *populus diluculò veniebat ut eum audiret. Quotidie in templo vobiſcum fui.* Ab Apoſtolis: *Quo-* Act. 5. 42. *tidie templo & domatim* evangelizant Chriſtum. Act. 19. 9. *Quotidie diſſerebat* Paulus *in ſchola Tyranni cu-* Act. 20. 7. & 28. 23. *juſdam. Exponebat regnum Dei à manè uſque ad veſperam.* Etiam bis in eodem die fuit verbum Hagg. 2. Domini ad Haggæum prophetam. 2. Populi v. 10, 20. conditio id ipſum exigit. Sunt alii ſtupidi, quibus multories inculcandum quod edoceri cupimus; ſunt alii ad credendum pigri, quibus ut fidem inſtillemus promiſſa indies exhibenda, explicanda, applicanda; ſunt alii morum corruptelâ abrepti, qui ad bonam frugem ſæpiùs ingeminatis correptionibus, conſiliis, cohortationibus revocandi. Non ſat erit viam commonſtraſſe;

ſe, ſed inſtandum, urgendum, aſſiduis quaſi monitis vis facienda. 3. Multiplex ratio quâ in nihilum abeat quod diſpenſatur verbum jugem paſtoris opem efflagitat. Quandoque ſuffurante Diabolo memoriâ excidit, atque quod ſic elapſum iterum ſuggerendum: quandoque ſpinæ mundanæ ſuffocant, atque hîc his Evulſis de novo ſpargendum ſemen: quandoque à divitiis, voluptatibus, concupiſcentiis inordinatis perit verbi efficacia; quantæ hoc molis, quæ non intenſa adhibenda opera, ut nullum ab his verbo immineat periculum! Denique & crucis aſperioris immodica formido nonnullos qui verbum amplexi in ancipitem cogitandi curam diſtrahit; Hi ne à fide reſiliant indies confirmandi. Nulla verò occurrit ratio, quâ hæc incommoda compenſentur, quàm paſtoris in verbo diſpenſando aſſidua diligentia. *Manè ſere ſemen tuum, & veſperi ne remittito manum tuam, nam ignoras quidnam rectum ſit, hoc an illud.* Eccleſ. 11. 5 4. Operis excelſa natura fidi diſpenſatoris laborem reduplicaret. Annon, cuivis credenti, potentia Dei ad ſalutem eſt verbi diſpenſatio? Mercatores, naucleri, agricolæ qui in hujus vitæ duntaxat caducis emolumentis exercentur, quanto impetu feruntur, quàm in opere aſſidui? & nos, quibus à Diabolo ad Deum, à morte ad vitam, à gehennâ ad cœleſtem hæreditatem traducendus populus, in negotio quod tanti langueſcemus, operam qualemcunque ſufficere arbitrabimur? 5. Patrum, Neotericorum diligentia ſit nobis pro exemplo. E patribus Chryſoſtomus quàm frequens in concionando! Ad populum Antiochenum, Homil. 5. Εἰ καὶ χθὲς καὶ περὶ ἐκείνης περὶ ταύτης ὑμῖν διελέχθην, ἀλλ' οὐδὲ σήμερον

ἀποσήσομαι, οὐδὲ τῶν ὀπισθεν, οὐδὲ τῶν μετ' ἐκείνων. Etsi heri & nudiustertiùs de hâc locutus sum vobis materiâ, sc. de non jurando, neque tamen hodiè desistam, neque cras, neque perendiè eadem persuadere. Idem sic, Ὁρῶν ὑμῶν τὴν πόθον τὴν ἀκόρεστον, καὶ τὴν προθυμίαν τὴν πολλὴν, &c. ζωσχοῦς καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, τὴν αὐτὴν ταύτην καὶ εὐτελῆ τράπεζαν ὑμῖν παρασκευάζειν ἀναγκάζω &c. & deinceps: Φέρε ἂν εἰ δοκεῖ μικρὸν ἄνω πρὸς τοὺς ἀπὸ τῶν ἡμετέρων ἀναλαβόντες, ἀκολουθεῖν τοῖς σήμερον ἀναγνωσθεῖσιν ἐπεξέλθωμεν. Huic consonat illud quod occurrit Lib. 6. de Sacerdotio: *Episcopum necesse est in singulos, ut sic dicam, dies sementem facere, ut ipsâ saltem assuetudine sermonem auditorum animi retinere possint.* Idem Chrysostomus tempore pomeridiano concionabatur, ut Hom. 10. ad populum Antiochenum, in quâ laudat Τὴν μὴ τὴν ἑσπέρασιν ἀπολωληκότας εἰς τὴν ἀκρόασιν· πότε βέλτιον πεποίηκας; *Quando melius feciſtis? an præteritâ ſynaxi, quando poſt menſam ad ſomnum convertebamini? an nunc cum poſt menſam ad divinas leges audiendas conveniſtis?* Euſebius. *Unus de Senioribus legem recitat & exponit, ſicque id per totum diem ſeptimum,* μεχρὶ πρωΐθεν δείλης ὀψίας, *uſque ad veſpertinum crepuſculum.* Et Baſilius magnus sic: *Hi noſtri de illâ veſperâ ſermones ab hac veſpera jam occupati hîc orationi noſtræ finem imponunt.* Et Auguſtinus: *Ad reliqua Pſalmi de quo in matutino loquuti ſumus animum intendite.* Et in Joan. tract. 9. heſterno enim die, &c. diſtulimus in hodiernum. Vide tract. 16, 21, 24, 35, 36, 50. Et, de verbis Domini, Ser. 25. de verbis Apoſtoli, Ser. 9, 6. Vide Poſſid. de vita Auguſt. c. 21. Bucerus: *In ſingulis parochiis Dominicis*

Hom. 3. in Geneſ. ca. 2. Homil. 10. in Gen. Homil. 9. ad popul. Antioch. Vid. tom. 6. pag. 690. Gr. venit tempore pomeridiano Flavianus Epiſcop. ut Chryſoſtom. audiret concionantem. Vid. Euſeb. præparat. Evangelii, lib 8. c. 2. p. 2. 12. Baſil. Hexaem. Hom. 2. ad finem. Et Hom. 7. Jam enim adveſperaſcit, p. 95. Sic Hom. 98 Auguſt. in Matth. 12. v. 8, 11.

minicis diebus, ad minimum duæ, si non tres habeantur conciones. Et Hooperus Episcopus Gloceſtrenſis, in Confeſſ. fidei exhibita Edvardo VI. & Conventui Parliam. anno 1550. *Quindecim missæ quotidiè celebratæ non sufficiebant Baaliticis sacerdotibus, & una concio quotidie habenda, gravior esset, quàm ferre potest vel Episcopus pius vel pastor Evangelicus? Mirum id quod Evangelium Christi potest populo minùs explicari*, &c. De Johanne Calvino refert in vitâ ejus Beza, Quòd *ducentas octoginta sex conciones quotannis habuit ad populum, lectiones verò centum & octoginta sex, præter innumeras quas conscripsit de Theologicis quæstionibus literas.*

Cap. VIII.

Quid è Verbo maximè dispensandum.

Sic de primo, ſequitur Secundum, de iis quæ è verbo diſpenſanda.

Can. 1. Chriſtus ſit Alpha & Omega miniſterii. 1° Quòd in eo ſolo ſalus noſtra repoſita: *haud datur ſub cœlis nomen in quo fas est ſalutem invenire, niſi in nomine Chriſti:* eſt ille *via, veritas, & vita illa. Fidei noſtræ dux & conſummator* eſt Chriſtus, Heb. 12. 2. *In eo omnes theſauri ſapientiæ & notitiæ abſconditi ſunt. Factus eſt nobis à Deo, ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Dedit nobis Deus vitam æternam, & hæc vita in filio ejus.* Et denique Chriſtus *omnia*, Col. 3. 11. Secundò, ille

De Chriſto præcipuè agendum. Act. 4. 12. Joh. 14. 6. Col. 2. 3. 1 Cor. 1. 30 1 Joh. 5. 11

ſcopus Scripturarum primarius in Chriſtum nobis cognoſcendum præbeant. Omnis in eo verſatur ſacra veritas, vel ut nos ad Chriſtum manuducat, ſic tota illa Moſaica Oeconomia, vel ut Chriſtum nobis quaſi ante oculos deſcribat, vel ut quomodo illum mediis tam internis quàm externis participemus, vel denique ut illo dignè ambulemus. Tertiò, hunc unum præ aliis populo exhibuiſſe videntur quotquot Evangelii præcones. *Eccè agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi*; ſic Baptiſta. Philippus dicitur prædicâſſe Chriſtum. *Statim prædicabat Chriſtum in ſynagogis*; ſcil. Paulus converſus. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum*, 1 Cor. 1. 23. Et, *Non ſtatui ſcire quicquam inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, eúmque crucifixum. Mihi data eſt hæc gratia, evangelizandi inter gentes imperveſtigabiles opes Chriſti.* Quartò, quæ à nobis niſi ut Chriſto inſitis fiunt bona opera, nonniſi ſplendida ſunt peccata. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit pater meus: Sicut palmes non poteſt ferre fructum niſi manſerit in vite; ita nec vos niſi in me manſeritis, ſeorſum à me nihil poteſtis facere.* Hinc Lutherus. *Quicquid oratur, docetur, vivitur, extra Chriſtum, eſt idololatria coram Deo, & peccatum. Et quicquid habet mundus optimum extra Chriſtum, & ſanctiſſimum; peccatum, & error, & caro eſt.* Quin igitur ſæpiùs in concione concinnandâ occurrat, quomodo id quod diſpenſandum, Chriſto affine fuerit. Benè multa rejiciemus à Cathedra paſtorali quæ huc nullatenus conducunt.

Johan. 1. 29

Act. 8. 5. & 9. 20

1 Cor. 2. 2

Johan. 15. 2

Tom. 3. pag. 300. Tom. 4 pag. 156

Ad fidem, reſipiſcentiam, & charitatem ſum nonere ſpectandum.

Can. 2. Fides, Reſipiſcentia, & Charitas concionaturo ſemper obverſentur. His veluti tot cardinibus ſalus æterna vertitur. Quæ his vel explicandis vel promovendis non inſerviunt, quor-

quorsum in illis bonas horas malè collocaret fidelis pastor? ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, his videtur absolvi, credendis scil. & faciendis. 2 Tim. 1. 13
Credo omnibus quæ in lege & prophetis scripta Act. 24. 14,
sunt, simul ac me exerceo ut conscientiam habeam 16
sine offendiculo apud Deum & homines semper. Qui Tit. 3. 8
credidêre soliciti sint ad faciendum bona opera, hæc sunt quæ bona & utilia. Hinc fuit quòd Johannes Baptista *Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum* prædicavit; ac ín omnibus suis concionibus hanc sæpe ingeminat cantilenam: *Resipiscite, appropinquat enim regnum cœlorum*; Matth. 3. 2
Luc. 3. 3. Et Christus eadem premebat vestigia, *Resipiscite, & credite Evangelio.* Se missum te- Marc. 1. 15
statur *ut ad resipiscentiam vocaret peccatores.* Apo- Matth. 9. 13
stolis id in mandatis dedit, jam in cœlum ascen- Marc. 4. 17
surus, *ut ejus nomine pœnitentiam & remissionem* Luc. 24. 47
peccatorum inter omnes gentes prædicarent. Sic illi coram Synedrio Hierosolymitano constituti, testantur Deum, *Christum suâ dexterâ evectum fe-* Act. 5. 31
cisse principem & servatorem, ad dandum resipiscentiam Israeli & remissionem peccatorum. Et Apostolus Paulus, quæcunque populo dispensârat, ut quæ conducerent ad vitam æternam, his duobus capitibus comprehendit, fide & resipiscentiâ. Siquando igitur Contextus tractandus, dispiciendum quid inde discerpamus, quod vel in fide, vel in resipiscentiâ, vel in charitate populum ædificet. Act. 20. 20, 21.

Can. 3. Nihil è verbo, sive de Christo, sive de fide & resipiscentia populo dispensandum, quod non nobis exploratissimum: *Visum est mihi παρηκολουθηκότι πᾶσιν ἀκριβῶς ordine illa ad te* Luc. 1. 3
scribere. Quod audivimus, quod vidimus oculis no- 1 Joh. 1. 3
stris, quod spectavimus, & manus nostræ con-
trectârunt, id annunciamus vobis. Quod vidi- Sint omnia nobis priùs exploratissima.

Joh. 3. 11
2 Pet. 1. 16

mus teſtamur, ait Chriſtus. *Notam vobis facimus Domini noſtri Jeſu Chriſti potentiam & adventum, ut qui oculis noſtris aſpeximus illius Majeſtatem.* Magna ex eo accreſcit concionatori inter dicendum authoritas, ſi non niſi quæ diligenti ſcrutinio indagaverit, ea populo proponat. Si quæ, in quibus ipſe hæſitat, aliis obtrudat, quàm ſua omnia trepidè, incertè, & titubanter effatur! Porrò, cùm plurima ſunt in re Theologicâ confragoſa, de quibus adhuc litigant inter ſe doctiſſimi, ſummæ prudentiæ erit in his ſaltem ad tempus ἐπέχειν, nonniſi poſt rationes utrinque ſubductas ſententiam proponere. Utcunque enim celeberrimis Theologis ſuas indulſit Eccleſia retractationes; illorum tamen ſolertem & verecundam modeſtiam magis admiratur, qui ſententiam ſuam eouſque celârunt, donec ad maturitatem pervenerit judicium. Non hi, quod vulgo odioſum, παλινῳδεῖν coguntur. Quid, quod præcox illud in arduis judicium, ſi efferatur, veritatis ulteriori inveſtigationi ponit obicem? Quod diximus vel docuimus, id quâ ſumus animi pertinaciâ, dictum volumus; & ad trutinam id, de quo ſemel ſtatuimus, revocari ægrè ferimus. Turpis ſcilicet videtur omnis à ſententia quam ſemel imbibimus diſceſſio. Hinc natum illud concinnum Apophthegma. *Inter juvenile judicium, & ſenile præjudicium, omnis perit veritas*: dum ſcil. id ſibi aſſumunt, ut judicent, qui nondum idonei, Juvenes; & qui ſemel judicârint Senes, non nôrint ſententiam deponere. Denique, utcunque illud compertum, *diem priorem poſterioris eſſe diſcipulum*, haud ſic tamen effugiet qui ſententiam, in iis quæ publicè docuerit, mutabit paſtor. Vulgus hominum ei inconſtantiæ notam inurent, cùm pro arundine

quovis

quovis vento agitatâ habebunt ; etiam quæ omni exceptione majora docuerit, ea in diſcrimen vocabunt. Cavendum itaque, ne dum ea quæ non maturitate judicii decoximus, temerè effutiamus; tela neceſſariò retexenda. Atque ſic de Canonibus qui ſecundi generis, ſequuntur qui tertii, ſcil. Quomodo verbum Dei diſpenſandum.

Cap. IX.

Sacræ Scripturæ ſua dignitas & eminentia conſervanda eſt ; Humana teſtimonia quantâ cum cautione admiſcenda.

Canon I.

In toto hoc opere miniſteriali emineat verbum Dei. Tum autem eminere dicitur, cùm nullum præterea agnoſcunt auditores principium fidei ; ab eo, ut quod ſolùm in conſcientiam dominium exercet, pendent ; non à quibuſcunque ſcriptis humanis, niſi ut in eo fundatis, vel ſolamen, vel conſilium petant. Sic res tranſigi oportet. 1. Quòd hoc ſolo, non quocunque alio renaſcimur : *Progenuit nos Deus Sermone veritatis. Vos mundi eſtis per Sermonem quem loquutus ſum vobis.* Peculiare illi elogium legis Dei, quòd *animum convertit*, Pſal. 19. *Ego refingi & regenerari cupio ; diſcere, quod Nicodemus non intellexit, volo ; tu mihi frigida Pindari aut Sophoclis dicta recantas ; quæ Sappho atq; e Anacreon docere*

Emineat Verbum Dei.

Quare.

1 Pet. 1. Jac. 1. 18 Joan. 15. 3

In Conc. ad clerum habi a in templo Bear. Mariæ Cantabrigiæ.

docere poſſunt, totis horis declamitabis; doctus tu quidem es, non invideo, ego tamen nihilo ſum Chriſtianus magis; ſic Georg. Eſteius, Cantabrigiæ. 2. Scopus miniſterii verbi ille eſt, ut fides divina in cordibus audientium gignatur: at non niſi divino teſtimonio id efficitur. Nihil enim agit ultra ſphæram activitatis ſuæ; dicta humana nonniſi fidem producunt humanam. Si Moſi & prophetis non credidêre Judæi, nec vel ab Abrahami ſinu redeunti credidiſſent. 3. Quibus negotium eſt cum conſcientiis hominum, iis verbo utendum quod conſcientiâ ſuperius. Ut autem unus duntaxat legiſlator penes quem & vita & mors æterna, ita unum duntaxat verbum quod in conſcientiâ dominatur. Deus hominibus ſic, ut Pharao Joſepho, *Tantummodo ſolio hoc major te futurus ſum.* 4. Sp. Sanctus, præ aliis quibuſcunque, per hoc efficax eſſe ſolet; hinc Chriſtus per Spiritum promiſit ſe adfuturum. *Docete obſervare omnia quæ mandavi vobis,* Mat.28. 20 *& ecce ego vobiſcum ſum.* Sic & Apoſtolis ſua omnia ex Moſe & prophetis petentibus cooperabatur Sp Sanctus. Veritas quæ eſt ſecundùm pie- Act.10. 43, 44. tatem, eſt medium peculiari modo ſanctificatum ad fidem & vitam ſpiritualem generandam, præſertim apud eos qui Scripturas agnoſcunt. Spiritus ubicunque eſt, ait Athanaſius, eſt per verbum Dei; non autem omne verum eſt Dei verbum, non tum Chriſtus Diabolum vera loquentem reprehendiſſet; nec Spiritum verbo ſacris Scripturis comprehenſo (quod fatentur omnes) alligâſſet. Hinc erat quòd prophetæ nihil in ore Ezek. 2. 4 habuere, quàm, ſic dicit Dominus. *Dicas ei, ſic dicit Dominus*, &c. Etſi tritum illud maximè apud gentes (Alexander etenim Severus in palatio & publicis operibus perſcribi juſſit) *Quod*

tibi

tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Christus tamen non remittit Judæos ad gentilium libros, sed ad legem & prophetas. Et Apostoli, dummodo nonnisi cum Judæis qui Scripturas agnovêrunt, res erat, nil aliud quàm Mosen & Prophetas urgebant. Nec valet responsum, Quòd eò abstinuerunt à Gentilium testimoniis, quòd gentes Judæis exosæ sic antiquitùs fuêre, & tamen ad Gentes edocendos remittit Dominus. Et quidni Christus remisisset ad Gentilium potiùs libros instruendos, quàm ad volatilia cœli, ad herbas agrestes; salvabiles illi, non pariter hæc. Hinc *verbum Dei*, non hominum dicta arundinea, dicitur *gladius spiritus* quicum Satanæ obsistendum.

Mat. 7. 12. Jer. 2. 10. *Matth. 6* Eph. 6. 17

Quæri hîc solet, num testimonia accersita ab authoribus sive Ecclesiasticis sive Ethnicis impediant, quò minùs emineat verbum. *Resp.* Est allegatio quæ non impedit, est quæ impedit. Est quæ non impedit, nec enim aliter Arati, Menandri, Epimenidis dicta citâsset Apostolus. Nec Jacobus Hexametrum illud, quod *cap* 1. *vers.* 17. occurrit, à græco aliquo Poetâ petiisset. De hâc quæ non impedit, videndum, 1° Quando non. 2° Quid cavendum, ut non.

De humanorum Testimoniorum allegatione. Act. 17. 18 1 Cor. 15. 33 Tit. 1. 12

Tum non impedit, cùm auditorum ædificatio, utcunque non directè & per modum efficientiæ, at indirectè, i.e. per modum præparationis id postulat. Ut Primò, cum præjudicium de novitate amovendum. Ea est quorundam infirmitas, cui qui omnia factus est omnibus certè voluit succurri, ut multa tam in morum censurâ, quàm in hæresibus refutandis flocci faciant, quòd à novatoribus Scripturas detorquentibus prodiisse censeantur. Sic in Clericorum moribus taxandis,

Quando conducit.

dis, vel in cujuſcunque ordinis latiùs graſſantibus vitiis, intererit quandoque priſcorum patrum verbis ea reprehendere. Facilè eos patimur reprehenſores qui ſeculo remotiori vixêre, qui ſuâ canitie venerandi. Qui nobis σύγχρονοι (ea ſemper fuit præſentis ſeculi invidia) vel blandiuſculè increpantes nullatenus ferimus. Sic in hæreſibus refutandis, multùm intererit, ubi cum fratribus infirmis res eſt, è Patribus & Conciliis id Evincere, quod è Scripturis edocuimus. Pontificii, ut obſervat Eraſmus, in Lutheri Scriptis, multa pro hæreticis habuêre, quæ eadem in Auguſtino & reliquis patribus ut catholica amplexabantur. Secundò, cum adverſariorum ſententia, in quibus à fide aberrant, è ſuggeſto proponenda, authorum verbis inſiſtendum, adeóque eorum tam nomina quàm tractatus deſignari oportet. Nec enim aliter calumniam effugiemus, ac ſi illis ἑτεροδοξία, cum contrà ſentiant, affingeremus. Tertiò, ſi vim argumenti in ſe contineant quæ afferimus teſtimonia humana, quandoque Scripturæ veritas haud poteſt manifeſtari niſi teſtimoniis inde ſumptis: v.g. ſi illud probandum, Gentes habuiſſe legem Dei in cordibus ſcriptam: Inſtandum in dictis ſapientiſſimis apud Ethnicos. Quandóque Chriſtianis exprobranda craſſa ignorantia, impietas turpiſſima, injuſtitia exoſa: licebit hic Ethnicorum dictis & factis eos pudefacere. Remittit Dominus Judæos ad Gentes
Jer. 2. 10 edocendos, *Tranſite*, inquit, *ad inſulas Chittim & videte, & in Cedar mittite, videte, num factum ſit ſicut iſtud; Num mutavit Gens ulla Deos*
Prov. 6. 16 *ſuos, &c?* Solomon pigros ad formicas relegat. Apoſtolus Corinthios ad legem naturæ remittit, 1 *Cor.* 11. Quandoque cum iis, qui Scripturas non

non agnoſcunt, teſtimoniis humanis agendum. Sic Paulus ex Paganorum altari arripit argumentum Athenienſes convincendi, eſſe Deum quem non cognoverunt. Sic Julianum ex Ethnicorum principiis refutavit Cyrillus Alexandrinus. Nec hoc aliud (ut Hieronym. Epiſt. 84.) quàm Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare. Nota eſt Juliani Apoſtatæ vox, τοῖς ἐντῶν πλήγαις ἁλισκόμεθα, *noſtris ipſorum telis capimur*. Valdè hoc honorificum Eccleſiæ doctoribus, quòd in ſuis ipſorum caſtris cæſi ſunt ab illis hoſtes, & iis armis oppreſſi, quibus ſibi placere & confidere ſolebant, ut ex Lactantio citat Cantabrigienſe illud lumen, Theologus quo nemo nervoſior, doctiſſimus Davenanitus. Quartò, ſi veritas ſit Grammatica, naturalis, hiſtorica, aut quæ non ſupra naturæ lumen aſſurgit, licebit, prout expedit, auditoribus, ad humanos authores recurrere. Grammatica, ut quæ de verborum primævâ naturâ, &c. Naturalis, ut ſi animalium, plantarum, lapidum, natura explicanda. Hiſtorica, ut ſi propheticæ Scripturæ explicandæ, vel rebus factis ſeculis retroactis fides facienda. Quæ non ſupra naturæ lumen aſſurgit, ut in pleriſque de juſtitia & jure, moralibus. Atque ſic Quando. Videndum, Quid cavendum, ut Scriptura retineat quod ſuum.

Act. 17. 23

In cap. 2. v. 8. ad Coloſſ.

Primò, nonniſi rarò & parcè hæc adhibeantur qualiacunque teſtimonia, etiam ubi id neceſſe. Sic apoſtolus nonniſi ter feciſſe legitur, i. e. ut Zanchius, *rarò, ſobriè, & obiter*. Ejuſmodi enim allegatio authorum non impedit quò minùs emineat Scriptura. Hinc Eccleſia Gallicana ſic decrevit, *Priſcorum Patrum, nedum hiſtoricorum, vel profanorum aliorum Scriptorum teſtimoniis,*

Quid cavendum.

Diſcip. Gal. art. 11.

moniis, in concionibus ad populum, non niſi parcè utendum. Et extat exemplum Synodi quæ ſic peccaturos in Canonem gravi comminatione coercuit. Verbum Synodi ſic, *Quia id Synodo repræſentatum, quòd complures miniſtri in verbo diſpenſando magis patrum quàm Scripturarum utebantur teſtimoniis, Synodus iis abdicationem à Miniſterio comminata eſt qui concionibus Philoſophicos diſcurſus admiſcebant, qui patrum ſcripta in ſuggeſto allegârunt:* Sic refert Petrus Matthæus de nationali Synodo proteſtantium, habitâ Gap. Oct. 1. Nec de nihilo erat quod Synodus tam ſeverè hoc concionatorum genus repreſſit; refert enim qui hiſtoriam conſcripſit de ſtatu religionis in Galliâ, quòd hujuſmodi pompoſum concionandi genus, lanienæ illius Pariſienſis omnium truculentiſſimæ, ante-ambulo fuit. Nec non Illyricus (ut infrà dicemus) benè monet, hoc prodigium fuiſſe in Germaniâ denuntians cœleſtis doctrinæ fœdam obſcurationem.

Lib. 6. Hiſt. pag. 601, 602. ann. Dom. 1603

Secundò, non promiſcuè, & indiſcriminatim ſacris Eccleſiaſtica admiſcenda, ſive Ethnica. Innoteſcat auditoribus, latum quod inter illa diſcrimen. *Imperita plebecula ſæpe inter Paulum & Auguſtinum, Petrum & Chryſoſtomum diſcernere haud novit*, ait Zepperus. *Concionatores novi è nido Platonis ac Ciceronis excluſi Ethnica percrepant; nec ſe ſatis Theologos oſtendunt, niſi nimis Philoſophos oſtentant, omnium neſcio quam farraginem, & moretum facientes: hæc nos indocti audientes, permiſtáque Petri & Platonis, Pauli ac Plauti, Homeri atque Moſis nomina accipientes, Platonem non divinum, ſed divum judicabimus, Plautum Apoſtolum, non Comicum, Homerum denique Prophetam non Poetam exiſtimabimus.* Sic Eſtius. Tum amittit de ſuâ di-

In conc. manuſ. hab. in eccl. Beat. Mar. Cantabr.

ignikate Scriptura, cum ab imperito vulgo ut similis authoritatis habentur.

Tertiò, & id auditoribus sit compertum, quòd non nisi coacti scripturarum cancellos egredimur; non sc. ex Scripturæ defectu quæ omni modo αὐτάρκης, sed vel ut fratrum infirmitati indulgeamus, vel ut atheis & malevolis ora obturemus.

Quartò, apud imperitum vulgus, cui ignoti sunt ejusmodi Scriptores, nec penes eos ut scrutentur, authorum nomina reticeantur. Sat id ex illis quæ proposito inserviunt decerpere; nisi nos malâ fide agere suspicio erit. Sic Apostolus Poetarum nomina, quorum adduxit testimonia, reticuit. Ut enim in templo Solomonis extruendo, non mallei, secures, aut quævis utensilia ferrea crepuerunt, lapides in monte cæsi integri sunt advecti. Perinde in Ecclesiâ aggregandâ videat pro suâ prudentiâ pastor fidelis, annon populo conducat magis ut sua omnia in privata officina dolet tundatque, quàm ut hinc inde authorum qualiumcunque nomina obstrepant. Atque sic de illâ authorum allegatione quæ scripturis suam conservat dignitatem illibatam. Sequitur quæ non. 1 Reg. 6. 7.

Primò, Quandò periculum est ne vilescat Scriptura, scripta hominum suprà quod par æstimentur, eò quòd in testimoniis humanis frequentiores quàm in scripturis concionatores. Quantum indè Ecclesiæ accreverit detrimenti, testatur illa à Christo annorum centuria nona. Hâc ætate à Scripturis ad patres discessum, ait Illyricus, & plus studii collocatum in creaturarũ monumenta evolvendo, quàm in eloquia divina addiscendo. Certum hoc, sed malum, Antichristi ad culmen assurgentis omen, quod proximâ centuriâ sequebatur. Istiusmodi in authoribus sive Ecclesia- Quando culpanda est.

cleſiaſticis, ſive Ethnicis, citandis nimiam dili-
gentiam, quæ obtinuit tempore Illyrici in Germa-
niâ, notat idem cœleſtis doctrinæ fœdam obſcu-
rationem portendere. *Nihil*, inquit ille, *ſapit ho-
minibus quod non philoſophiâ, ejúſque floribus
nempè ſuaviſſimis principiis, ac pulcherrimis di-
ctis, ex omni parte eſt non modò reſperſum, ſe-
refertum.* —— *Hinc in ſuggeſtis ad populum ſan-
ctiſſimi Evangeliſtæ, Plato, Ariſtoteles, Ho-
merus, Euripides, &c. crepitant.* Paulò poſt:
*Plus nimio patrum ſcripta ſtrepunt, & crepant
in lectionibus, concionibus, &c. ſic inquium
ſapiens antiquitas ſenſit, à qua non diſcedendum
Iſte immodicus ad patrum ſcripta relapſus nihil bo-
denotat, &c.* Et porro idem ſic: *Nimia vener-
tio patrum & Ethnicorum immoderatus cultus, Ec-
cleſiæ Dei magnas tenebras ſignificant. Ex hom-
nibus enim tenebræ, à Deo lux oritur.* Audi Je-
ſuitam, *quid de iis dicas qui Theologi & ſacr.
Scripturæ interpretis perſonâ ſuſceptâ medicu
agunt, Architectum, Mathematicum, aut Po
tam, qui profana hinc indè conquirunt, &c. q
niſi humanam eruditionem oſtentant, nihil ſibi ſa
pere videntur, &c. Id profectò non aliud eſt
quàm, non dicam miſcere ſacra profanis, ſed pu
riſſimos divini verbi latices fœdiſſimo cœno inqu
nare; vel quod longè deterius, adulterinâ pec
niâ mercaturam exercere, vel merces ipſas corrum
pere & adulterare.* Vide Plura. *An Theopompu
volentem è ſacris bibliis ſuis ſcriptis inſerere, me
te movit Deus, ut nos ad ſacra ſcripta Ethnica ad
jungeremus? An Theodectem aliquid in Traga
dia è ſacris literis admiſcentem glaucomate affeci
ut nos ſententias tragicas in ſermones ſacros com
pingeremus?* ait prædictus Eſtius.

Vide præf. ad Cent. 9. Juſtinian. in 1 Ep. ad Corin. c. 2.

Secundò, ſi quando periculum, ne oves Chri-

ſti humanis teſtimoniis aſſuefactæ, à Chriſto ſolo non pendeant. Id ovium Chriſti officium, ut ejus ſolius vocem audiant, & ſequantur, ut eum ſolum audiant, ut in nullius magiſtri verba jurarent. *Vos ne vocamini Rabbi*; i. e. ejuſmodi, à quibus populus inter docendum pendeat. *Unus eſt doctor veſter, nempè Chriſtus: omnes autem vos fratres eſtis. Compertum id à Chriſto in verbo loquenti abduci auditores in quorum auribus aſſiduè perſonant doctorum, ſive illi Eccleſiaſtici ſive Ethnici, ſcripta; perindè enim apud illos, temporis decurſu, ſive ex ſacrarum literarum penu, ſive ex Eccleſiaſticorum vel Ethnicorum ſcriptis, aliquid in medium proferatur*, ait Zepperus. Et Zanchius, *Per ſcripta Poetarum, Philoſophorum, aut Patrum, niſi ubi neceſſe, evagari, eſt Eccleſiam aſſuefacere dictis hominum magis quàm ſacrarum Scripturarum oraculis audiendis; quod, quid aliud eſt, quàm puritatem verbi Dei paulatim è mentibus fidelium, eóque ex Eccleſiâ tollere?*

Joan. 10. 27 Matth. 17 & 23. 8.

Lib. 2. c. 6 de art. habend. conc.

Orat. de conſerv. puro puto Dei verbo, Tom. 8.

Tertiò, ſi quando ex frequentiori patrum in concionibus uſu eatenus magnificant, ut eorum conſenſus pro normâ, in ſcripturis interpretandis, conſcientiis hominum obtrudatur; probationes quæ inde deſumuntur, ut validæ ſatis habentur, tum demum amittit de ſuâ eminentiâ Scriptura. Id Scripturæ elogium, quod ſola regula fidei. Si quando patrum crebra in ſuggeſto allegatio novo principio fidei viam muniat, meritò ableganda.

Obj. At nihil tale concionatoribus his in mentem venit.

Reſp. In omni opere non id advertendum ſolùm, quæ ſit intentio operantis, ſed & quæ conditio operis. Non id ſat ut Scripturis ſuus conſer-

ſervetur honor, quòd nil tale cogitant qui patrum dictis citandis emancipati. Si conditio operis vel tale quid præ ſe ferat, cùm ſacris Eccleſiaſtica promiſcuè connumerantur, vel apta nata eſt ut producat, meritò explodenda. Quòd verò ſic, conſule Centuriam nonam, in quâ invaluit illa immodica patrum præpoſtera admiratio, quæ ſeculis ſequentibus tale peperit monſtrum.

Quartò, ſiquando ab iis ad ſcripturas aliquid ornamenti accedere putetur, tum ſcripturarum eminentiæ detrahitur: nam 1. Omnis ornatus ſupponit aliquid addendum ei quod ornatur; at Scriptura habet ſuam ingenitam venuſtatem, non opus ei aliquo adventitio ornatu. Secundò, quicquid alterum adornat, in eo quòd adornat, melius eſt eo quod adornatur: at non id de quibuſvis hominum dictis dicendum.

Quintò, illa authorum varii generis conglomeratio, quæ nedum indirectè vel per modum præparationis ædificationi conducit, ſed merè oſtentabunda, impedit quò minùs emineat Scriptura. Nam 1. Scripturas ſuo loco extrudit, illarum vice ſe venditat. 2. Minùs honorificam de Scripturis teſtantur opinionem, qui ſic; cùm non ex illarum accuratiori ſcrutinio, ſed ex humanis teſtimoniis coacervatis laudem ſibi quærunt: hæc magni faciunt, illas vili æſtimant, cùm ab illis potiùs quàm ab his laudari eligant.

Omnis verò hæc authorum qualiumcunque in ſuggeſto congeries, quæ impedit quò minùs emineat ſcriptura, eapropter porro illicita habenda.

Quare vitanda. Primò, quòd peccat in Scripturæ *αὐταρχείαν*. Siquidem ex hâc frequenti & minùs neceſſariâ authorum allegatione periculum eſt, ne auditorum animis ſurrepat, quòd ſcriptura non ex ſe ſuffi-

ſufficiens, ut homo Dei ad omne opus miniſteriale ſit perfectè inſtructus. Sic doctiſſimus Zanchius, *Fit injuria Scripturæ, cùm non quoad ejus fieri poteſt* (de quo ſupra) *ab hominum tum Chriſtianorum tum Ethnicorum dictis in ſuggeſto abſtinemus, & nil niſi verbum Dei proferimus.* Et Zepperus: *Evangelium atque tota Scriptura inſufficientiæ cujuſdam inſimulatur, quaſi ſola abundè non ſuggerat quæ ad inſtitutionem Eccleſiæ neceſſaria ſunt, ſed ſubſidium ipſi aliunde accerſendum ſit.* 2. Tim. 3. 17.

Secundò, aliò avocat ſtudia Theologorum; ſpreta jacent Scripturarum ſtudia; operam & oleum aliis ſcriptoribus impendunt, cùm illæ duntaxat magni fiant conciones quæ horum ſententiolis refertæ. Rabanus & Haimo qui nonâ vixerunt centuriâ, *patrum conſarcinatores* dicuntur, eo quòd Scripturis prætermiſſis patrum monumentis evolvendis toti incubuêre. Id ſeculi illius vitium, quòd qui in his verſatiſſimi, pro primipilis Theologis habebantur. Vide Cent. in præf. ad Cent. nonam.

Tertiò, excludit illam ſolidam & nervoſam docendi rationem, quâ omnia argumentorum aculeis firmè concluduntur, contextûs intimi receſſus indagantur, ſingula populi neceſſitatibus accommodantur. Sapiunt hæc artem, & artium ſcientiam; teſtimoniorum verò accumulatio, nullam artem redolet. Hinc apud Dialecticos pro argumento inartificiali habetur Teſtimonium, utpote quod non ſuâ vi arguit, ſed aſſumptâ alicujus artificialis argumenti vi, abſque quâ infirmum in ſe. Abundè nihilominus ſe ſatisfeciſſe officio ſuo arbitrantur hi venditabundi Thraſones, ſi è patrum vel Ethnicorum ſcriptis ſententiarum manipulum congeſſerunt; ſi ignarum vulgus grandiſonis au-

thorum nominibus obſtupefecêre; ſi Hebraicis, Græcis, vel Latinis, ſive ſententiis, ſive vocabulis, in auribus populi tonuêrunt, fulminârunt.

Quartò, ejuſmodi mixtura detrahit verbo Dei ſuam efficaciam. Quo magis enim nudatur omnibus aliunde conquiſitis ornamentis, eò efficaciùs operatur. Eſt verbum Dei Topazium, cujus natura eſt, ut ſi polire & lævigare velis, aſperetur magis; ſic affecto ornatu verbum corrumpitur. Eſt verbum alimentum ſpirituale; alimenta quò ſimpliciora, eo puriora; quo puriora, eò ſalubriora, adeóque nutriunt magis: eſt vinum cor exhilarans; aquam ſi vino infuderis, generoſum ſuum vigorem amittit: eſt aurum & argentum, his ſi æs vel ſtannum commiſcueris, eorum excellentiam diminues: eſt enſis bipennis; ejus acies ſi inauretur, obtunditur.

Obj. At quidni illa, de qua priùs, allegatio authorum, verbum pariter enervaret?

Reſp. Latum inter has mixturas diſcrimen: illic pediſſequa ancillatur dominæ, nec ſe, niſi juſſa, interponit; hìc pediſſequa dominam ſi non ſuo loco exturbet, at ut ſocia juxtà incedit, ſubeſſe recuſat. Alia eſt Hagar Saræ ut ancilla inſerviens, alia eadem Hagar heram deprimens, vilipendens. Secundò, Alia eſt illa authorum allegatio quæ populi ædificationi inſervit, alia illa quæ non niſi multifariæ lectionis oſtentationi: alia illa quâ verbo ſuus conſervatur honos, alia illa quâ detrahitur.

Quintò, illa verbi diſpenſatio, quâ non iis qui extrà, ſed conſcientiis populi Dei nos approbamus, probanda inprimis. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, id eſt, ſincerè affectos, ut quam illi ſapiant; cùm quj carnales negligunt, deſpi-

1 Cor. 2. 6

catui

catui habent. At qui à Deo edocti, ii sincero Dei verbo gaudent; hoc illis in deliciis: optimè olet, illorum naribus, verbum, cùm nil olet. Qui nondum de aquâ illâ ad vitam æternam saliente vel primoribus labiis gustârunt, iis hæc variegata docendi ratio maximè arridet. Quæ picâ laborant fœminæ, pro cibo cineres & carbones eligunt; &, qui animo valetudinario, auditores purum putum Dei verbum fastidiunt, testimonia humana avidè imbibunt. Ager ille frumentarius qui varicolor, utcunque noxiis herbis coopertus, pueris perplacet; cùm frumento puriori gaudet agricola: sic & iis, quibus post puerilitiam manet tamen puerilitas, placet quæ patrum, Philosophorum, Pottarum scitè dictis abundat concio. Delectantur, quæ in libris occurrunt, picturis pueri, cum quæ inde ediscenda detrectant. Dum enim, ut ait Zepperus, animi & aures ad ornamenta illa, phaleras, & titillitium verborum, lutúmque Philosophicum & Ethnicum hiant, &c. in cortice tantùm & putamine Evangelii detinentur, &c. imò retrahuntur ferè; ad ipsam rei medullam & nucleum non penetrant.

Sextò, peccat illa verbi dispensatio, quæ sic transigitur, ut non potentiæ Dei, sed humanæ sapientiæ ascribatur fides credentium. Peccat illa, 1 Cor. 2. 5
quâ inanis redditur crux Christi, vel doctrina 1 Cor. 1. 17
Evangelii salutaris de cruce Christi. *Dum verò*, ait Zepperus, *lenociniis & fuco verborum, & suaviter tinnientibus apophthegmatis, atque historiolis & fabulis Ethnicorum, occupantur, delectantur, & perstringuntur auditorum oculi & aures carnales, plurimis certè modis fit ut crux Christi evacuetur. Nam magistris magnis eloquentiæ, & conquisitis hinc inde Rhetorum ornamentis,*

Philoſophorum ſcitè dictis, &c. magis aſcribitur converſio, fides, & ſalus hominum, quàm virtuti Spiritûs Sancti per evangelium liberè operantis, &c.

Atque ut eo nomine vitanda hæc minùs neceſſaria & frequentior authorum qualiumcunque coacervatio, quòd ne Scriptura emineat, impedit, pariter eapropter ex Eccleſia eliminanda, quòd populo injuria. 1. Quòd impedit quò minùs ſermo Dei opulenter in populo Dei inhabitet. Ubi enim omnia humanis teſtimoniis ſcatent, ibi neceſſe ut ſit rarior Scripturarum uſus. Quod tempus his explicandis impendendum, id intercipit numeroſa authorum caterva. 2. Quòd populo imponit, præſertim ubi apud tyrones reperitur concio centonibus, ſive ex patrum ſive ex gentilium libris, conſarcinata. Auditoribus ſcil. inſinuant, quòd ſummè docti, omnigenâ literaturâ imbuti, cujuſque generis authores diligenter verſârint; cùm Theologiâ ſolidâ & nervoſâ vix leviter tincti, authores quos præ ſe ferunt legiſſe, vix inſpexerint. Vel enim aliorum, à quibus ſua omnia deſumpſêre, plumis gloriantur; vel quod de Caco fertur, illum Herculis boves per caudas in antrum traxiſſe; pariter & hi, non niſi per indices librorum, ac per caudas ſuas, omnes quas oſtentant ſuffurantur varias ſententias Cognomen eruditionis apud imperitum vulgus lucrantur hi, cùm qui bene docti, ut infimæ claſſis Theologi habentur. Cui verò id non compertum, quòd circumforaneus circitor, qui, quâ potis eſt pompâ, ſua omnia in foro venalia exponit, mercatore opulentiſſimo, qui ſua omnia in abditis ſecludit cellis, ſpecimen duntaxat populo exhibet, ditior multò puerili judicio habetur? Annon ſic plerunque in Theologis

logis dijudicandis egregiè fallitur Vulgus? 3. Quòd populo obeſt, cùm ex eâ minùs perſpicua omnia. 1. Quòd intermiſcendo Hebraica, Græca, Latina Anglicanis, rerum perceptio impeditur, & attentio auditorum, cùm non aſſequitur quæ dicuntur, interrumpitur. 2. Quòd nuda veritas, quæ ſuâ luce claret, variis authorum ſententiis veſtita, quaſi tot involucris obſcurior evadit. Vitrum quod coloribus depictum minorem tranſmittit lucem, clariùs multò omnia colluſtrat quod pellucidum; perinde & veritas audientium notitiæ magis innoteſcit, ubi non promiſcuâ authorum, ſententiarumque, quæ vulgi captum ſuperant, interpoſitione, ſeries orationis perturbatur.

CAP. X.

De Concionatoris Stylo, aliiſque ejuſmodi.

CANON II.

MYſteria fidei Scripturæ ſtylo & phraſi, quoad fieri poteſt, explicentur. *Quæ Dei ſunt loquimur, non ſermonibus quos docet humana Sapientia, ſed quos docet Spiritus Sanctus.* Negligebat ſcil. Apoſtolus verborum lenocinia, elegantiores illas loquendi formulas, quas conſectabantur facundi Rhetores; ſacra Dei, idiomate quod edocuit Spiritus, enunciavit. Siquidem quæ non ab ingenio humano ſuam repetunt originem, ſed à Spiritu Sancto inſpi-

Utendum ſtylo Scripturæ. 1 Cor. 2. 13

inſpirantur, magnalia Dei, ea verbis, quæ ab eodem fonte proficiſcuntur, exprimi par eſt. Hinc prophetæ, ſi quando peccata corripiebant, judicia denunciabant; juſſa divina ſuaſerunt, è ſcriptis Moſaicis ſuas procudêre linguas. Quorum veſtigiis inſiſtentes Evangelici Scriptores, Hebraiſmis toti redundant. Stylum verò Scripturæ ut divina imitatione effingamus, expendendum paucis, quæ ejus, quibus maximè celebratur, elogia.

Ipſius elogia.

1. Styli ſimplicitas.

Eminet verò triplici nomine Scripturæ ſtylus. 1° Simplicitate, quâ nudè & inaffectatè divinam veritatem proponunt viri θεόπνευστοι. Unius Dei gloriam & populi ſalutem in oculis ferunt. Illas verborum Phaleras, ſententiarum numeroſas periodos, totum denique humanæ facundiæ apparatum prorſus negligunt. *Ego veni, non cum eminentiâ facundiæ aut ſapientiæ.* Interim verò habet impexa ſimplicitas ſacrorum Scriptorum ſuum modeſtiorem ornatum, elegantias concinnas, lepores venuſtiſſimos; ſed illi Rhetorum artificio, quo hominum animis huc illuc impellendis inſidiantur, diſpares omnino. Quantuſquantus ille in ſacris cultus eſt, ſequitur, non quæritur; aliud agenti obverſatur, non ſolicitè amplectitur: *habent ſacræ Scripturæ, ſed non oſtendunt, eloquentiam:* ut Auguſtinus. Vapulent hîc pro meritis ſuis calamiſtrati noſtri concionatores, qui myſteria Dei, ſtyli, quo ſplendeſcit, nitore ſpoliant, ea verborum & phraſium apparatu redimiunt, quem ab hiſtrionibus, poetaſtris, & vaniloquis Scriptoribus magno conatu conquiſîvêre. Non ſic Juriſconſulti, non ſic Medici, qui in vocabulis, quæ profeſſioni ſuæ nativa uſus fecit, acquieſcunt; dedignantur quæ aliena, quæ nova, aſſumere. Quorſum Theologi, ab ejuſmodi

1 Cor. 2. 1

Nec tamen ſine ſuo ornatu.

Lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 7.

ejuſmodi terræ filiis, ſuas emendicarent loquendi formulas? David, Saulis bellicâ armaturâ inſtructus, ad certamen cum Goliâ cernendum ſe ineptum cauſatus eſt; baculum potiùs & fundam, cum quinque lævibus, è valle lapidibus ſibi dari optavit. Perinde & ſacroſancta veritas, ſi quando eloquentiæ humanæ lautitiis effœminatior facta, ſe ad illa nequitiæ ὀχυρώματα ſubvertenda imbellem meritò conqueratur. Potentior illa multò, ſi abſque fuco, & pulchritudine aliunde accerſitâ, nuda incedat. Annon perſuaſoria illa humanæ ſapientiæ verba vim ſpiritûs enervant? Porro, ſi, quâ eſt excellenti puritate, Deus, fœminam caſtam meretricio amictu ornari, vetuit; annon ægrè feret, ſuam virginalem & intemeratam ſacram veritatem humanis pigmentis ita infuſcari, ut non agnoſcas eandem? Interim verò, ſi cui id nativum, ut elegantiùs ſe exprimat, vel ſi cui obiter non affectatè occurrant ejuſmodi loquendi formulæ, non repugno quin dono ſuo ſive infuſo ſive acquiſito utatur. Habet quiſque quod ſibi peculiare donum, unus ſic, alius aliter. Ejuſmodi verò ingenioſiores idiotiſmos præpoſterè affectare, opus, quod in manibus, impedit. 1° Quòd id impoſſibile, ut quis toto animi niſu auditorum & auribus & conſcientiis ſe accommodet: his dum inſervire ſtudet, illis haud ut decet ſuccurret. 2° Quia in id propenſi auditores nonnulli, ut, dum in nitidioribus loquendi formulis hærent, myſteria fidei, quæ ſubtèr latent, negligant, ad reprehenſiones & exhortationes animum non advertant. Dum enim acumine dicentis delectantur, elabitur omnis, ſive de malo quod averſandum, ſive de bono quod amplectendum, cura. 3° Periculum eſt, ne phaleratis hiſce dicendi for-

Quare.

di formulis, non potentiæ verbi, accepta fera-
1 Cor. 2. 4; 5 tur credentium fides. *Oratio mea*, ait Apoſtolus, *non fuit in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione Spiritûs, & potentiæ; ut fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in potentiâ Dei.* Eleganter Eunodius: *Docendi ornamenta non ſunt intentiones negotii, ſed quietis;*
Concil. Tom. 2. pag. 336. edit. Surian. *nec militiæ ſunt picta verba, ſed otii. Campus fortem poſtulat, pax profunda redimitum ornat. Qui profuturæ aſſerit, loquelam quæ periculo artis colorata contemnit.* Et pag. 334. *Sermonum ſchemata à me non quæratis. Antiquo adhuc utor reti, & irriſam à ſapientibus ſæculi cymbam non reliqui: Illa me per mundi freta ſuſtentat.*

2. Styli Scripturæ συγκατάβασις, quâ ſe hominum accommodat Intellectui.

2. Scripturæ ſtylus humili ſuâ, ad tenuitatem noſtram, accommodatione nobilitatur. Adeò ſanctus Spiritus in divinis oraculis conſcribendis, quaſi ſui immemor, ad captum noſtrum ſe demittit, nobiſcum veluti balbutit, quæ in ſe ſυνόψεα, ea explicatiùs ênucleat. Intellectum, ad ea quæ vel ante pedes cæcutientem, annon luce clariori perfundunt illæ crebræ ἀνθρωποπάθειαι, concinnæ tranſlationes, à nobis notioribus deſumptæ ſimilitudines, ſtylus apud vulgus uſitatior? Non enim à politulis oratoribus, qui Græcæ linguæ deliciæ & flos, ſuas loquendi formulas mutuatur Spiritus ſanctus; verba & phraſes quæ in circulis à circumforaneis frequentari ſolebant, ea arripit. Eapropter piſcatorum & Publicanorum linguâ in ſuis exarandis uſus eſt Deus, ut eò facilius à vulgo perciperentur,
De Doctrin. Chriſt. lib. 4. c. 10. quæ per ora infimæ claſſis hominum ad nos devenêre. *Quid enim*, ait Auguſtinus, *prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis; cum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligant, propter quos, ut*

intel-

intelligatur, loquimur? Et iterum, *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est?* Et iterum, *Qui ergo dicit, cùm docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum existimet se dixisse quod vult, ei quem vult docere. Quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est à quo intellectus non est. Si verò intellectus est, quocunque modo dixerit, dixit.* Idem alibi, *Benevolentissimè me monuerunt,* (sc. qui libros ejus contra Manichæos scriptos, haud posse ab imperitioribus intelligi, animadverterant) *ut communem loquendi consuetudinem non desinerem; hunc enim sermonem usitatum & simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt.* Et alibi; *Melius est ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* Et porro idem, *Rogo humiliter, ut contentæ sint eruditæ aures vestræ verba rustica æquanimiter sustinere, dummodo totus grex Domini simplici, & (ut ita dicam) pedestri sermone, pabulum spirituale possit accipere; & quia imperiti & simplices ad scholasticorum altitudinem, non possunt ascendere, eruditi se dignentur ad illorum ignorantiam se inclinare.* Memoriæ verò en ut succurrit Spiritus sanctus, eo Laconismo singula constringens, ut res verba numero vincant; nusquam à proposito vagatur, singula suo ordine digerit. Voluntati denique segnescenti quasi facem subdit illa sermonis in Scripturis frequentior efficax δείνωσις. Ita totus noster fuit in sacris annunciandis Spiritus sanctus, omnia audientium modulo attemperavit, perinde & pastor, quantus quantus est, suorum

Cap. 11.

De genesi contr. Manich. lib. 1. cap. 1.

In Psal. 138.

Serm. de temp. 78.

Memoriæ.

Voluntati.

rum imbecillitati ſe accommodet. Quàm hi turpiter impingunt Doctores, qui ſtylo utuntur obſcuriori, ut qui vel vulgi captum ſuperet, vel ſententiarum involucris anfractuoſus; qui verba & phraſes, quæ apud vulgus inſtar linguæ peregrinæ ſunt, ambiant; qui non, efficaci-rerum quaſi oculis ſubjectione, animos percellunt, ſua omnia frigidiuſculè concludunt.

3. Styli Scripturæ Gravitas.

3° Gravitate quâdam, rebus quas tractat decorâ, inſignitur Scripturæ Stylus. Singuli verborum apices, eloquendi formulæ, ſuâ ingenitâ majeſtate fulgent; res tota ſeriò tranſigitur; nihil hîc ludicrum. Siquidem, cùm quæ ſubeſt materia, de æternâ animi ſalute, de gloriâ excelſiſſimi, agit univerſa, æquum id, ut rerum gravitati conveniat elocutionis forma. Senatorem de Reip. negotiis graviſſimè differentem alius decet ſtylus, alius in ſcholis juveniliter exultantem Rhetorem: perinde & alius ſermonis character, ſacra Dei annuncianti convenit; alius de hujus ſeculi negotiis peroranti. Sermo concionatorius ſic temperandus, ut pro rerum magnitudine animos hominum exſuſcitet, quâ decet reverentiâ componat, quâ potis eſt efficaciâ percellat. Quin abeant igitur, quò dignæ ſunt, facetiæ qualeſcunque, ſales illi & feſtivè dicta, quibus riſum quærunt nugivenduli quidam concionatores: Quæcunque de rerum, quas in manibus habemus, honorificâ exiſtimatione detrahunt, ea averſemur ſingula.

Non plura, quàm par eſt, ſimul tractandum.

Can. 3. Verbum ſic populo Dei diſpenſandum, ut multum, non multa. Scil. non plura aggrediatur paſtor, quàm quæ commodè tempore conſtituto tractari poſſunt. Illa commodè tractari poſſe dico, quæ eouſque perſequi licebit, prout audientium maximè interſit. Prurit quando-

que

que concionatoris animus, ut multa doctrinæ capita percurrat, ſylvam materiæ in concione accumulet : At nec hoc eſt ritè concionari, nec ſic populus ædificatur. Concionari ille dicitur qui ſacram veritatem non proponit ſolùm, ſed ſic porro tractat ut auditoribus maximè profit, qui undequaque circumſpicit quomodo ædificationi inſerviat. Populus verò ex doctrinâ tum ædificari dicitur, cùm ejus neceſſitatibus quibuſcunque, prout doctrinæ natura fert, ſubventum fuerit ; cum huc illuc ſe convertit paſtor fidelis, ut ex eâ aliquid adjumenti auditoribus apportet. Non enim ædificat animum, ſed onerat memoriam, multorum in unum coacervatio ; niſi eorum, prout maximè è re populi, uſus & fiat, & dilatando, ſi neceſſe fuerit, urgeatur. Accedit, quòd, cui animus eſt multa congerere, ei neceſſe erit ſua omnia feſtinantiùs peragere. Haud poſſunt ſpiritualia intellectui, qui inſtar vaſis anguſti oris eſt, infundi ; nedum voluntati, quæ prorſus renititur, imprimi, ubi volatico & celeri curſu omnia diſpenſantur. Non tanti eſt apud auditores benè affectos, quot proponit concionator, ſed quàm benè illa pertractat. Denique, cùm illud ei cordi imprimis eſſe debeat, ut non tam ſua, quàm quæ populi ſaluti conducant, quærat ; id apud vulgus receptum, malle ſe potiùs pauca doctrinæ capita debitâ tractatione ad umbilicum perduci, quàm multa non niſi levi manu attingi. Maxima pars vulgi, quâ eſt ingenii hebetudine, multitudine rerum, quæ varii generis, potiùs obruitur, quàm inſtruitur. Non tam itaque refert, quot poteramus doctrinæ capita percurrere, quàm, quid auditoribus commodum ; hoc imprimis diſpiciendum. *Multa habeo quæ vobis dicam, ſed nunc non po-*

Joh. 16. 12. *non poteſtis portare*; ſcil. dicenti, impotentiæ & infirmitati auditorum conſulendum, monet Chriſtus.

Auditorum conditioni ſe accommodandum.

Can. 4. In verbo diſpenſando, pro variâ auditorum conditione ſermo temperandus. Hoc eſt, τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοτομεῖν, cùm unicuique diſtribuitur quod ei accommodum. Aliter Chriſtus affatur tumidos Phariſæos, aliter indoctam & humilem plebeculam: aliter Apoſtolus Corinthios, quos primò laudat, dein corrigit, alloquitur; aliter Galatas, quos, præmiſſâ ſalutatione, ſtatim increpat. *Miror,*

Gal. 1. *quòd tam citò transferremini ab eo qui vos vocavit in gratiâ Chriſti.* Ut enim Gregorius Magnus;

Hom. 11. in Ezek. *Verecundæ mentes, ſiquas fortè culpas admiſerint, leniter arguendæ, quia ſi aſperiùs increpentur, franguntur potiùs, quàm erudiuntur. Atque contrà, mentes aſperæ & impudentes, ſi increpata leniter fuerint, ad majores culpas ipsâ lenitate provocantur.* Et paulò poſt, *Minores culpas ſuas æſtimant, quas minor invectio caſtigat; & quas vehementer objurgari viderint, majores eſſe deprehendunt. Sermo prædicantis*, (ait idem) *debet cum auditorum qualitate formari. Quid mirum, ſi hoc verbi Dei erogator faciat, cum agricola, qui ſemina in terram mittit, priùs terræ qualitatem prævidet, quibus ſeminibus apta videtur, & poſtquam terræ qualitatem viderit, ſemina aſpergit.* Gregor.

Apolog. 1. Nazian. ſic. *Aliis laus prodeſt, aliis reprehenſio, alios cohortatio ad officium ducit, alios objurgatio. Atque hæc rurſus, alios ſi palàm arguantur, alios ſi remotis arbitris increpentur. Sunt enim qui nihil curant privatas caſtigationes, publicâ autem reprehenſione emendantur; ſunt rurſus qui liberiùs reprehenſi pudorem omnem abſtergunt, contráque privatis caſtigationibus meliores fiunt, iiſque quos*

vicem

vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependunt, ut eorum admonitionibus pareant. Sunt (ait idem) *quorum levissima errata non sunt dissimulanda, qui nimirum eò quòd peccata sua nemini cognita fore putant* (*quandoquidem id moliuntur*) *prudentiæ calliditatisque laudem sibi arrogant insolenter; contrà, in aliis, ad nonnulla connivere satius, ne alioqui ipsi, nimiùm crebris objurgationum aculeis confixi, & obruti, vel ad desperationem adigantur, vel pudorem excutiant, &c. Quinetiam cum nonnullis ita agendum, ut irati hominis & contemnentis, ac de salute eorum desperantis, speciem præ te feras, cùm tamen nec ipsis iraſceris, nec contemnis, nec pro perditis & deploratis habeas, quorum videlicet natura id exigit; alii rursus lenitate & humilitate curandi, &c. alios vincere, aliis cedere plerúmque utilius fuerit.* Vide locum. Quid quod, nisi sic pro qualitate auditorum sermo modificetur, noxia illis erunt, quæcunque in se salubria. *Sæpe enim*, ait Gregorius Magnus, *aliis officiunt quæ aliis prosunt; herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occîdunt; Medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit; & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum nec at.* Aliter itaque agendum cum iis qui non nisi in Christo infantes, aliter cum adultis; aliter cum protervis, aliter cum pusillanimis; aliter cum iis qui rebus prosperis fruuntur, aliter cum iis qui variè affliguntur; aliter cum spiritualibus, aliter cum carnalibus; aliter cum iis qui, carnali confidentiâ abrepti, securi de salute, aliter cum iis qui de spirituali conditione dubitant; aliter cum juvenibus, aliter cum iis qui ætate provectiores; aliter cum urbanis, aliter cum rusticis; varia illis incumbunt officia, variis obnoxii sunt vitiis; aliter cum iis qui infimæ classis, aliter

Past. curæ, pag. 3. præf.

1 Joh. 2.

cum

cum iis qui potentiâ, opibus valent, loco cessiori sunt. Ex his qui immundum spiritum ejectum velit, non semper diris adjurationibus id efficitur; quandoque qui in furorem verteretur irritatus, molliori locutione, ut Saul Davidis citharâ, sedatur. Idem Gregorius de Nathane Prophetâ eleganter, ubi ei res erat cum David rege lapso: *Ad ægrum medicus venerat, sed cavendum vulnus videbat, sed de patientiâ ægri dubitabat; Abscondit igitur ferrum medicinale sub veste (viz. sub parabolâ) quod eductum subitò fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger antequam cerneret, ne, si antè cerneret, sentiens recusaret.* Denique, nisi sic sua auditorum conditioni attemperat prudens pastor omnia, quò inopportuna & frigidè enunciari, & cum fastidio audiri necesse est: Peribit semen verbi, cùm in solo, quod non ei connaturale, spargitur; qui advolant famelici, pabulo, quod eos nutriret, congruo defraudantur, cùm iis instruitur mensa quæ stomachus ferre recusat.

Cap. 1. p. 3. 28am. 12.

Similitudinibus & allusionibus uti par est. Joh. 3. 12.

Can. 5. Sermo concionatorius similitudinibus, allusionibus, illustrandus. *Si terrestria dixi vobis*; i. e. si, per similitudines terrestres, cœlestia vos docui, &c. insinuat modum docendi Christus. Nam 1° inserviunt hæ intellectui lucem pleniori irradiando; sunt hæ rusticorum perspicilla; quæ enim, pro nostrâ in spiritualibus caligine, obscura, ea vel terrenis vel allegoricis allusionibus si adumbrentur, facilius multò percipientur. 2. Memoriæ inprimis conducunt, siquidem, cùm summè delectant, altiùs in animum descendunt, atque, illarum adminiculo, quæ excidêre spiritualia, in mentem redeunt. Ut autem quis hisce instructior sit; 1. Quæ in scripturis occurrunt metaphoræ diligenter notandæ;

dæ; omnis enim metaphora est contracta similitudo. Nec sic voces à terrenis ad cœlestia mutuò sumeret Spiritus sanctus, nisi quædam esset concinna ἐφάρμοσις. 2. Philosophiæ naturali det operam. Qui hoc naturæ theatrum attento oculo perlustraverit, ei nullo negotio occurrunt, quibus spiritualia clariùs exprimat, terrena. Hoc facilius effectum dabit, si se, inter vel legendum, vel meditandum, assuescat cœlestia cum terrenis invicem committere, ab illis ad hæc tacito discursu recurrendo. 3. Ut quis sua quandoque allusionibus è sacrâ historiâ desumptis illustret, sit admodum in historicis Scripturis peritus. Sic facilè occurrent, quibus spiritualia depingat, veterum facta. 4. Adhibeat (præsertim qui in Theologiâ tyro) aliorum operam, qui feliciter in hoc genere operam navârunt: Nec enim quis facilè in hoc genere excellit. Est quibusdam id sive innatum, sive datum, ut dextrè spiritualibus terrena adaptent. Cavendum hîc, Sed cautè.
1. Ut nec similitudines, nec allusiones, ab iis quæ auditoribus ignota, sumantur: nec enim inde aliquid explicandis accedit lucis. Ab iis quæ populo notiora, suas omnes mutuatur Christus parabolas. 2. Non sint insulsæ, leves, scurriles, ridiculæ. Consulendum rerum sacrarum dignitati, majestati; omnia hîc seriò transigi oportet, nihil quod indecorum, minùs honorificum, in concionem inferatur. 3. Sive in similitudinibus, sive in allegoriis non frequentior sit, quàm ædificationi inserviat, pastor. Loco suo, & parcè usurpatæ, plurimum adferunt gratiæ; ubi affectatè verò omnia his redundant, suam amittunt & gratiam & voluptatem.

Cap.

CAP. XI.

Multa Concionatori cavenda.

SIc de Canonibus qui verbo dispensando inserviunt: Sequuntur qui docent quid cavendum.

Non longiùs à contextu recedendum.

Can. 1. Cavendum, ne longiùs à contextu recedat concionator, quàm ut ad eum respiciant auditores. Siquando objurget, consoletur, errantes redarguat, illico in contextum oculos conjiciunt auditores, quomodo inde justâ sequelâ derivatur quod dicitur, ad examen revocant. Si hîc aliquando erratum, illico aut dicenti id vitio vertunt, quòd à contextu deviat; aut illum, pravo aliquo affectu abreptum, ab eâ quæ in manibus est Scripturâ excurrere, suspicantur. Quin igitur, quod aiunt, juxta littus navigandum; non sic navis in altum solvenda, ut ne terram conspiciant navigantes. Omnem suam, quam in cordibus exerceret, efficaciam amittit ille sermo concionatorius, in quo, non omnia in contextu, vel populo judice, fundantur. Primum Scriptoris officium existimat Plinius Secundus, ut titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid cœperit scribere; sic &, inter concionandum, sæpè recognoscat Ecclesiastes, quomodo subsequens sermo cum contextu cohæreat. Quid quòd, qui sua omnia sic disponit, ut aliud ex alio pendeat, idque audientibus palam fiat, quàm ille suorum reminiscentiæ dextrè consulet! Quæ enim non invicem connexa, ex animo facilè elabuntur.

Can 2.

Can. 2. Cavendum, ne inferantur in cathedram roſtralem quæſtiones curioſæ, inutiles, joculares, aniles fabulæ. Quæſtiones illas voco curioſas, quæ inſtituuntur de rebus quas Deus occuluit, quàm in his ſapere ad ſobrietatem oportet! annon hîc humilis ignoratio eſt profundior ſcientia? Quæſtiones inutiles dico, quæ nullatenus gregi ædificando inſerviunt, non niſi ingeniorum malè feriatorum tormenta ſunt. De his, cùm longos logos faciant verbi præcones, & bonas horas malè collocant, & ſuos à neceſſariis abducunt, & in quibuſdam larvatam gignunt hypocriſin. Harum enim inani & ventoſâ ſcientiâ quidam turgidè inflati, omnem illam ſalvificam Dei in Chriſto cognitionem pro nihilo habent. *Denuncies quibuſdam, ut non attendant fabulis & genealogiis nunquam finiendis, quæ quæſtiones præbent magis quàm ædificationem quæ eſt in fide. O Timothee, depoſitum ſerva, devitans prophanas clamorum inanitates, vaniloquia, & oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ. Stultas & ineruditas quæſtiones averſare, ſciens eas gignere pugnas:* Sic Tit. 3. 9. Hâc occaſione hæreſis Ariana, ut Conſtantinus; *Inde præſentis controverſiæ fundamentum jactum intelligo, quòd tu Alexander* ὥσπερ τινὸς μαλακῆς ζητήματος καὶ μερικῆς πυνθάνοιο, *de inani quâdam quæſtionis particulâ ſciſcitabaris:* ſcil. Φιλοσωφώτερον περὶ τῆς ἁγίας τριάδος ἐν τριάδι μονάδα εἶναι φιλοσοφῶν ἐθεολόγει, Ut Socrates. Et porro, Conſtantinus ille Magnus ſic; *Tales quæſtiones, quales nulla lex, Canónve Eccleſiaſticus, neceſſariò præſcribit, ſed inanis diſſoluti otii certatio proponit licèt ad ingenii acumen exercendum inſtituuntur, tamen interiori mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conven-*

Nimis curioſa & inutilia vitanda.

Rom. 12.

1 Tim. 1. 4.

2 Tim. 6. 20.

2 Tim. 2. 23.

Conſt. Ep. ad Alex. Et Arian. apud Socrat. l. 1. cap. 4.

tus efferre, neque vulgi auribus inconsultò concre-
Cap. 3. & 4. dere. *Quotus enim quisque est, qui rerum tam gravium, tantâque obscuritate involutarum, vim, vel satis accuratè pervidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quòd si quisquam est, qui istud se facilè efficere & consequi posse confidat, quota, quæso, multitudinis pars, quam possit efficere ut idem ipsum intelligant?* Vide locum. Jocularis autem historias voco illas, quæ aptæ natæ ut risum pariant. Totum hoc, quod est de animarum salute æternâ, negotium, quantâ fieri potest, gravitate peragendum. Quæ ludicra, inepta, puerilia, quæ rerum sacrarum majestati disconveniunt, ea vitanda. Negotii, quod in manibus versatur, excellens dignitas haud patitur, ut quis vel risum, levissimum ingenii fructum, consectetur; vel, ut quid ei excidat, quod, cùm deridiculo sit, animum à seriis avocet. Aniles verò fabulæ sunt, quibus refertæ fraterculorum postillæ, monachorum rancidæ historiæ.

Modestiæ & pudicitiæ consulendum. Lev. 18. &15

Can. 3. Cavendum, ne castis auribus offendiculo sint quæ dicuntur. Consulendum enim hominum modestiæ, in iis quæ verat pudor proloqui. Ejusmodi sunt quæ, de propinquorum nuditate retegendâ, de gonorrhæa, de mulierum morbis menstruis, de intemeratæ virginis indiciis, de thoro nuptiali, &c. alicubi memorat Scriptura. Qui in his, siquando res tulerit, explicandis, modesto sermone hominum verecundiæ haud parcunt, næ illi sacra Dei ludibrio exponunt, & populo (ea est ejus infirmitas) scandalum objiciunt. Sunt quædam factu honesta, dictu verò, si à Scripturæ phrasi discesseris, indecora. Et si corporis membra, quæ, opinione duntaxat nostrâ, minùs honesta, ab homi-
1 Cor. 12. 13

num

num oculis subducimus, eadem decoro ornatu colloneſtamus; quidni ea velo modeſtiæ obtegeremus, caſto idiomate eloqueremur, quibus labem adſperſit humani generis peccatum? *Obj.* At, cùm hic latet peccatum, annon reprehendendum? *Reſp.* Vel maximè: ſciat populus, quid faciendum, quid vitandum; ſed ejuſmodi loquendi formulis quas docet Spiritus Sanctus. Illa Hebræorum lingua, vel eo nomine ſacra, quòd quæ peccati ſpurcitiis contaminavit, ea ſuis εὐφημισμοῖς occultat, verecundo ſermone exprimit. Atque, ut in his quæ diximus, hic in quibuſdam nequiſſimorum peccatis, ſuâ fœditate nefandis, audientium pudori inter loquendum, conſulere oportet. Eſt *innominanda*, ut vocat Tertullianus, *turpitudo: Quæ ſecretò fiunt ab illis, vel turpe eſt dicere.* Arguendi hic illi verbi præcones, qui vitia illa, à quibus vel audiendis pudor abhorret, pleno, quod aiunt, ore exprimunt, ſpurcidicorum laſciva & petulantia effata in ſuggeſto enarrant; qui morborum muliebrium, ac ſi Medici potiùs quàm Theologi partes agerent, cauſas naturales diſtinctiùs coram populo explicant. Conſultiùs illi rem agunt, qui ejuſmodi, de naturæ ſecretis, diſquiſitiones ad Philoſophos vel Medicos remittunt, qui, quæ reprehendenda, ea aut παρεφερτικῶς deſcribunt, aut caſtiſſimo, quoad ejus fieri poteſt, idiomate enunciant. Eph. 5. 12.

Can. 4. Cavendum concionatori, ne vel artis regulis, vel præmeditatis ſe ſcrupulosè aſtringat. Nam, quod ad artis præcepta. 1. Adjumenta illa, ut, ex iis, qui in naturâ defectus ſuppleantur; ſiquando ea adſit vel ingenii fœlicitas, vel uberior ſpiritûs menſura, quod in naturâ deficit reſarciens; non id par, ut quis ſe artium præ- Non nimis ſe aſtringendum vel præceptis artis.

ceptis ſervili more alliget. 2. Nil aliud eſt artis præceptum, quàm ex diuturnâ experientiâ emergens regula; atque cùm, in iis quæ indies occurrunt, dies diem docet, quidni, in populo hoc vel illo à morte ad vitam traducendo, expeditior hinc affulgeat via quâm alii invenerint? Non itaque ſe legibus artis vel methodi, ſic ſe emancipatum ſentiat præco Eccleſiaſticus, ut non quandoque, populi bono id exigente, aliam tentet viam. 3. *Periculum eſt*, ut obſervat Auguſtinus, *ne fugiant ex animo quæ ſunt docenda, dum attenditur ut arte dicantur. Vix enim ullos eſſe exiſtimo* (ut ait idem) *qui utrumque poſſunt, & dicere bene, & ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare, cum dicant.* Nullus hinc artes & artium præcepta aſpernetur; ſunt optima Dei dona, quibus mirificè in ſuis tam inveniendis, quàm diſponendis, adjuvatur concionator. Id duntaxat volo, ut non vel Rhetorica vel Dialectica quæ naturalis, & artificiali prior, præ hâc prorſus negligatur; vel Spiritus ſanctus, qui ſpirat ubi, & ut placuerit, intra anguſtos artium cancellos includatur. Dein nec præmeditatis ſe aſtringat, ut vel nil dicat, quod non præmeditatum, vel ut omnia quæ præmeditata proferat. Nam 1. Uberior Spiritûs menſura, poſt preces, unanimi conſenſu publicè effuſas, ubi ſacra publicè diſpenſanda, adeſt concionatori, quàm ubi non niſi privatim in ſe præparando verſatur. Eſt illa publica & ſolennior Eccleſiæ actio, cui ſe ſpeciali modo affuturum pollicitus eſt Deus. Eſt illa in Muſæo actio præparatoria non niſi privata, cui utcunque Deus interſit, non tamen eodem gradu aſſiſtit. Hora illa, in quâ opus peragendum, pleniorem Spiritûs aſſiſtentiam ſibi vendicat. 2. Conſpectus auditorum, eorum vel atten-

Lib. 4. de doctr. Chr. cap. 3.

Vel verbis præmeditatis.

Mat. 10. 19.

attentio, vel incuria, multa dicenti ſuggerit, quæ non prius cogitârat. Perinde ut quorundam abſentia, vel ſecundæ cogitationes prohibent, quò minùs omnia proloquatur Eccleſiaſtes, quæ ei in animo erant. Sic Zepperus. Auditorum in ſacris cœtibus conſpectus & conſideratio, vultus ipſorum & geſtuum, vel lætitiæ, vel triſtitiæ, vel applauſus, vel contradictionis & refragationis obſervatio, (quemadmodum equidem prudentem & cordatum concionatorem ſtudiosè talia obſervare convenit) cauſam ſæpe præbent, & præbere etiam debent, ea vel in medium proferendi de quibus in privatis antea meditationibus minùs cogitârat, & ne cogitare quidem potuerat; vel illa urgendi, iiſque inſiſtendi, quæ obiter tantùm delibare conſtituerat, vel quædam etiam prætereundi, & aliis temporibus occaſionibúſque commodioribus reſervandi, de quibus jam diligenter meditatus fuerat. De form. conc. lib. 1. cap. 5.

Can. 5. Cavendum, ne quenquam perſonalibus circumſtantiis deſcribat concionator. Perſonales ſunt illæ circumſtantiæ, quæ utcunque non nominatim eum qui redarguitur, deſignant, attamen his, quæ huic vel illi propriæ, perſona particularis ab aliis ſecernitur; ut cùm quis ex veſte, ex loco, ex inceſſu, ex particulari aliquo in naturâ defectu, ſcil. quæ illi propria, non aliis cum illo communia, deſcribitur. Illicita hæc hominum (ut ita dicam) particularizatio. 1. Quòd, ubi quis perſonaliter corripiendus, à Chriſto id conſtitutum, ut non ſermone concionatorio, ſed, vel fraternâ, vel conſiſtoriali admonitione id fiat. Peccat, qui aliter, in leges Eccleſiaſticæ diſciplinæ. 2. Quia reprehenſum exponit omnium ludibrio, unde peccantis animus exulceratur potiùs, quàm ſanatur. 3. Auditorum deſcriptiones perſonales vitandæ. Matth. 18.

Malevolum ſapit in reprehendente affectum, cùm lapſi famæ non conſulitur. Nullus autem à nequitiæ viâ abducitur, ubi de affectu redarguentis dubitatur. Interim verò nil impedit, quin 1. Si quis ex peccato quod perpetravit, vel in quo perſiſtit, ſe omnibus conſpiciendum præbuit, eum publicè coram omnibus reprehendamus. 1 Tim. 5. Non ſufficit hîc privata admonitio; cùm, ad quos pervenit fama peccati, ad eos etiam perveniat neceſſe eſt reprehenſio: Nec ſermo noſter, ſed illius peccatum, illum ab aliis diſcriminat. 2. Diſtinctus hominum ordo, etiamſi nisi unus vel pauci adfuerint, poteſt publicè taxari, ſic reprehendi ut ſe reprehenſos iciant, Mat. 21. 45. ſive unus, ſive plures. 3. Peccata ſeculi, vel loci, quæ invaluêre, non ſilentio premi oportet, quòd in ſe invectos cauſabitur quis. Conſcientiæ reatus talem detegit, non reprehenſor. 4. Quum, tam peccatum quàm perſona ſuis veſtitur circumſtantiis, diſtinguendæ hæ ab illis: utcunque enim nemo illis depingendus, at hæ poſſunt in reprehenſione recitari: v. g. ſi ebrius quis fuerit, die Dominico, cùm inde amplificatur peccatum, poteſt ad peccatorem pudore ſuffundendum peccatum cum ſuâ circumſtantiâ deſignari; & ſic de aliis quibuſcunque peccatorum circumſtantiis quæ illis exaggerandis inſerviant.

Nequid proferatur, quod vel ſuæ æſtimationi meritò obſit.

Can. 6. Cavendum concionatori, ne quid ei excidat, vel quod de ejus exiſtimatione detrahat, vel quod bonos contriſtet, vel quod malos confirmet. 1. Exiſtimationi ſuæ conſulat, quòd doctrinam vilipendit populus, ſi quando perſona deſpectui erit. Sua omnia igitur inter concionandum ſic tranſigat, ut qui non juſtè incuſandus, vel quòd περισωτολυπτὸς, ut qui alios ac iter objurgat, cùm aliis ſic peccantibus parcit;

vel

vel quòd ἀνθρωπάρεσκος, dum mellitis sermonibus, ut sic seculi odium declinet, curat vulnera populi; vel parietem, quem extruxêre alii, inepto tectorio obducit; vel quòd ἀλαζών, ut qui Thrasonicè se jactat, cum sua omnia ad gloriolam aucupandum concinnat; vel quòd αἰσχροκερδής, ut qui animum lucro inhiantem prodit; *si quis non indiderit ori ipsorum, indicunt bellum.* 2. Non contristet bonos, *Ezek.* 13. 22. Nam cùm fremit mundus, rugit Diabolus, insidiatur caro, cùm periculum ne despondeant animos qui Christo nomen dedêre, unde, nisi à pastoribus, solatium peterent? Quantum illud cordolium, cùm, qui illis pro solamine essent, sunt ut spinæ vulnerantes? Sic illi, qui, ut quisque à mundi corruptelis incontaminatior, ut quis ad quodvis bonum opus paratior, in cultus divini exercitiis frequentior, ita hunc dente mordaci arrodunt magis, dicteriis & scommatis magis proscindunt. Sic & illi, qui de ἀδιαφόροις, ut putantur, scrupulosè dubitantes nullatenus ferunt usque dum Deus aliter revelaverit, sed vel intempestivis & anxiis disputationibus eos vexant, vel illorum scrupulos, quibus commodiùs privatim succurrerent, publicè exagitant. Sic & illi, quibus judicia Dei fulminanda, nec discriminant ad quos sua dirigi volunt. Evenit plerumque, ut, qui fide infirmi, illa ad se cùm rapiant, animo consternantur, exanimati jacent. 3. Non quid proferat quod malos confirmet. Siquidem id pii pastoris, ut eos pudefaciat, à nequitiæ viis ad meliorem frugem revocet. Quàm illi cæteris in malo confirmatiores, qui inde confirmantur, unde oportebat pudefieri! Misericordiæ Dei immensa amplitudo siquando enarranda, ad vivum describenda, ita cancellis

Jer. 6. 14.

Ezek. 13. 10.

Mic. 3. 5.

Vel bonos contristet.

Vel malos confirmet.

ſuis circumſcribatur, ut qui in peccata, ut ſus in volutabrum cœni, proruunt ſcelerati, nullam in hâc illorum ſortem eſſe intelligant. Atque, cùm hîc concionator poteſt multifariam errare; nullibi verò periculoſiùs, quàm, cùm in concione funebri haud cautè ſe gerat. Facilè concedo, tales, ubi defunctorum exequiæ celebrantur, poſſe haberi conciones. Quæ oculis ſubjiciuntur fragilis & caducæ noſtræ conditionis viva ſpectacula, conducunt inprimis ut verba concionatoris in intimos animi receſſus penetrent. Non itaque illis aſſentior, qui, propter abuſum, illas abrogandas volunt. Interim verò duplex hîc error. 1. Quòd promiſcuè quorumcunque defunctorum præconiis incumbit paſtor; ac ſi linguam venalem, quidvis affirmare paratam, illuc afferret. Hinc eſt, quòd monet non nemo, ne falſo teſtimonio cathedram veritatis, ubi Dei legatione fungitur, contaminet omnémque ſuam & miniſterii ſui exiſtimationem turpiter proſtituat. Accedit, quòd & pii hoc pro offendiculo, ut quidem miniſtris ſuis ſiniſtrè ſentiunt; Et qui nequiter mali in ſuâ nequitiâ abundè corroborantur; omnia ſibi fauſta, ubi hinc exceſſerint, pollicentur, cum vel bipedum nequiſſimi ſic laudibus ad cœlum efferuntur. Denique hæc adulatoria encomia, vel aucupii ſpeciem habent, quo quæſtum conſectantur qui ſic in quorumlibet laudes ſe effundunt; vel donarium teſtamentarium liberale admodum eos vel accepiſſe vel accepturos teſtantur. Quicquid verò ebuccinaverint hi conductitii encomiaſtæ, fixum erit quod dictavit Spiritus ſanctus, *nomen impiorum putreſcet*. 2. Et illud hîc reprehendendum, quòd nimii ſint in ſuis encomiaſticis concionatores. Non id abnuimus, quin in

De concione funebri.

Zepper. l. 2. cap. 10.

Prov. 10. 7.

qui-

quibus eminuêrunt viri præ pietate illustres, illorum in gloriam Dei & aliorum exemplar verecundè, non nisi paucis, mentio fiat. Qui nos ad formicam, animalculum omnium abjectissimum, remisit instruendos, noluit certè ut sanctorum vel dicta vel facta memorabilia fúsque déque habeamus. *Memoria justi est benedicta.* Prov. 10. 7. At si in his immodicus fuerit Ecclesiastes, 1. Verbi prædicationi, cujus causâ imprimis convenerint auditores, injurius erit, utpote quæ in temporis angustias detrudetur. 2. Periculum erit, ne viam muniat, qui sic, superstitionibus jam sepultis revocandis. Nam, ut Perkins. *Preces pro defunctis, fuerunt initio tantùm laudes defunctorum.* Et idem, *Invocatio sanctorum, fuit primò, non nisi sermocinatio cum præsentibus. Basilius, Nazianzenus, & alii patres, occasione orationum panegyricarum, solebant inter perorandum oratorio more per Prosopopœiam eos tanquam præsentes alloqui.* Et Vossius, *Oratorum non levis hîc se culpa offert, non tantùm, quia plerique eorum sanctos invocarent, sed etiam, quia floridam & luxuriantem secuti dictionem seculi sui oratorum, modificatæ ac figuratæ mortuorum laudationi tantopere indulgerent. Nam non rarò, inter hyperbolicas laudationes, & κυρίως prolatas, non satis distinguebat imperitum vulgus; item apostrophas ad sanctos καὶ προσωποποιΐαν institutas, quæ votum tantummodo Ecclesiastæ erant, pro seriâ invocatione ducebat.*

Probl. 1. de prec. pro mortuis.

C. de invocat. sanct.

Thes. histor. de invoc. sanct. 5.

Cap.

CAP. XII.

Ut peccatores convertantur, eorum miseriam primò patefaciendam esse: Et quomodo id faciendum.

ATque sic de Canonibus qui verbi dispensationi in genere subserviunt; sequuntur qui in specie. Hi pro variâ ovium conditione varii. Sunt enim oves Christi, vel convertendæ, vel conversæ. De ovibus quæ ad Deum convertendæ, videndum, 1. Quæ illis inter docendum suggerenda. 2. Quomodo, ut dextrè succedat opus, erga illas se gerat pastor. De iis quæ suggerenda,

Miseranda hominum extra Christum conditio patefaciendа.

Canon. 1. Ovibus perditis sua miseranda extra Christum conditio omnimodo innotescat. Nullus enim ad Christum venit, qui habet de suo in quo subsistat. Prodigus non festinat ad patrem, usque dum aut eundum, aut fame pereundum. Luc. 15. 17, 18. Vel regis filii epulas nuptiales fastidiunt qui invitantur, nisi in quibus ex inediæ sensu appetitus Luc. 14. 21. exsuscitatur. Haud opem implorâssent qui Christum crucifixerant, nisi priùs animo, ex sensu Act. 2. Matth. 11. peccati, vulnerati. Non ad se vocavit Christus, nisi qui sitientes sub onere peccatorum gemebundi. Frustra enim sunt omnes de salute per Christum obtinendâ sermones vel maximè efficaces, si non execrandæ suæ conditionis priùs conscii consternati jaceant. *Anima satura favum calcat*, *ani-*

animæ verò fameliæ, omne, scil. quod prius fuit amarum, *dulce*. Sit itaque minister verbi instar apis, quæ tam habet, quo pungat, stimulum, quàm quo polato arrideat, mel. Sic Suffrag. Theolog. Britan. in Synodo Dordracenâ, Ministris verbum Dei rectè secantibus incumbit cura, aptè prudentérque auditorum conscientias primò legis terroribus sauciandi, deinde Evangelicis promissionibus erigendi. Atque cum miseria humana, alia culpæ, alia pœnæ, utriusque sensus gignendus. Prov. 27. 7.

1. Ratione peccati

Quod ad primum, sic præcepit Dominus: *Extolle vocem tuam, & indica populo meo defectionem ipsorum. Fili hominis, fac notas urbi Hierosolymarum suas abominationes.* Et de se, Mic. cap. 3. 8. *Ego repletus sum virtute à Spiritu Jehovæ, judicioque & potentiâ, ad indicandum Jahakobo defectionem ipsius, & Israeli peccatum ipsius.* Et Dominus Jesus sic: *Testor ego de mundo, opera ejus mala esse*, Et, *quum venerit Spiritus sanctus, arguet mundum primò de peccato*, &c. Hinc & Apostolus, Felicem, qui muneribus libidinibûsque deditus erat, affaturus, disserebat *de justitia, & continentia, & judicio futuro*, Act. 24. 24. Μηδὲν τότων λέγων, ὧν εἶχε ἀνεῖναι αὐτῇ τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ τοιαῦτα ἐξ ὧν ἡ φοβεῖται καὶ καλασείεται τὴν διάνοιαν: *Non quibus refocillaretur animus ejus, sed quibus terreretur & mente concuteretur:* sic Chrysost. In peccatis verò, quibus sensus miseriæ ingenerandus, arguendis, advertendum, quod apud illos, quos alloquimur, obtinet peccatum. Cujus quòd rei manifestum, id omni modo exaggerandum, suis coloribus depingendum, quæ eis comminatus est, quæ in taliter peccantes aliquando exercuit, Deus judicia, enarrandum. Isa. 58. 1. Ezek. 16. 2. Joan. 7. 7. Joan. 16. 8. Joseph. Antiq. lib. 20. Chrys. tom. 4. in Acta Apost.

Cùm

1 Sam. 7. 2. & 12. 19. Cùm Samuel Iſraelitis idololatriam, &, quòd regem periiſſent, vitio vertit; ait contextus, *timuit populus valdè.* Sic cùm Nehemiah Judæos

Nehem. 5. 7, 8. de uſurariis exactionibus acriùs objurgat; *ſiluerunt, nec invenerunt quid reſponderent.* Sic &

Ezra 10. 9. Ezra, cùm de alienigenis uxoribus populum accuſâſſet, dicuntur *tremuiſſe propter hanc rem.* Petrus Judæorum corda vel hoc maximè vulneravit telo, *quòd Dominum gloriæ, manibus ſceleratis, cruci affixum interemiſſent.*

2. Ratione pœnæ. Quod verò ad ſecundum, ſcil. de miſeriâ pœnæ; illa omni modo amplificanda, ſive à præſentis ſeculi maledictionibus, ſive à pœnis illis gehennalibus futuris. Sic prophetæ, ut populum è veterno ſuo expergefacerent, è lege deſumptas execrationes ſeverè minitabantur, horrenda Dei judicia toto conatu denunciant, in aliis adimpleta narrant. Et Johannes Baptiſta, Sadducæis & Phariſæis dira ominabatur, niſi reſipiſcerent. Sic Chryſoſt. Καθασείσας ἀυτῶν τὴν διάνοιαν τῷ φόβῳ τῆς κρίσεως, καὶ τῇ προσδοκίᾳ τῆς κολάσεως, τὸ ὀνόματι τῆς ἀξίνης, &c. τότε εἰσάγει τὸν περὶ τῆς κρίσεως λόγον. Et Chriſtus, quoties cum perfrictæ frontis Phariſæis res erat, nihil intonat, niſi multoties ingeminatum væ.

Hom. 11. in 3 Matth.

Cautiones. Interim verò cavendum, 1. Ne ἀπαθεῖς ſimus; ſic plerique clamoſi concionatores, acſi de clade ſuorum triumphum canerent. Non ſic

Jer. 4. 19. Jeremias, *Viſcera mea, viſcera mea, doleo præcordia mea*, &c. *quia vaſtanda eſt tota hæc gloria.* Et Michæas ſic; *Plangam & ejulabo incedens ſpoliatus & nudus*, &c. *quòd ægra ſit Shomron plagis ſuis, quod pervenerit uſque ad Jehudam.* Multùm ſolet ejuſmodi tenerior affectus, vel in ſua malitia obfirmatos, emolliire, ſi interitus

ſuus

ſuus ſic prænuncietur, ut miſericordia non odium, ſympathia non ira & indignatio, loqui videantur. Eleganter Auguſt. Si quid minamur, cum dolore fiat; de ſcripturis comminando vindictam, ne nos ipſi in noſtrâ poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur. 2. Non omnis illis ex miſerandâ ſuâ conditione emergendi ſpes adimatur. Id vel admiſcendum, vel attexendum, quòd non ſic; qualicunque conditione, à Deo ſejunguntur, quin poſſint ad ſalutem adſpirare; quòd non ſic præcluſa via, quin cui verè animus eſt, poteſt vel ab infimo orco, gratiâ obſtetricante, ſe expedire. Id enim inſtituti noſtri, non, execrandam peccatoris conditionem oculis ſubjiciendo, eum à Deo abſterrere, ſed, ubi ſe maledictioni obnoxium ſenſerit, ut ad Chriſtum ocyùs feſtinet. Langueſceret verò tam deſiderium, quàm conatus, ad meliorem conditionem perveniendi, ſi nulla reliqua ſpes. *Vos feciſtis totum hoc malum*, (quo ſcil. iræ Dei obnoxii eſtis) *veruntamen ne recedite averſi à Jehova*, &c. ne inquam recedite: *Non enim deſeret Jehova populum ſuum* (utcunque ſe peccatis ſuis omnium miſerrimos fecêre) *propter nomen ſuum.* Ubi animadvertit, populum fleviſſe malum de alienigenis uxoribus fletu magno, Schechania; ſic ſe, reliquúmque populum, ne deſperabundi jacerent, recolligit, *Nos prevaricati ſumus in Deum noſtrum, ſed nunc eſt quòd Iſrael ſperet ſuper hac re.* 3. Compertum auditoribus ſit, non id nobis propoſitum, ut eos, dira annunciando, exitio devoveamus, igni infernali adjudicemus; id nobis duntaxat cordi eſſe illis ſit exploratum, ut, gehennalis ignis eos reos peragendo, ab eodem liberemus; eos, ſub irâ concludendo, ad Deum in Chriſto placatum adducamus; ut ex

1 Sam. 12. 20

Ezra 10. 2.

eo dul-

eo dulceſceret Chriſtus, cùm amareſceret peccatum. *Poteſtas* miniſtris Evangelicis *data eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem.* Urit & ſecat Medicus aliquoties & membrum integrum 2 Cor. 10. 8. Bucer. in illum loc. perdit, ſed in hunc finem, omnia ut ſanet & ſervet. 4. Conſtet & illud, non nos, ubi homines ad pietatem vel bonorum operum ſtudium excitandi, legalibus his execrationibus præcipuè niti, ſed gratiâ Evangelicâ, ut incitamento omnium efficaciſſimo. Ille ſcopus noſter, cùm cuique ſuam miſerandam conditionem ſpectandam exhibemus, ut ad Chriſtum confugiant, qui ſic vulnerati, inde diſcant, quòd non ſibi, ſed Deo vivendum. Quandoque à malis deterret, ad benefaciendum invitat Spiritus Sanctus, ex minarum legalium intuitu: at in eo videtur, ut argumento omnium maximè præpotenti, triumphare; ſc miſericordiâ illâ, quæ in Chriſto emicuit, ampliſſimâ. Sic naturâ comparatum, ut terroribus conſternatus à Deo aufugiat, ſi affulgeat veniæ ſpes, ad eum ſe recipiat. Edictum regium, in quo, qui arma in principem tuleſunt perduelles, ut læſæ majeſtatis rei, denunciantur, eos ab acceſſu ad regem arcet: cùm id, quo veniæ ſpes, ſi arma depoſuerint, datur, in debitam obedientiam redigit. Nil frequentius, ubi de peccatis commiſſis cum ſuis expoſtulat Deus, vel eos ad mandatorum ſuorum obſervantiam exacuit, quàm beneficiorum quibus eos affecit recordatio, quàm miſericordiæ quam in Chriſto exercuit immenſæ exaggeratio. Hoc eſt, quod monet Zepperus, *legem Evangelicè prædicare. Nullus exiſtimet*, ait ille, *debitum in redargutionibus vel correctionibus zelum non adhiberi, niſi vociferationibus, boatibus, tumultuationibus, omnia in ſacro oratorio repleantur; aut*

calum-

calumniæ, convitia, diræ, & execrationes, è suggestu, plenis buccis, evomantur, legis vigor talis exseratur qui confestim in anathemata desinat, & qui, vel in doctrinâ vel vitâ, exorbitârunt, Satanæ illico tradantur, & infernali igni adjudicentur. In Ecclesia enim Christiana lex non tam legaliter prædicari debet, quàm Evangelicè: id est, non tam ex æternæ damnationis comminationibus, quàm ex inculcatione, & pleno quasi gustu gratiæ Dei in Christo, tanquam vivo & vero fonte. Zepp. lib. 2. cap. 12.

Cap. XIII.

Miseriæ suæ naturalis conscius, melioris conditionis necessitas inculcanda, Christus offerendus, cordis mutatio aggredienda, & remoræ removendæ.

Canon II.

Melioris conditionis necessitas inculcanda.

Conditionis ex gratiâ melioris necessitas, & dextrè, & toto conatu, inculcanda. Conditio ex gratiâ melior, Regeneratione, ex parte Dei vitam spiritualem infundentis, Fide & Resipiscentiâ, quibus acti agimus, ex parte nostrâ, perficitur. Ejus ad salutem necessitas inde liquet, quòd, nisi quis regenitus non assequitur *jus filiorum Dei, non potest introire in regnum Dei*, non potest esse *ex primitiis creaturarum Dei*, Jac. 1. 18. *Abjicite à vobis defectiones omnes vestras*, &c. *nam quare moreremini? Ni resipiscatis, omnes itidem peribitis.* Joh. 1. 12, 13. Ezek. 18. 31 Luc. 13. 3.

tis. Dextrè inculcari debet, ut corda audientium configat; medullitùs recipiatur. Huc conducit, ut utriusque natura, prout auditorum modulo expediat, explicetur; acri examine disquirendum; quousque vel natura, vel gratia communis progrediatur; ubi exorditur salvifica, sanctificans gratia; quæ illa resipiscentiæ larva, & non nisi umbra evanida, qua sibi decipulas struunt innumeri. Utriusque quæ in Scripturis occurrunt indicia, acri indagine investiganda, proponenda. Populus excitandus, ut quisque se ad examen revocet, haud in conditione, cujus nullam fecêre δοκιμασίαν, acquiescant. Dico toto conatu inculcanda: inculcari debet, siquidem, ubi cum stupidis, bardis, surdastris, quales ex naturâ omnes, non id sat quòd hæc proposuimus, suggessimus; inculcemus oportet. Atque tum toto conatu inculcamus, cùm, quæ hinc inde in sacrâ paginâ sparsa, παρεπτικὰ conquirimus, ea vehementiùs verbo exhortationis, quod spiritui pro vehiculo, prosequimur. Cum populo ratiocinandum, quare non; haud ferendum ut, in eo quod tanti est, in utramque aurem dormiant. Non hîc jejunè & tepidè res tota transigenda; zelo Dei inflammetur lingua concionatoris, vim faciat dicentis oratio.

Christus describendus & offerendus.

Can. 3. De miseriâ suâ, adeóque de necessitate melioris conditionis edoctis, Christus describendus & offerendus. Est Christus margarita illa omnium pretiosissima, quam, sua omnia vendendo, redimat, qui emptam velit. Nobis verò verbi ministris id incumbit, ut contractum hunc, quibus possumus viis & modis, effectum demus. Gemma illa, totius mundi gazis præponenda, est vivis colori-

loribus depingenda; populo ſuggerendum, ut huic omnia, vel quæ chariſſima, poſtponat. Eſt Chriſtus ſponſus, cui deſpondendus quicunque ſalvus erit; ut huic populum ſtabili connubio adjungamus, ejus pulchritudo, ut qui *inſignis præ myriade*, ut qui *totus eſt deſideratiſſimus*, eſt deſcribenda. Eſt Chriſtus medicus, qui ulceribus ſcatentes ut curaret, in mundum venit: Excitandi, qui morbo lethali laborant, ut ad eum accelerent. Sunt in Chriſto cujuſque generis deliciæ, bellaria imprimis opipara, *Prov.* 9. 2. noſtrum eſt, ut toto conatu hoſpites peramanter invitemus. Sic *verſ.* 3. emiſſæ puellæ, ut per collegia & excelſa urbis invitando diſcurrerent. Eſt Chriſtus vitis, cui, ut palmites, inſerendi electi Dei: noſtrum id, ubi inciſionem legis terroribus fecimus, tum demum inoculare, quæ inoculandæ, gemmas. Hoc cùm nobis faciendum, neceſſe id, ut Chriſtum graphicè delineemus. Cant. 5. Iſa 25. 6.

Delineandus verò Chriſtus in iis quibus cæteris eminentior. 1. A dignitate perſonæ, ut in quâ *inhabitat omnis plenitudo Dei corporaliter*; ut *cui datur Spiritus abſque menſura. In eo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & notitiæ*, Col. 2. 3. Eſt ille *imago Dei inviſibilis*, ut in quo reperiuntur attributa omnia incommunicabilia, & quæcunque gratiæ heroicæ, ut manſuetudo, miſericordia, charitas, &c. Hinc à ſponsâ laudatus, *Cant.* 5. ut qui *ubique à capite ad calcem pulcherrimus*. Dignitas perſonæ nobis inprimis conducit, ut abſque quâ non eſſet idoneus redemptor; nec poterat fides tutò in illum recumbere, ab eo ut à perenni fonte omnia bona expectare, niſi & Deus & homo. 2. Ab officio; quo mediator inter Deum & hominem ſa- Quomodo deſcribendus. Col. 2. 9. Joan. 3. 34 Col. 1.

ctus, nostrî causâ; qui ex lex sub lege, qui sine peccato factus est peccatum, qui in se benedictio factus est pro nobis execratio; morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros bajulavit; à defectionibus nostris dolore afficiebatur, ab iniquitatibus nostris atterebatur, incurrebat in eum pœna omnium nostrûm. Hanc subeundo usque ad crucem humiliationem, cùm angelis id impossibile, Patri suo nos reconciliavit, inimicitiam inter Deum & hominem sustulit, pacémque in omne ævum duraturam stabilivit. 3. A beneficiis, quæ inde manant, omnium pulcherrimis; cujus modi sunt adoptio filiorum, justificatio, sanctificatio, libertas à legis jugo, ad thronum gratiæ accessus, Spiritûs effusio, sustentatio & exitus ubi malis circumdati, jus ad omnia tam hujus quàm futuræ vitæ bona, malorum cujusque generis in nostrum bonum sanctificatio, etiam in morte spes post mortem, hæreditas in cœlis, &c. Hæc, & quæ ab hâc radice porro pullulant privilegia, omni modo amplificari oportet, ut qui vel extra illum depereant, illum præ hujus mundi stercoribus eligant, eique adhæresçant. Est ille panis vitæ, aqua vitæ, lux mundi: qualis erit hic mundus si panem, aquam, lucem, ex eo tollas; tam & multò magis misera conditio illa, à quâ abest Christus.

Isai. 53.

Porro & offerendus Christus. Christus offerri dicitur, cùm ad eum fide accipiendum invitantur qui extrà sunt. Sic *Matth.* 22. servi emissi, ut ad regis filii nuptialia hospites invitarent. *Vobis sermo salutis hujus missus est.* Christi repudium, necessariò ejus oblationem infert, *vos repellitis illum*, &c. Ut & Christi receptio, ejus ponit oblationem, *Col.* 2. 6. Offerendus verò, 1. Omnibus quibuscunque, ad quos, ut eis Evan-

Act. 13. 26
Act. 13. 46.
Joan. 1. 12.
Quibus & quomodo offerendus.

geli-

gelizemus, vocamur. Id nobis clam, quis electus, quis non; pro quibus Christus efficaciter mortuus, pro quibus non. Tremendi illius de prædestinatione arcani mentio nulla occurrit, nisi Evangelio priùs divulgato, aliis id respuentibus, aliis amplectentibus. *Quotquot erant ordinati ad vitam, crediderunt. Si Evangelium nostrum opertum, in iis qui pereunt opertum.* 2. Omnibus promiscuè Christus offerendus; non, quia jam credidêre; sed, ut credant. Est enim ejusmodi Christi oblatio medium quo adducuntur audientes ad credendum. Proponuntur à Deo nobis promissa, ut in quibus recumbamus, ut quæ sint pro fundamento in quibus nitatur fides; non, ac si fidem in iis, quibus applicabilia promissa, supponerent. Offert Deus promissiones gratiæ, non quia credimus, sed ut credamus. Medicinam ægrotis offerimus, ut accipiendo valetudinem recuperent. Credere nil aliud, quàm Christum oblatum accipere; ut accipiamus, sufficit, quòd ad accipiendum propensi, non id ultrà exigitur, quòd jam accepimus, jam credidimus. 3. Sitientibus, id est, legali terrore consternatis, Christus, ut communicabilis, proponendus. Est duplex sitis, alia quæ totalis indigentiæ, de quâ Christus, *non sitiet in æternum*, &c. sc. ut totaliter indigens; est alia quæ partialis, quâ quis de gratiâ salvificâ degustavit, eâque ampliùs satiari anhelanter expetit; sic *beati qui sitiunt*, Matth. 5. Christus his actu communicatur, illis duntaxat communicabilis. 4. Credentibus, fide non temporariâ, sed duraturâ; non quæ mortua, sed viva; non intellectum duntaxat leviter irradiante, sed & voluntatem unà suaviter trahente, ut actualiter communicatus Christus, annunciandus. Sciant hic

Act. 13. 48.

Joan. 4. 14 Amef. in coron. ad Coll. Hag. art. 5. c. 2.

auditores, quòd fides, quæ nos Chriſto inſerit, fertur ad Chriſtum tam imperantem quàm promittentem, tam ſanctificantem quàm juſtificantem; habet etiam reſipiſcentiam ut comitem ſibi indiviſim conjunctam; ubi enim in peccato demortuis inſpiratur vita ſpiritualis, eodem actu fiunt & credentes & reſipiſcentes.

De mutatione cordis, maxime laborandum.

Can. 4. Quibus ſic & deſcriptus & oblatus eſt Chriſtus, explorandum, num cordatè amplectantur. Omnia pro nihilo ducat paſtor, niſi cor lucrifecerit; idipſum illis innoteſcat, nil nobis, ut Deo, niſi cor arridere, *Cedo mihi, mi fili, animum tuum. Ablue à malo cor tuum ut ſerveris.* Non in eo acquieſcendum, quòd verba, dummodo non niſi verba, dent auditores; quòd formam pietatis præ ſe ferant; quòd propemodum à Chriſto ſunt; quòd concupiſcentiæ, vel Deo reprimente, cohibentur duntaxat, vel quòd conſopitæ jacent, cùm abeſt tentatio, vel à libidine potentiori ſuperantur; vel quòd, à malo vel incumbente vel imminente perterriti, aliud quid ſimulant. Nec & illud nobis ſat erit, quòd exteriorem hominem circumcidimus; quòd huic vel illi, vel vanitatis indicium, vel veſtiendi formulam exoticam, vel capillum ſive cincinnatum detraximus, ſive abraſum reſtituimus; quòd à quibuſdam nequitiæ viis, quibus aſſueti, cùm aliis adhuc impliciti, vel hunc vel illum abduximus. Sunt hæc è pluribus perpauca, quibus ſe exprimit quæ in corde latet impietas; ſunt non niſi rami à radice internâ pullulantes, quos ſi amputâris, alii regerminabunt. Quid hoc aliud, quàm aves, non abigere, ſed à frutice ad fruticem fugare? fontem non exarefacere, ſed à canali ad canalem aquæ curſum transferre? eſt peccatum in corde, ut res in ſuâ

Prov. 23. 6 Jer. 4. 14.

Pſal. 78.

causâ;

causâ; ut verò emanat in vitæ consuetudinem, est res in suis effectis: Frustra quis nititur rem in suis effectis abolere, cùm adhuc vigeat in causâ. Est in corde, ut in principio, à quo diffunditur in hominem exteriorem, ejúsque actiones omnes fermentat: Frustra manus purgatas velit, qui non à corde exorditur; quod hîc non fundatur, fictum cùm sit, ut omnia ficta, citò in naturam suam redibit. Sunt verò in corde mala, quæ aliis radicum instar; his innituntur quæ in vitæ consuetudine se produnt corruptelæ, ut incredulitas, amor mundi, superbia, philautia, nulla aliorum dilectio, &c. Cui in animo, Christo discipulos lucrari, non sat erit, quæ in oculos incurrunt, vitia profligâsse; radicitùs extirpanda, quæ intùs latent, malorum semina. Nec cum magno, nec cum parvo, ut monuit ille, confligendum pastori; sed corda suis missilibus rectà petat. Qui amici sponsi causâ intercedunt, qualis quisque Evangelii minister, non in eo gloriantur, quòd bona verba dedit sponsa; id agunt, ut cor perspectum habeant: nisi hoc lucrifecerint, se frustra esse conqueruntur.

Can. 5. Remoræ, quæ impediunt, quò minùs ad Christum adducantur, quos importunè ambivimus, & perquirendæ & amovendæ. Sunt ὀχυρώματα, quæ destruenda sunt; λογισμοὶ, qui evertendi; sunt verba mendacia, quæ detegenda; sunt κένοι λόγοι, quibus peccata extenuant nonnulli; eorum futilitatem discooperire oportet; sunt Scripturæ distortæ, quibus sanior sensus restituendus. Nullus ad Christum vocatus renuit, nisi habet quod causetur. *Cæperant omnes uno ore se excusare.* Judæi Abrahamum & Mosen jactârunt; Samaritani, Jacobum Patriarcham. Habent qui crassè ignari sua

Remoræ amovendæ.

Eph. 5. 6.

Luc. 14. 18.

χρησφύγεια, de quibus consulenda rusticorum, quam vocant, Theologia; habent & sua profani; sic & qui pietatis formam præ se ferunt; qui item non nisi morali justitiâ imbuti, habent sua, quibus se obtegunt, ficulnea folia. Sunt porro qui, quò minùs ad Christum accedant, impediuntur, crucis asperitate, mundanæ gloriæ præposterâ affectatione; sunt qui scandalis, hi datis, illi acceptis; sunt item alii qui cognatione quæ est secundum carnem, alii qui rumoribus, fabulis, calumniis de servis Dei confictis, alii qui vitiis virtutum nominibus coloratis, alii qui negotiorum hujus vitæ tumultuosa mole, alii qui honoribus, voluptatibus, vel hujus vitæ emolumentis, quæ licita in se, illaqueati detinentur. Habent qui ad Christum vocantur, mille versutias, diverticula quàm plurima, quibus evadunt, etiam cùm reti divino arctissimè concluſi videntur. Ita in omnes formas se torquet subdolum hominis ingenium, nullas non excogitat distinctionum latebras, potiùs quàm ut se abneget, Christo in totum se addicat. Quoquoversum itaque circumspiciat pastor, si modò vel ariolari potest, quæ illæ sunt offuciæ quibus frustra fit ad Christum invitatio. Atque sic de iis, ad quæ inter docendum intentus esse debet pastor; nunc, Quomodo erga eos qui extra sunt, se gerat, dicendum.

CAP.

Cap. XIV.

Patientia, erga eos qui extrà sunt, exercenda.

UT ritè se gerat erga eos, qui extrà sunt, pastor; Primò, exercenda patientia. Patienter se gerit qui est ἀνεξίκακος, i. e. qui malos, apud quos omnia adhuc frustra sunt, nihilo seciùs patienter tolerat, mansuetè instruit. Erga eos qui extra sunt, 1. exercenda est Patientia. 2 Tim. 2. 14.

Patientia hæc exercetur, ubi cum præfracti ingenii hominibus res est, 1. Non succensendo, utcunque tergiversantur, post crebras admonitiones, nihilo emendatiores. Nutrices sumus; quotquot animarum curatores; quantas illæ tolerant iras? quam non perferunt morositatem? Qui ferendo non est, siquando inciderit in submorosos, detrectantes, pervicaciter obluctantes, etiam & irridentes, nunquam ille perveniet ad credentes. *Omnis erga quosvis homines exhibenda lenitas: nam eramus quondam & nos rebelles, amentes*, &c. Christus, in suo cum Nicodemo colloquio, nobis exemplo: unde observat Chrysost. ὅταν πρὸς τινὰς διαλεγώμεθα, καὶ μὴ πείθωμεν, μὴ δυσχεραίνειν, μήδε ἐνδηεῖσθαι &c. *Siquando cum aliquo disputamus, nec persuademus, non oportet indignari, aut ferarum more excandescere. Neque enim qui succenset aliquid efficiet, sed magis ad incredulitatem provocabit. Abstinendum igitur ab irâ, enitendumque ut orationem nostram probabilem faciamus, nullâ* Ne succenseas. Tit. 3. 2, 3. Homil. 25. in Joan.

non modò iræ, ſed ne voce altiori. Iræ enim materia eſt clamor. Hæc ille. Hinc, de Chriſti manſuetudine, quâ perditam Iſraelis ovem

Iſa. 42. 2. quæſivit, dicitur, *Quòd vox ejus in plateis non exaudita.* Interim verò nihil impedit, quin ſi, quibuſcum res eſt, perfrictæ frontis erunt, eos acriùs objurgemus. *Tit.* 1. ἔλεγχε ἀποτόμως etiam voce altiori inclamemus, exſuſcitemus; ſic *Joan.* 12. 44. Illud cavendum, nec acerbiùs increpando videamur ſtomachum petulantiùs velle effundere. Ubi enim nos rapit impatientia, ſine profectu contendimus. Præterquam enim quòd ludibrio eſt noſtra aſperitas, irritat etiam populi animos. Et, *quàm inutilis eſt iners & ſupina ſegnities, tam inutilis eſt ſtulta acrimonia*, ut Nazianzenus. Et Auguſtinus ſic: *Quicquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles.* Proſper. *Leniter caſtigatus venerationem exhibet caſtiganti; aſperitate autem nimiâ & increpatione offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem.*

Orat. de moderat. ſermonis. In cap. 6. ad Gal. Lib. 2. de vitâ contemplat.

2° Patienter ſe gerit paſtor, ſi ab officio paſtorali non deſiſtat, etiamſi cum obfirmatè malis res eſt, donec ſe porcos & canes oſtenderint. Ejuſmodi ſunt illi, quorum deplorata & inſanabilis pervicacia teſtatior facta eſt. Cùm hîc, exemplo Apoſtoli, non ampliùs ludenda opera.

Ne ab opere deſiſtas.

Act. 13. 46. Act. 19. 9. *Vos repellitis ſermonem Dei, ecce convertimus nos ad gentes. Cùm quidam indurarentur ne crederent, malè loquentes* (κακολογοῦντες) *de viâ coram multitudine, digreſſus ab illis* Paulus *ſegregavit diſcipulos.* His non dandum quod ſanctum, nec

Matth. 7. 6 margaritæ his projiciendæ, *ne eas conculcent pedibus ſuis & verſi vos lacerent.* Secùs verò etiamſi multoties verbum fruſtra audiverint, ſuis peccatis pertinaciter adhæreſcant, non tamen iis ſalu-

salutis remedia subtrahenda, non omnis abjicienda spes. Manassis, Petri, latronis in cruce pendentis exempla, de quibus cùm actum videbatur, illis nihilo minùs affulsit gratia salutaris, hanc vendicant longanimitatem; non nisi crebris ictibus cadit quercus. *Manè itaque sere semen tuum, & vesperì ne remittito manum tuam; experturus* scil. *num aliquando det Deus resipiscentiam, ut veniant ad agnitionem veritatis.* Eccles. 11. 6. 2 Tim. 2. 25. Non derelinquit agrum suum, ut sterilem prorsus, agricola prudens, eò quòd post multos exantlatos labores, votis ejus non respondeat; quin aliâ atque aliâ aggreditur viâ. Pudeat in Vinea Domini laborantes, si à colonis, indefesso in agris colendis studio, vincantur. Quoscunque de baptizatis ministri Ecclesiæ deserunt, antequam de illis certò compertum habent, ipsos canes vel porcos esse, de illis Deo & Christo Domino nostro gravem rationem reddere cogentur; Nempe magno terrore talibus infidelibus & negligentibus pastoribus objiciet Dominus, *Perditum non quæsivistis*, ait Bucerus. Chrysost. Hom. 1. de Lazaro. Οὐκ ἔπεισα σήμερον, ἀλλ' ἄυριον ἴσως δυνήσομαι πεῖσαι, ἀλλ' ἐὰν ἄυριον, καὶ μεθ' τὴν αὔριον, ἢ καὶ μετ' ἐκεῖνην ἴσως, ὁ σήμερον ἀκούσας καὶ διακρουσάμενος, αὔριον ἴσως ἀκούσεται καὶ κατακέξεται. Hodie non persuasi, at cras persuadere potero; Quodsi non cras, attamen perindie, vel quarto abhinc die persuasero. Qui hodie quod audivit repulit, cras fortè audiet ac accipiet, &c. Et postea, Crebro fit, ut piscator, qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem tamen abire parans, capto, qui ipsum per totum fefellerat diem, pisce discedit. Quodsi ideo victuri sumus in otio, & ab omnibus actio-

actionibus videbitur abſtinendum, eo quòd ſemper evenit ut alicubi fruſtremur optatis, univerſa nobis perierit vita. Inſtat idem Chryſoſt. in agricolâ, & nauclero, qui, utcunque à ſpe ſuâ decidunt, tempore ſuo ſuos redintegrant conatus. Accedit, quòd hi non habent qui damna compenſent, ut idem Chryſoſt. Nos verò non minùs auferemus præmii non auditi, quàm accepturi eramus ſi illi obtemperâſſent. Et deinceps, adeò veſanus eſt Diabolus, ut illa tentet, quæ nequaquam fieri poſſunt; nec illos ſolùm adoritur, quos omnino confidit ſe poſſe ſupplantare & dejicere, verùm & eos, quos probabile eſt artibus ipſius fore ſuperiores. Itaque cùm audiret Job laudari, & mirificè prædicari, ab eo qui novit arcana omnia, Deo ſcil. ſperabat nihilo ſeciùs, quòd eum viribus ſuperior, ſubverteret, nec deſtitit omnia movere, & moliri, ὥστε ὑπονσκελίσαι τὸν ἄνθρωπον. Et non erubeſcimus nos, ſi, cum Diabolus nunquam abjiciat ſpem perditionis noſtræ, nos fratrum ſalutem deſperaverimus? &c. Quis nobis veniæ locus, ſi, cùm tanta ſit mali Dæmonis in noſtrum exitium inſanientis vigilantia, nos ne tantulum quidem ſimilis diligentiæ adferemus ad ſalutem fratrum noſtrorum? præſertim, cùm Deum habeamus auxiliatorem? &c. Annon vides, ait idem, parentes quomodo filiis ſuis, licèt frequenter ad mortem ægrotantibus, aſſident lachrymantes, lamentantes, exoſculantes, omnia quæ poſſunt admoventes, ad extremum uſque halitum? hoc tu quoque facito pro fratribus: Et tamen illi non poſſunt lachrymis, & ejulatibus, neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere: Tu verò frequenter poteris animam deploratam, aſſiduitate, inſtantiâque, per lamenta

menta revocare & ſuſcitare. Dediſti conſilium, nec perſuaſiſti; illachryma, punge frequenter, & ſuſpira paululùm, ut tua ſollicitudo verecundiam ei incutiat, atque ita ſe convertat ad ſalutem, &c. Chriſtus, ut idem doceat, cùm pro certo habuit Judam eum proditurum, non tamen ceſſavit aſſiduis conſiliis, monitis, beneficiis, minis, demùm omni doctrinæ genere, à proditione retrahere. Hoc autem fecit, nos inſtituens, ut etiamſi præſciamus futurum ut fratres non obtemperent, tamen quicquid in noſtrâ facultate fuerit, præſtemus, tanquam paratâ nobis admonitionis mercede. Hæc omnia Chryſoſt. & plura ibidem. Gregor. item Nazianzen. ſic. κἂν τὸ πρῶτον ἀνήκοῳ, ſcil. impius, μακροθύμησον· κἂν τὸ δεύτερον, μὴ ἀπελπίσῃς· ἔτι καιρὸς θεραπείας· κἂν τὸ τρίτον, γίνου φιλάνθρωπος γεωργός· ἔτι τῷ δεσπότῃ δεήθητι μὴ ἐκκόψαι, μήδε μισήσαι τὴν ἄκαρπον σύκην, καὶ ἀνόητον, ἀλλ' ὑπερέψαι, καὶ θεραπεῦσαι, καὶ φειδαλέην κόπρον, &c. Si primum obluctatur, leniter expecta; ſi ſecundò, ne animum deſpondeas, nondum enim curationis tempus effluxit; ſi tertiò, benignum illum & humanitate præditum agricolam imitare, dominum adhuc precare ne infructuoſam & inutilem ficum excîdat, atque odio habeat, verùm convertat, & curet, & ſtercus injiciat, id eſt, eam correctionem quæ peccati confeſſione & manifeſtâ pudefactione, atque ignominioſiori vitæ ratione conſtat. Quis ſcit an mutabitur, ac fructum ferat, Jeſúmque à Bethaniâ redeuntem alet?

In orat. de moder. ſerm. in diſp.

Cap.

CAP. XV.

Quantâ Prudentiâ, erga eos qui extra ſunt, utendum.

2. Prudentia.

SEcundò, ut lucrifiant qui perditi, prudenter cum illis agendum. Ita ſe gerit, qui media ſua omnia ſic diſponit, ut finem, cui deſtinantur, probabile quòd aſſequantur.

Occaſio captanda.

Exercetur autem hæc prudentia, 1. Captando è re natâ occaſiones, quibus hominum corda miniſterio verbi pervia maximè. Quod enim ruricolis prudentioribus ſolenne, ut quo uberior efloreſcat meſſis, ſementis faciendæ tempus deligunt opportunum; quidni & in vineâ Domini laborantibus eadem adhibenda ſagax ſolertia? Ut enim omni negotio peragendo ſuus eſt, non χρόνος ſolum, ſed καιρὸς· ſic muneri paſtorali fungendo, ſua eſt, quâ omnia faciliùs ſuccedunt, accommodatior εὐκαιρία. Tempora autem peropportuna dico; ſiquando corda hominum malis publicis, vel ingruentibus, vel emiſſis, conterantur; ſi alicujus peccati, ſeu olim, ſeu recentiùs admiſſi, ſenſu perculſi jaceant; ſi quovis modo à Deo vel affligantur ipſi, vel alii, ut illi commonefiant, flagellantur; ſi in periculo mortis conſtituti, nihilo minùs convaluêrunt; ſi denique de divinâ bonitate quacunque demum ratione uberiùs deguſtârunt. Has nactus temporum vices paſtor bonus, quod in proverbio dici
Prov. 13. 23 ſolet, μυδροχλυτῆν, ferrum dum igneſcit, feriat. *Veluti mala aurea cum figuris argenteis, eſt verbum commodè dictum.* Prov. 25. 11. *Verbum tempore*

empore ſuo, O quàm bonum! Fidus ille diſpenſa- Luc. 12. 42.
tor dat famulitio dimenſum tempore præſtituto.
Cùm appropinquat foveæ anima ægroti, &c. ſi ad- Job. 33. 22.
ſit ei nuncius, &c. tum revertitur ad dies adoleſ-
centiæ ſuæ. Prophetæ verba tum altiùs inſedê- 2 Chron. 15.
runt, tam regis, quàm populi animis, cùm 12, &c.
ſenſu bonitatis divinæ, ex victoriâ partâ, ad-
modum afficiebantur. Scitè Gregor. Magnus. Cap. 15.
Prædica verbum opportunè, importunè: dictu- Paſtor.
rus importunè, præmiſit opportunè, quia ſcil.
apud auditoris mentem ipſa ſe deſtruit, ſi habere
importunitas neſcit opportunitatem. Sunt item
tempora inopportuna, ut ſiquando variis nego-
tiis diſtracti, ſociis ad omnem nequitiam proje-
ctis circumdati, voluptatibus multifariis quaſi
demerſi, affectibus præpotentioribus pro tempo-
re abrepti, vix ſui compotes; quibuſcum res eſt.
Qui hos affaturus eſt, næ ille ut qui literas in
arenâ conſcribit, quas illico vel ventus vel via-
tor perturbat.

Secundò, cum perditis agendum, vel mitiùs Numerus
ſi turba numeroſior, vel aſperiùs ſi pauciores, ii- peccantium
démque pervicaces. Aliter, cum populo qui uxo- pendendus.
res alienigenas duxerunt, egit Ezra, lachry- Ezra 9.
mis & cilicio deflevit hanc prævaricationem, la-
cerans veſtem, & de capite & barbâ vellens ca-
pillos, ſedebat deſolatus; peccaverat enim multi-
tudo: Aliter Paulus, cum inceſtuoſo Corin- 1 Cor. 5. 5.
thio, agendum conſuluit, tradendum Sata-
næ decrevit in exitium carnis, ut ſpiritus ſal-
vus fieret in die Domini. Eleganter Auguſti-
nus, *Epiſt* 64. ad Aurelium, de ratione co-
ercendi Africanorum temulentiam. *Non aſpe-*
rè, quantum exiſtimo, non duriter, non modo
imperioſo, iſta tolluntur: magis docendo, quàm
jubendo; magis monendo, quàm minando: Sic
enim

enim agendum est cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda in peccata paucorum. Hæc ille. Ita enim comparatum est, ut multitudo peccantium, illorum saltem opinione, & minuat peccatum, & pudorem peccantibus auferat. Placidè itaque cum illis res transigenda, quos si amarulentiùs insectemur, periculum est ne aut frontem perfricent, aut schisma faciant. *Politici hominis est*, ait Junius, *ut in publico peccato, parcatur publico, non autem omnia summo jure, prout singularia peccata commeruêre, cruententur; sic*, ait idem, *in confusionibus militaribus, quæ remedia postulant acria & præsentissima, Romani centesimare, vicesimare, decimare cohortes maluerunt, quàm omnia rigidè per omnes persequi.*

In cap. 17. Genes.

Natura peccati pensitanda.

Tertiò, zelus pastoris, in peccatis eorum qui extra sunt reprehendendis, vel intendatur, vel remittatur, pro naturâ peccati. Sunt peccata alia leviora, quæ sat erit perstrinxisse, animum ab iis alienum testari. Sunt alia, vel radice à qua profluunt, vel circumstantiis, aut quia aliis viam muniunt, aut naturâ suâ, atrociora; de his solummodo, & non de iis, digladiari oportet. Incidunt plerunque, inter gregem & pastorem, de peccatis quæ non tanti sunt, acerrimæ contentiones, tumultus qui nullatenus sedari possunt. Ut focus, pro varietate occasionum in familiâ, vel luculentior, vel minutior, fieri solet: sic, pro peccati cujusque naturâ, zelus, vel exardescat, vel defervescat. Secùs qui faciunt;

Quare.

1° Malè audit illorum διάκρισις, ut qui haud nôrunt peccata discriminare, cùm æquè de iis ac illis contendant; non tanti ponderis erunt eorum in atrocioribus peccatis coarguendis verba, cùm omnem suum qualemcunque ardorem in minoribus priùs effuderint. 2° Omnium, quacunque

cunque de re, contentionum comes indivisus est animorum alienatio: quisque enim, pro eâ re à quâ stat sententia, ut pro aris & focis, contendit. Prudentis itaque erit, ut non cum suis in arenam descendat; aut ex professo certamen instituat, nisi de ejusmodi peccatis, in quibus vel Dei gloria summè periclitatur, aut peccantium salus; ut in iis quæ conscientiam vastant.

Quartò, in perditis quærendis, animus, quoad fieri potest, edocendus, priusquam irritandus. Cum illis mitiùs & leniter agendum, usque dum judicium in bonis & malis dijudicandis informetur. Sic Paulus, ubi ei cum Athenienſibus res erat, quàm placidè, & sine omni tumultu eos affatur! Quàm ut observat Erasmus, appellat blandiùs Athenienses, pro more oratorum, Ἄνδρες ἀθλιωτατοι mitiori vocabulo δεισιδαιμονίας crassam eorum idololatriam designat; captat ansam alloquendi ex altaribus, ne videretur siniſtram de illis opinionem aliunde attuliſſe; ex publicis, ne curioſus in alienâ Repub. videretur; fortè prætereiens, non data opera exquirens; Deum, argumento à mundi opificio, quod illis non incognitum, describit; Arati Poetæ, ad id quod cupit probandum, accersit teſtimonium; Christi, apud homines qui nullatenus cœleſtia ſapiebant, parcè meminit. Novit scil. Apoſtolus ea altiùs animo imprimi, quæ ſedatè ſuggeruntur. Si quid igitur animadvertamus, quod populi animos alienet, quod iis, quæ eſt illorum infirmitas, offendiculo ſit: illud, ſaltem ad tempus, ſilentio premamus. Exploratum id, motus animi perturbatiores judicio tenebras offundere. Summa proinde adhibenda cura, ut, quos ad ea quæ dicuntur attentos volumus, non niſi ubi neceſſe fuerit, iis bilem

Animus priùs docendus, quàm irritandus.

In Eccleſiaſt.

Act. 17.

lem commoveamus. Piscatores sumus; res ita agenda, ut non pisces ab escâ deterreantur: spes est, illas posse capi, si ad escam accedant, illam undique ambiant; haud id possibile, ubi ab ea refugiunt. Ne tamen sic intelligi velim, ac si eorum peccatis omnino parcendum, ne illos exacerbemus: id volo, ut primò in illorum animos blandè nosmet insinuemus, illos de peccatis evincamus, deinceps sequatur eorum acrior objurgatio.

Peccata vulgo incognita vix publicè reprehendenda.

Quintò, vitia quæ apud suos inaudita, vel à quibus non imminet periculum, ea non publicè reprehendenda. Plerumque enim id evenit, pravitate quæ cuique innata est, ut quæ populo ignota, dum reprehendendo nominamus, ea nominando doceamus; quæ redarguimus, redarguendo ansam demus perpetrandi. Ausim dicere, pleraque fraudes, & in contractibus dolos versutiores, qui antea non nisi perpaucorum, publicâ reprehensione latiùs diffundi. Audiat itaque quilibet cœtus, non aliena peccata, sed sua; non quorundam inusitata & nefanda scelera, quæ vulgo clam, sed quæ obtinuêre, quæ publicè erumpunt, ea duntaxat taxemus. Hinc Mosis

Lev. 24. Junius in eum locum.

particularem execrationis modum, quo usus est blasphemus ille, reticuit; ne forsan à posteris in exemplum traheretur. Apostolus illud contra

In cap. 5. ad Galat.

naturam vitium, quod apud Romanos & Corinthios frequentius, nominatim designat; apud alios, quibus, ut videtur, inusitatius, in genere duntaxat, ἀκαθαρσίας nomine, perstringit. Sic Perkinius. De peccato Sodomitarum dicturus Lutherus, Ego quidem non libenter verior in hoc loco, quòd aures Germanorum

In cap. 19. Genes.

adhuc innocentes & puræ sunt ab hoc portento. Talia, ait Zepperus, exactiùs & explicatiùs re-

Lib. 2. de art. habend. conc. c. 12. p. 206.

pre-

prehendisse, potiùs est docuisse; idque, propter imperscrutabilem cordium humanorum perversitatem & curiositatem. Gravi ergo cum detestatione, & horrore, velut extremis tantùm digitis, illa perstringantur, ne magis animis inserantur quàm exstirpentur.

Sextò, in malis, quæ aut per longam invaluêre moram, aut varii generis sunt, sensim populo obrependum. Vulgus sibi hunc post illum velli superstitionis ritum, se ab hoc, quod in moribus, vitio post illud, abduci facilè patitur; ut ægrè id ferat, siquando omnia derepentè reformata velit concionator. Nullus, absque periculo, altissimum in scalâ gradum primò conscendit. Medici, siquando noxii humores expurgandi, gradatim id faciunt. Qui rempublicam, omnimodò depravatam, pristinæ conditioni restitutam velit, non omnia subitò transmutat; ut in corpore subitanea evacuatio, sic in politiâ mutatio repentina, periculosa. Accedit porro, quòd, in humanis, nil ad perfectionem, nisi lentè, & gradu testitudineo, aspirat; opera quæ præ cæteris suis numeris absoluta, ab inimis, quæ nihil tale pollicebantur, exorsum sumpsêre. Nullus unquam ad fastigia rerum pervenit, qui non primò in imis substitit, dein gradatim ascenderit. Denique, & vitia quæ in unum, ut virgæ in fasciculum colligatæ, inde corroborantur, haud facilè, si conjuncta aggrediaris, dissipabis; si illa discerpseris, & seorsim singula sumas, nullo negotio amandabis. Atque sic de convertendis; sequitur, ut de conversis dicam.

Mala, quæ diu obtinuere, sensim amovenda.

CAP. XVI.

Quomodo se accommodet Pastor conversis, in genere.

DE ovibus ad Christum conversis, videndum, Quomodo illis se accommodet pastor, in genere, vel in specie.

Non-conversi conversis ne annumerentur.

Pastores qui conversis se accommodaturi, præmonendi, ne non-conversis conversos annumerent. *Saul tentabat se adjungere discipulis; sed omnes metuebant eum, non credentes eum esse discipulum.* Siquando hîc erratum fuerit, 1. Amittit de suâ honorificâ existimatione pastor, cùm ut hypocritæ deteguntur, quos ille in veræ credentium album ascripserat. 2. Societati fidelium injuria fit, cùm id illis vitio vertitur, acsi non nisi cœtus hypocritarum essent. 3. Ipsi qui nondum renati, cùm tamen pro renatis habentur, in suâ perditâ conditione confirmantur. Ubi verò, accuratiori scrutinio priùs instituto, ex judicio & charitatis, & sapientiæ, id probabile, quòd verè ad Deum conversæ oves, quibus negotium intercedit, sic se gerat pastor.

Conversi, in veritate stabiliendi.

Can 1. Oves ad Deum conversæ sunt in agnitâ veritate stabiliendæ. Veritas illa, & credendis, & faciendis, ut ad salutem necessariis, terminatur. De illis quæ hanc viam ingressæ, periculum est, ne ab illâ secedant; cùm in spiritu exorsæ sint, ne ad carnem retrogantur. Sunt enim, ex iis qui Christo nomen dedêre, qui cruce perculsi fatiscunt; qui blanditiis mundi

& car-

& carnis ineſcati relabuntur, ut Demas; qui ab hæreticis in errores pelliciuntur; qui ex conſortio eorum qui ſinceritatis inimici, remittentes de priſtino zelo, tandem in nihilum abeunt. Qui in ſpecula conſtitutus vigil, ad omnia ſit intentus, quibus ſuis adveniat vel ἐπισκοπὴ vel ſeductio. Toto conatu hoc agendum, evincit ἐφόδους Apoſtoli; qui itinera complura, ut diſcipulos confirmaret, ſuſcepit; & Epiſtolas tot, ut in fide quam receperant firmiùs corroborarentur, abſens conſcripſit; ille Epiſtolarum ad Epheſios, ad Coloſenſes, primæ ad Theſſalonicenſes, ſcopus; ut ſtabiliantur in fide, ut radicati confirmentur; & 1 Pet. 5. 12. *Hæc ſcripſi, teſtificans, hanc eſſe veram Dei gratiam in quâ ſtatis.* Act. 14. 22 & 15. 36. & 18. 23. 1 Pet 3. 1.

Can. 2. Ad illa omnia, quibus ſalus perficitur, & dirigantur, & excitentur: non niſi obſcurè illis lux affulſit: vel nihil, vel aliter, vel aliud quàm oportet agunt, niſi dirigantur. Flacceſcit inter agendum animus, niſi admonitionibus, hortationibus ardentioribus accendantur, quæ ſangueſcunt, deſideria. Ad quæ & dirigenda & excitanda, ſunt hæc tria. Dirigendi, & excitandi.

1. Ut omnem arripiant occaſionem, quâ fidem & reſipiſcentiam explorent, renovent, exerceant. His nititur tota pietatis fabrica. Explorent; ut, ubi de illarum veritate conſtiterit, & diabolo, qui illas in dubium vocando ingentes creat turbellas, obſiſtant; & ipſæ ut quæ inde de vocatione & electione ſuâ certiorentur, cordatè gaudeant. Renovent; eò quòd, cùm utraque imperfectior, utraque deliquio obnoxia; niſi multoties renovando, nec quæ imperfecta ad perfectionem aſpirat, nec quæ cineribus cooperta in flammam erumpit. Exerceant verò, & fi- 1. Ut fidem & reſipiſcentiam explorent, Renovent, Exerceant.

dem, ut ex quâ indies vivendum; & resipiscentiam, ut quam flagitant peccata quotidianæ incursionis; novus peccati actus novâ pœnitentiâ diluendus. Ex fide verò vivitur. 1. Si quibuscunque indigemus bonis, ea fide ad nos attrahere studeamus. 2. Si adversus mala quæcunque, sive spiritualia, sive temporalia, clypeo fidei nosmet muniamus; ut vel ab illis conservemur, vel sub iis sustentemur, vel ex iis liberemur. 3. Si in mediorum, quibus sua omnia largitur Deus, usu, fidem, quâ iis se affuturum spopondit Deus, exserant. Exercetur verò resipiscentia, scrutando vel quæ latent, vel quæ excidêre peccata; nosmet coram Deo humillimè prosternendo; peccata deflendo; serio proposito adversus illa animum obfirmando.

2. Ut Evangelio dignè ambulent.

2. Ut Evangelio dignè ambulent quæ convenit oves. Sic facient, si id illis cordi inprimis, ut voluntatem Dei faciant; si bonis operibus abundant; si virtutes illas, quibus Deo similes, in vitæ consuetudine exprimant; ejusmodi sunt bonitas, justitia, mansuetudo, misericordia, charitas, &c. Si denique in illâ vitæ conditione, quæ iis assignatur, Deum inprimis glorificent.

Ut sic ambulent, admonendi qui crediderunt: 1. Quòd jam propiùs ad Deum accessêre; quòd eos sibi desponsavit; quòd ei pro domicilio, in quo habitat, pro horto, in quo se oblectat; quòd ei pro domesticis, etiam pro filiis, qui priùs extranei: quòd ejus redempti; cui, nisi redimenti, inserviendum redemptis? quòd frustra est Christus, in eo quod exsolvit pretio, nisi ei deinceps vivant: quòd fœdus cum Domino percussêrunt; fœdissimum id si fœdifragi: quòd intimum, erga eos, Deus testatus est amo-

amorem; annon sic dilecti redamarent? quòd concives sanctorum: quòd accessêrunt ad montem Zion, ad civitatem Dei vivi Jerusalem, & myriades angelorum, &c. quòd genus electum, regale sacerdotium, gens sancta; inde ratiocinandum, cum Nehemiâ, An vir qualis ego, sic? Neh. 6. 11.

2. De variis, quibus Evangelium ornent, officiis monendi. Sunt hæc, vel quæ Deum respiciunt, ut quibus ei quod suum tribuitur, de quibus suprà; vel quæ hominem. Homo verò, vel ut per se, vel in relatione ad alios, considerandus. Per se sunt quæ ei incumbunt officia, Primò, Ratione personæ, idque 1. pro varietate partium, ut animæ, vel corporis. Animæ, in quâ est intellectus, voluntas, conscientia, affectus, memoria, appetitus sensitivus. Vel corporis, ut membrorum in genere; in specie, vultûs, oculorum, aurium, linguæ, &c. 2. Pro varietate ætatum; ut quis junior, vel senior. 3. Pro varietate occasionum; ut quòd quis aut solus, aut cum aliis, &c. 4. Pro varietate subsidiorum, quæ vitæ sustentandæ subserviunt; ut sunt victus, vestitus, necessaria animi corporísque relaxatio. Vel Secundò, Ratione conditionis, ut rebus vel prosperis, vel adversis fruitur: v. g. ut quis dives, vel pauper; ut quis loco celsiori, vel infimo; ut quis sub flagello aliquo particulari ingemiscit, vel cui omnia succedunt pro voto. Vel Tertiò, Ratione bonæ famæ; de quâ videndum, quomodo acquirenda, quomodo eâ utendum, quomodo, quæ ei contraria, infamia ferenda. Vel Quartò, Ratione particularis vocationis; de quâ videndum, quomodo eligenda, quomodo in eam intrandum, quomodo in eâ quis ambulet, quando eam vel intermittat, Lib. 1. cap. 4

vel ab eâ desistat. Tot sunt hæc distincta, quibus, homine per se considerato Deus est glorificandus. Ut verò quis est in relatione ad alios, quædam exigit Deus officia; Vel ratione vinculorum, quibus ad invicem astringuntur, vel cognationis, vel gradûs, ut quis superior, vel inferior, sive in familiâ, sive in republicâ, sive in Ecclesia, sive donis, sive ætate: Vel rationecorum, quibus proximi vitæ, castitati, bonis, præcipuè in commerciis exercendis, famæ consulitur: vel ratione dispositionis quâ affecti, vel erga nos, ut amici, vel inimici; vel erga Deum, ut pii, vel impii: si pii, ut vel infirmi, vel firmiores; stantes, vel lapsi: si impii, ut qui vel à scandalo immunes, vel qui scandalum dedêre; &, ut qui corrigibiles, vel derisores: Vel ratione conditionis, ut à Deo quæ est vel prospera, vel adversa; prospera, ut qui vel divites, vel in honore constituti, vel quibus omnia pro voto; adversa, ut si pauperes, vel qui aliàs affliguntur. Ad hæc capita revocatur totius practicæ pietatis ἐγκυκλοπαιδεία his si quis pro virili incumbat, Evangelium Christi mirificè exornabit.

3. Nova hæc, quam in suis capitibus descripsimus, obedientia, tunc Evangelium Christi condecorabit, cùm benè fuerit regulata. Sic autem erit, cùm omnia fiunt, 1. In fide, qui quis non nisi πληροφορηθεὶς, id est, plenè persuasus, facit quod faciendum. 2. Cùm in sinceritate, quâ quis Deum inprimis intuetur. 3. Cùm in humilitate, quâ quis omnia Deo accepta fert; *Operamini salutem cum timore & tremore.* 4. Si adsit zelus, quo quis ferventer feratur ad id quod faciendum. 5. Si constanter fiat quod nobis faciendum incumbit. 6. Si prudenter,

Rom. 14.
Phil. 2. 12.
Tit. 2. 14.
Act. 24. 16.

ter, cum scil. habetur ratio circumstantiarum. 7. Si adsit alacritas, quâ quicquid, vel Deo, vel Dei causâ, præstandum, alacri animo præstamus.

Tertiò, hortandæ, ut in gratiâ, quam acceperint, crescant. Nec enim, ut Spiritûs fructus germanus censendus, qui, in usu mediorum gratiæ, augmentum non capit; qui, Christo insiti, ab eo necesse ut vitam, tanquam à fonte perenni, hauriant. Potest ad tempus hic influxus, ex peccato, quasi canalem obstruente, interrumpi; at suo tempore, sublatis obstaculis, communio cum Christo recuperatur. *Retegitur justitia Dei ex fide in fidem. Exuberantem charitatem*, precatur Apostolus. Eph. 4. 16. *Totum corpus* dicitur *incrementum capere. Ad ea quæ à fronte contendendum. Crescendum in gratiâ & agnitione Domini*, &c.

3. Ut in gratiâ crescant.

Rom. 1. 17.

1 Thes. 3. 12

Phil. 3. 14.

2 Pet. 3. 18

Sic crescit, vel in quo eadem gratia assequitur gradum pleniorem; vel qui officia, quæ hactenus omissa, jam præstat; vel qui iisdem officiis præstandis, sincerior. Sic ut crescat, 1. Media illa, quibus in gratiâ proficiat, adhibenda. 2. Ab illis, quæ augmentò obicem ponant, cavendum.

1° Sunt illa media, alia ἐν τῇ πράξει, alia ἐν τῇ θεορίᾳ. Quæ incumbunt peragenda; vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria sunt, vel privata; ut retrospectio, quâ, reflectendo ad vitæ consuetudinem, nosmet ad examen revocamus; ut vigilantia, quâ nobis, in iis quæ peragenda, cautè attendimus; ut spiritualis armaturæ assumptio, non enim sufficit quod adest, nisi assumatur: Vel publica; ut verbi, & Sacramentorum pius usus: Vel mixta, ut precatio. Extraordinaria; ut, si-

Psal. 119. 49

quando diem ſeponimus, vel in quo ſolenni more nos humiliamus, vel in quo gratitudinem erga Deum teſtamur. Quæ mente recolenda per modum meditationis ſunt, 1. Gratia, quæ in Chriſto apparuit. 2. Conditio noſtra fragilis, quâ morti indies obnoxii. 3. Ultimi judicii terror, & ratio reddenda. 4. Natura Dei, quæ flagitat ſanctimoniam immaculatam. 5. Promiſſa, quibus piè viventibus, ſe obſtrinxit Deus. 6. Opera divinæ providentiæ, quibus exſerit Deus vel miſericordiam, vel iram. 7. Sanctorum virorum exempla, quorum veſtigia nobis premenda. 8. Lex Decori; quod, in Chriſti nomen profitentibus, exigit vitæ conſuetudinem immaculatam; cùm indecorum, ſi aliàs. 9. Scandalum, quod, malè viventes, iis qui extrà ſunt, objicimus.

2. Sic ut creſcat quis, ab iis quæ impediunt, cavendum. Sunc hæc: 1 Cordis cura negligentior. 2. Securitas, quâ de vigilantiâ remittimus. 3. Imprudentia in peccatis ſubigendis, ut ſiquando in moribus reformandis non cordi inprimis incumbamus; ſi mediorum uſus non peccati inveteratæ naturæ reſpondeat; ſi occaſiones, quæ ad peccata ducunt, haud defugiamus. 4. Conſortium non neceſſarium cum hominibus vanis. 5. Licita in ſe, illicitè uſurpata; ut cùm quis licitis vel voluptatibus, vel hujus vitæ negotiis, ſe plùs æquo immergit. 6. Oblivio Scripturarum, quibus quis animum vel excitaret, vel ſuſtentaret, vel adverſùs malas immiſſiones corroboraret. 7. Senſim obrepens, in divinis exercitiis, tepida formalitas. 8. Inordinati animi affectus, quibus non tam fortiter obſiſtimus. 9. Scrupuli ſe ingerentes, animum excruciantes. Sic in genere ovibus converſis ſe accommodet paſtor:

ſtor: nunc videndum, quæ in ſpecie. Hæ vel ſanæ, vel morbidæ. Sanæ, vel firmiores vel infirmæ. Dicendum hîc, quæ utriſque debentur à paſtore officia.

Cap. XVII.

Quomodo ſe ſanis accommodet, ſive firmioribus, ſive infirmis.

Canon. I.

Firmiorum officia ſuggerenda.

FIrmioribus ſuggerendum, quæ illis incumbunt officia. 1° Ut pro fide, causâve Dei, cujuſcunque generis fuerit, ſi occaſio tulerit, acriter decertent, malis obſiſtant, adverſariis os obſtruant. Illis uberiùs ſua cùm contulerit Deus χαείσμαλα, pariter ab iis repoſcit, ut ſtrenuè veritatem propugnent, iniquitatis torrenti ſe opponant. In illos omnium oculi intenti, ut ad eorum exemplum ſe componant, eos ut ἀρχηγὸς imitentur. 2. Inſtruendi, ut Chriſtianâ libertate non abutantur, id eſt, ne fratribus infirmis ſcandalum objiciant. Quæcunque ἀδιάφορα licita, non ſemper expediunt. *Debemus nos, qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobis ipſis. Bonum non eſt edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam facere, in quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel infirmus eſt. Videte, ne quo modo facultas veſtra, impingendi cauſa ſit infirmis.* 3. Inculcandum & illud, ut non animo efferantur; nec fratres infirmiores deſpicatui habeant. *Quid tibi eſt, quod non acce-*

Heb. 13. 7.

Rom. 15. 1.

Rom. 14. 21

1 Cor. 8. 9.

1 Cor. 4. 7. *acceperis? & si acceperis, cur gloriaris, tanquam non qui non acceperit? Tu per fidem stas, ne* Rom. 11. 20 *effertur animo, sed metue. Tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? omnes enim sistemur apud tribunal Christi.* 4. Monendi, ut crucem exspectent; ad Vide Joan. cap. 14, 15. & 16. graviores perpessiones se præparent. Qui in fide radicati, eos plerunque ut pugiles & athletas suos evocat Deus; quorum patientiâ & fortitudine, cùm durissima subeunt, ingentem sibi acquirit gloriam. Novit ille, quid cujusque ferant humeri, quid ferre recusant: sarcinam perinde imponit. Ut neminem supra vires affligit, sic rarò, quos ferendo pares noverit, sine acerbiori castigatione dimittit. Joan. 16. vers. 4. *Hæc non dixi vobis ab initio, quia vobiscum eram. Cùm senueris*, id est, fide robustior fue- Joan. 21. 18. ris, ait Christus ad Petrum, *extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quò nolis.*

Cibus solidior proponendus. *Canon.* 2. Firmioribus cibus solidior minis- trandus. Τελείων ἐστὶν ἡ στερεὰ τροφή. Cibus Heb. 5. 14. hic, vel est credendorum, vel faciendorum. Ex his, alia sunt fundamenti, alia tecti; alia quæ ad esse fidei spectant, alia quæ ad benè esse. Quæ fundamenti, vel sunt nuda principia, vel à principiis orta: utraque hæc, vel κατασκευαστικῶς solùm, vel porro ἀνασκευαστικῶς, apud firmos tractari possunt. Utraque hæc, vel in clarioribus scripturæ locis traduntur, vel in iis quæ obscura magis occultantur, ut quæ in typis & umbris cæremonialibus latent; quæ in libris Canticorum, & quorundam prophetarum, in Johannis Apocalysi mysticè obvelantur. Possunt apud hos vel ex his libris mysteria fidei proponi. Quæ item tecti sunt, ita discriminantur, ut alia non nisi ministerii dispendio possunt do-

ceri,

ceri, alia à quibus non tale imminet periculum. Firmioribus, omnia qualiacunque, modò debito ordine, proponi possunt. *Non subterfugi, quò minùs annunciarem vobis omne consilium Dei.* Act. 20. 27

Ordine autem debito traduntur, 1. Cùm quæ fundamenti sunt, ut absque quibus cognitis nulla salus, ea primò annunciantur: quæ non æquè necessaria, ea non nisi post moram doceantur. 2. si quæ minùs necessaria, si propalentur, simpliciter necessariis, obicem ponerent; celanda ad tempus illa, donec in his auditores confirmentur. 3. quæ æquè necessaria, si hæc illa, ne docentur, præpedire possunt; hæc in genere duntaxat proposuisse sufficiat. Paulus qui per biennium Ephesi commoratus est, si Scribæ credendum, non directè in Dianam locutus est. Illud duntaxat inculcavit, divinam naturam non posse rebus corporeis effingi aut adumbrari. Dii non sunt qui manibus fiunt. Act. 19. 37 Act. 17. 29 Bt 19. 26

Plurima religionis mysteria populo noluit divulgari Christus, parabolis occuluit, ne redemptionis operi per illius mortem consummando, impedimento essent. Non omnis omni tempori convenit veritas. Matth. 17. 9

Atque sic de iis qui firmiores. Sequitur ut dicam qui Canones inserviant pastori dirigendo; ubi cum infirmis res est.

Can. 1. Captui infirmorum se accommodet pastor Evangelicus. Cùm enim infantes sunt; cum iis balbutiat oportet, subtrahat solidum cibum, lac opponat. *Lactis potu vos alui, ac non escâ;* 1 Cor. 3. 2 *nondum enim poteratis id ferre. Opus habetis lacte,* Heb. 5. 12. *& non cibo firmo.* Idem Christus est lac, & esca; sed pro variâ annunciandi ratione, est vel lac, vel esca. *Multa adhuc habeo, quæ vobis dicam;* Joan. 16. 12 *sed non potestis portare. Sunt incrementa quædam,* *& men-*

Infirmorum captui se accommodet.

& mensuræ, donationum Christi in animis credentium; ut non statim omnia omnibus convenire queant, ait Musculus. Chrysostomi laus singularis, quòd *ita populi captui se attemperavit, quasi præceptor cum puero discipulo balbutiret*; sic Erasmus in vitâ. Pastoris prudentia summa, ut infirmiorum pingui Minervæ se accommodet; non altiùs conscendat, quàm sequi possint; paulatim denique instillet doctrinam, ne (ut Calvinus) largiùs fusa superfluat. *Omnis enim sermo, percipere talia non valentibus, onerosus est; facilióque illos premit, quàm pascit; & fastidiri potiùs facit in veritate sermonem, quàm in sermone percipi veritatem*, ait Augustinus.

Hom. 98. in Joan.

Eorum infirmitati parcendum Marc. 4. 33

Can. 2. Quæ populus præ suâ infirmitate haud ferret, ea, non nisi ubi in fide adultiores, proponenda. *Christus parabolis loquebatur populo, prout poterat audire*; scil. nondum erant nudi sermonis capaces. Etenim si dixisset, se brevi à Judæis occidendum, se mox revicturum, gloriámque suam per universum orbem sparsurum; sic, ut, qui tum omnium infimus videbatur, intelligeretur totius mundi princeps; ut nulli, quantumvis sublimi, quies ac tutum receptaculum esset, nisi sub illius ramos confugeret: nemo sermonem aut tulisset, aut credidisset. Et tamen expediebat hæc, veluti per somnium, meminisse; ut postea ex ipsâ re agnoscerent quid sibi voluissent parabolæ. Sic Bucerus in locum. Paulus & Barnabas non primo ingressu Antiochienses de perpessionibus allocuti sunt, *Act.* 13. nec Christus discipulos, nisi cum adoleviſſent, *Joan.* 6. 4.

Multa iis indulgenda.

Can. 3. Rigidioribus pietatis exercitiis non onerandi, qui infirmi, qui neophyti. Multa iis indulgeat pastoralis prudentia, multa illorum infan-

infantiæ condonet. Rigidiora illà voco exercitia, quæ ab iis, qui in Christo viri perfecti, exigi solent. Ejusmodi sunt preces extraordinariæ, cum jejunio conjunctæ, &c. Optandum fateor, ut singuli ad perfectionem toto nisu aspirent; interim verò, dum teneri adhuc, & quasi in cunis vagientes, non eadem ab iis, quæ à provectioribus in Christo, importunè flagitemus: expectandum usque dum majores fecêre progressus. Noluit Christus, in vestem veterem, immitti assumentum vestimenti novi; nec vinum novum in utres veteres. Num de vestimentis & utribus cura Christo? annon hoc potiùs, ne perfectissima renatorum opera rudioribus, primo quoque tempore, imponamus? In hunc locum sic Calvinus, *Non omnes, promiscuè, sunt adigendi ad eandem vivendi formam, quia dispar est conditio, neque eadem omnibus conveniunt; præsertim infirmis parcendum, ne rumpantur violentiâ, vel oneris gravitate frangantur.* Et Bucerus sic: *Ab illis, qui Christo nomen dedêre, non illicò summa quæque requirenda, Pharisaicâ quâdam Anabaptistarum severitate, qui, initiatis Christo, ne mediocrem quidem risum concedunt.* Matth. 9. 14

Can. 4. Infirmiorum conscientiæ, in quibus adhuc hæsitant, intempestivis & violentis disputationibus haud vexentur. Illas voco intempestivas, violentas, in quibus nec temporis, nec loci, nec personarum, quæ adhuc ex errorum & impietatis laqueis vix emersêrunt, ratio habetur; quæ tumultuariò & cum impetu, acsi vim facerent, adhibentur; quæ jurgia & rixosas contentiones pariunt. Oves Christi, quæ nuper ovile Christi ingressæ, spiritu mansuetudinis sunt ducendæ, non clamosis

Mitiùs cum iis, ubi hæsitant, agendum.

clamosis disputationibus prorudendæ. In civitate plus periculi ab imprudente medico, quàm à sicario. Perinde & ab imperito Theologo, æquè periclitatur anima infirmorum, ac ab indocto prorsus. Pluris est, placida & sedata judicii informatio, quàm acris contentio, acerbior insectatio; non tam proficiunt hi subtili disputatione, ac alii nudâ sacræ veritatis propositione. Sequitur Christianus, non trahitur; & duci mavult, quàm cum impetu cogi, qui in nostram sententiam pedibus ibit. Celebris illa apud Russinum historia, de acutissimo Dialectico in solenni doctorum conventu, ad fidem, senis cujusdam reverendi simplici veritatis assertione converso; quem tamen, post acerrimas disceptationes, superare non potuit universa disputantium cohors. *Audite*, inquit, *O eruditi viri, donec verbis mecum res gesta, verba verbis opposui, & quæ dicebantur dicendi arte subverti; ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt verba resistere virtuti, nec homo adversari potuit Deo.*

Rom. 14.

Et 15. 1.

Quin igitur Apostolo auscultandum; *eum, qui in fide infirmus est, assumite, non tamen ad certamina disputationum. Debemus nos, qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, & non indulgere nobis ipsis.* Incusanda quorundam nimia diligentia, ingrata acrimonia, qui, cùm fratres vel in leviculis à se dissentientes ferre non possunt, eos importunè altercando perturbant, & confragosis disputationibus distrahunt, potiùs quàm ædificant.

Officia, quæ prosint, nulla declinanda.

Can. 5. Ad quævis, quæ infirmis prosint officia, placidè & modestè se demittat pastor. Ejusmodi sunt, ut de honore, stipendio, prout occasio tulerit, remittat, ut in ἀδιαφόροις omnia fiat omnibus, ut quæ suis offendiculo sunt reti-

reticeat, ut nihil quod ſuos ædificet, utcunque viliſſimum, reſpuat. Multa vendicat à nutricibus ætas tenella, quæ haud par ut adultior expectet: *Fuimus placidi in medio veſtri, & ut nutrix fovet liberos ſuos, ita, cupidi veſtrî, evehamus impertire vobis---noſtras ipſorum animas, quòd chari nobis eſſetis.* Quid tam ſordidum, quod ex amore innato non ſubeat nutrix mater? quos proferre ſolet ejulatus? quas non exſorbere moleſtias? Et nunquid nos, quibus æterna animarum ſalus cordi eſſe debet, officia permoleſta, viliora, modo infirmis proſimus, detractabimus? Quid aliud ſibi vult illa pedum diſcipulorum lotio, quàm ut vel abjectiſſima nos obeamus officia, modò fratres lucremur, iis inſerviamus? *In omnibus oſtendi vobis, oportere, ſic laborando, ſuſcipere infirmos*; ſcil. concedendo de jure, propriis manibus ſibi victum conquiſivit Apoſtolus. 1 Theſſ. 2. 7, 8.

Can. 6. Cum fratribus infirmis, utcunque nobis per omnia non convenit, nec pax abrumpenda, nec animus ab iis abalienandus. *Si quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Non expungit ex fratrum albo, qui non omnimodo ei aſſentiebantur; patienter illos expectat, ſiquando Deus illos ampliori luce colluſtraverit. Apoſtoli, etiamſi in plurimis turpiter hallucinabantur, perfidè in articulo mortis aufugerunt; nihilo ſeciùs *fratrum* nomine inſigniuntur. *Annunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam.* Talem futurum paſtorem Dominum Jeſum, prædixit jam olim propheta; *In brachium ſuum congregabit agnellos, & in ſinu ſuo portabit, fœtas ducet commodè.* Cogitandum illud, poſſe illos ejuſdem cœleſtis gloriæ capaces eſſe, qui tamen, in iis quæ tecti, non fundamenti, haud idem

Cum iis, ubi leviter diſſentiunt, ferendum. Phil. 3. 15

Mat. 28. 10.

Iſa. 40. 11.

no-

nobiſcum ſentiunt. Accedit, quòd eos, à quibus in minutioribus diſſentimus, ſi ſuperciliosè rejiciendo exacerbemus, in ſuis erroribus confirmatiores reddimus; non facilè in eorum ſententiam tranſimus, quos à nobis animo alieno eſſe animadvertimus.

Monendi, ubi periculum, ut caveant.

Can. 7. Monendi, qui infirmi, de iis à quibus illis periculum. Primò, ne de illis temerè judicium ferant, qui in iis, quæ illis ſaltem ἀδιάφορα videntur, ſuâ utuntur libertate. Ad id pronum humanum ingenium, ut eos atro carbone notemus, ac ſi illis nullum ineſſet ſinceritatis granum, quòd illa ſibi licere arbitrantur, quæ nobis illicita videntur. *Qui non edit,* Rom. 14. 3. *edentem ne condemnato, Deus enim eum aſſumpſit: tu quis es qui condemnas alienum famulum?* Secundò, ſuadendum & illud, ne quid dubitante conſcientiâ, utcunque erroneâ, aggrediantur. Quanti enim in animo inde tumultus, cùm ſe aliter feciſſe, quàm oportuit, ſentiant! *Unuſ-* Rom. 14. 5. *quiſque in animo ſuo plenè certus eſto; quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt.* Vel à licitis abſtineant, uſque dum iis ampliùs illuxerit Deus. Tertiò, illis cavendum, ne in ſuâ infirmitate obfirmatiores ſint. Illorum non minima laus, quòd parati ſunt aliter ſentire, quòd non ſuæ ſententiæ emancipati, ſed & dociles ſint, & ulteriori profectui inprimis ſtudeant. *Si quid aliter ſentitis,* &c. Phil. 3. 15. *Eſto unuſquiſque veſtrûm celer ad audiendum, tardus ad loquendum.* Jac. 1. 19. Atque hactenus, de ovibus ſanis; ſive firmæ, ſive infirmæ fuerint. Sequitur ut de morbidis dicam.

CAP.

Cap. XVIII.

Cum vulneratis animo acturus quomodo viam muniat: quomodo item sint & monendi & dirigendi.

OVes morbidæ sunt, vel quæ animo vulneratæ, vel quæ lapsæ: sunt animo vulneratæ, quæ *spiritu fracto* sunt, quæ *defessa*, quæ *ambulant in tenebris, quibus lux nulla.* Ut dextrè succedat hoc omne cum iis negotium 1° Via munienda, ut, ad vulnera obliganda, ritè instructus accedat pastor. 2° Verbum, quod cuilibet idoneum, dispensandum. In viâ muniendâ, Prov. 18. 14 Isa. 50. 4, 10

Can. 1. Eliciendum, ex spontaneâ malè se habentis confessione; quid illud quod animum excruciat. Est autem id, vel absentia boni, vel præsentia mali. Malum quod animum vexat, aut est peccatum, idque vel commissum, vel committendum; aut, quæ infestat, tentatio. Res verò hîc sic transigenda; 1° Ut de nostrâ, in illorum secretis reticendis fidelitate, certiorentur. Nec enim quis, quod ei opprobrio esse potest, reteget, nisi fidelem nactus pastorem, in cujus sinum sua tutò effundat arcana. 2. Ut nos in se benevolè affectos sentiant. Sunt animi morbi & vulnera, quæ nullus libenter contrectari patitur, nisi de contrectantis amore intimo constet. 3° Non vulnus solùm aperiendum, sed & Confessio spontanea elicienda.

quæ ei adhærent circumſtantiæ enarrandæ; ut, ſi peccatum, quoties admiſſum; qualiter animus antè, intèr, pòſt afficiebatur; quomodo inductus, &c. Sic ſi tentatio, quouſque animum obſederit; quæ adhibuêre remedia; quouſque fuêre efficacia, &c. Non curatur vulnus, de quo non plenior cognitio. 4. Si vel pudor, vel periculum quod nobis ex reticentia accreſceret, confitentem prohibet, (ut ſi quis homicidii reus, &c.) id innuendum, ut ſub tertiâ perſonâ, idque per modum ſuppoſitionis duntaxat, ſi non verbis, tum ſcriptis, caſus proponatur.

Diſpiciendum, quæ corum conditio, quoad corporis temperamentum.

Can. 2. Diſpiciendum, quæ afflictorum, ex corporis temperaturâ, ſive naturali, ſive accidentali, conditio. Sequitur anima corporis temperiem; atque in eâ quandoque fundatur, qui animum excruciat, in operationibus gratiæ defectus. Quicquid recipitur, quicquid exſeritur, & recipitur, & exſeritur, pro modulo vel recipientis, vel exſerentis. Sunt alii, quibus id ingenitum, ut animo confidenti ſint; alii meticuloſo; non illi, ut hi, ſive de fide, ſive de reſipiſcentiâ, ſive de ſalute, dubitationibus infeſtantur. Habent alii phantaſiam lubricam & fluxam, alii firmam & ſtabilem: vagis, inter divina, cogitationibus magis obnoxii hi, quàm illi. Habent alii memoriam, ex corporis temperaturâ emergentem, fragilem, alii tenacem: aliquid illis, quod non his, condonandum; non idem ab utriſque exigendum: ut obſervat Gerſon. Sunt porro alii, qui, vel ex morbo corporis vires exhauriente, divinis exercitiis prorſus impares; vel, in quibus invaleſcit, organa corporea depravans, omniáque terroribus replens, atra bilis. Cum his alia, quàm cum iis quibus mens ſana in corpore ſano, incunda ratio.

In remed. contra paſſion.

Can.

Can. 3. Peccatorum diſcrimina, & naturam prout diſcriminantur, penitiùs cognoſcat animarum curator. Nullus vulneri medicinam adaptare poteſt, cujus non antè perſpexerit naturam. Sunt peccata quæ ſcientiæ, quæ ignorantiæ; miſericordiæ hæc, quàm illa, capaciora. Quæ ſcientiæ, alia ex infirmitate, contranitente ſpiritu, alia elatâ manu; hæc atrociora. Sunt alia regnantia, quibus ſponte inſervimus, alia tyrannidem exercentia; vadunt illi in captivitatem, abducuntur hi. Sunt ex his, alia quæ tollunt, pro præſenti conditione, jus in regno, ſed non ad regnum; hujuſmodi, quæ conſcientiam graviùs vulnerant: Amittit, qui ſic labitur, non titulum, ſed, ad tempus, uſum fructum; nec enim id vendicare poteſt, ad quod jus habet: Sunt alia, quæ inadvertentiæ; non hæc vel jus in regno tollunt, cùm, ex ſuâ miſericordiâ, indies condonat Deus. Sunt alia, quæ clancularia; alia, quæ, cùm in oculos hominum incurrunt, cum gravi ſcandalo conjuncta ſunt. Sunt alia, quæ non niſi ſemel perpetrantur; ſunt quæ multoties etiam poſt reſipiſcentiam, repetuntur: ſunt hæc graviora. Sunt, quæ ad mortem, & irremiſſibilia; ſunt alia, quæ, utcunque in ſe atrocia, in Chriſto tamen venialia. Sunt peccata, quæ ex ſe leviora, ex circumſtantiis fiunt graviſſima. Non ſolùm hæc diſcriminet conſolaturus, ſed & porro dijudicet, quid peccatum regnans, quid non; quid remiſſibile, quid non; quid illud quod pro peccato ſcienter commiſſo habendum, quid non.

Qualis peccatorum ſuorum natura.

1 Joh. 2. 1. pſal. 19.

Can. 4. Expendendum, cujus generis ſit dolor, quo afficitur qui ſolamen quærit. Non quicunque dolor, eſt conſolationum Evangelicarum capax. Eſt dolor, etiam ubi peccatum ob-

Quo doloris genere afficiuntur.

tenditur, merè mundanus; ut qui, non à peccato, ſed à malo aliquo exteriori animum vexante, ut ex filiolo chariori amiſſo, ex re familiari naufragante, vel aliàs, exoritur. Danda hîc opera, ubi ex quæſtionibus propoſitis detegimus, ut dolor ejuſmodi tranſeat in dolorem ob peccatum. Eſt dolor, qui melancholicus ſolùm, è corporis δυσκρασία, animum horrendis in phantaſiâ imaginationibus conturbante, proveniens; cùm interim, in conſcientiâ, altum ſilentium. Dignoſcitur hic, 1. Quòd ejus nulla certa ratio reddi poteſt; cùm, qui conſcientia vulneratus, in peccato aliquo particulari, quo angitur, inſiſtit. 2. Habet ſpiritus fractus, pro objecto, aliquid reale; melancholicus, ſolis imaginationibus vexatur, timet non timenda, ſuſpicionibus falſiſſimis laborat; ut Gerſon. 3. Triſtitia, quæ à corporis κακεξία, remediis medicinalibus in ſolidum diſpellitur; quæ à ſpiritu ſenſu peccati vulnerato, non niſi Chriſti ſanguine curatur. 4. Non reperitur dolor melancholicus, niſi ubi corpus obſtructionibus laborat, noxiis humoribus abundat; conſcientia verò, ſub onere peccatorum ingemiſcens, occurrit, ubi corporis temperatura optimè conſtituta. Eſt dolor, qui, cum à conſcientia ſub peccatis fatiſcente, initium ſumit, ab atra bile organa corporea depravante, & per phantaſiam judicium & obtenebrantem & pervertentem, tumultus in animo ingentes excitat. Dolor ille prior non niſi medicum efflagitat; hic alter, qui miſcellaneus, & Medici & Theologi conjunctas operas vendicat; ita uterque ludit operam, niſi alter alteri in ſubſidium venit. Eſt dolor de peccato, ſed confuſus, qui in genere duntaxat, nec habet pro objecto particulare aliquod

quod peccatum. Sic dolenti, peccata ſua particularia ex lege recenſenda, ut habeat ad quod terminet dolorem; nec enim, dum in generalibus verſatur, poteſt pharmacum accommodum adhiberi. Eſt dolor, qui quandoque de grandi aliquo peccato, quandoque etiam de leviori, quandoque etiam de eo quod non niſi apparenter malum, ſuſcipitur, reliquis quibuſcunque ſepoſitis: id ſc. molitur Diabolus, ut, in dolore de hoc vel illo, conquieſcant; nec ad cæteta animum adjiciant. Id intelligant, qui ſic dolent, quòd non id ſat, ut, cæteris prætermiſſis, unum duntaxat in oculis ferant peccatum; niſi aut illa incognita prorſus, aut quæ memoriâ excidêre, aut illa ulteriùs ſcrutandi non datur opportunitas, ut in jamjam morituris. Qui de uno peccato ex animo dolet; dolet ille de omni, quod ei pro peccato, ſi modò in mentem venerit. Monendi ſic dolentes, ut cor vitæque conſuetudinem accuratiùs perquirant, ut ab uno peccato ad alia tranſeant; non ſic in uno hæreant, ut alia quæcunque negligant. Eſt dolor, quem vel timor mortis, vel gravius aliquod flagellum Dei, decumbentibus aut aliàs perculſis extorquet. Oritur hic, ut plurimum, non ex peccati odio; ſed ex mortis, &, quæ inde ſecutura, malorum ſenſu. Compertum id, ejuſmodi pœnitentiam rarò cordatam eſſe. Cum ſic dolentibus cautè agendum; acri inſagine explorandum, cujus generis ſit dolor: nec quòd hîc, etiam ubi meliora polliciti, de gratiâ in Chriſto, niſi hypotheticè, ſermocinandum. Eſt porro dolor legalis, quo cor concutitur, ſed non emollitur; quo petra contremiſcit, at non in pulverem comminuitur. Duplex hic; alius, quo magni in animo tumultus concitantur, omnia

horroribus plena, præ conſcientiæ terroribus cingula lumborum diſſolvuntur, genuáque invicem colliduntur; nec tamen de Chriſto diſtinctè cogitant, nedum ad eum ex animo feſtinant. Dolor hic, ut ulcera, ad maturitatem perducendus; nec enim adhuc conſolationum Dei capax, ut qui plerunque in nihilum evaneſcit. Eſt alius dolor, quo ſpiritus ſervitutis opus ſuum adimpleverit; cùm ſic peccatis onuſti, qui dolent, ut conditionis tam miſerandæ tædeat, de remedio ſunt abundè ſoliciti, ad Chriſtum feſtinanter properant; facit hic, ut, in ſe deſperabundi, aliò ſe recipiant. Denique eſt dolor Evangelicus, quo quis de peccatis, ut quibus Deum omni modo beneficum, miſericordem, læſerit, ex animo dolet. Cor hîc duritiem exuit, mollitiem induit, ejus petroſa natura aufertur. Pro diſpari doloris naturâ variè dolentibus ſe accommodet paſtor.

Quæ ſit eorum conditio ſpiritualis.

Can. 5. Explorandum, quæ illorum qui animo abjecto ſunt, ſpiritualis ſit conditio: Sintne carnales, vel ſpirituales; ſub lege, an ſub gratiâ. Examen hoc, ex quæſtionibus dextrè propoſitis, quibus quid in corde latet diſcooperiant, inſtituendum. Nec non ad totam vitæ conſuetudinem attentus ſit paſtor, nunquid reperiat, quod profeſſioni, quam præ ſe ferant, ἀνάμαλον ſit, ſingula rimetur, ut de afflicti conditione ſpirituali ritè judicet. Plurimùm id refert; cùm inde periculum, ſi carnales ut ſpirituales alloquamur, 1. Ne eos vanâ ſpe lactemus, fallacem de ſeipſis opinionem imbibant. 2. Ne nomen Dei in vanum ſumatur, ſi conſolationes, quæ iis non conveniunt, ut portio ſua aſſignentur. 3. Ne paſtori ſint dedecori, cùm dein ut carnales ſe detexerint, quos ipſe pro ſpiritualibus habuit. Atque ſic via munienda.

Sequi-

Sequitur, ut dicam, Quomodo verbum, quod cuique idoneum, dispensandum. Cui inservit Canon hic generalis.

Canon. Verbum, defessis accommodum, tum demum dispensatur, si in aliquibus præmoneantur, in aliis dirigantur, in aliis subleventur. De multis præmonendi.

Præmonendi 1. Ne tam in nos, quàm in Deum, qui solus consolationum fons, oculos defigant. Id duntaxat penes nos, ut verbum, quod illis congruum, seligamus, proponamus, applicemus. Non solatium præbet, quod vel dextrè accommodatur, nisi cœlitùs proveniat efficax Spiritûs afflatus. *Ego ipse sum consolator vester.* Isa. 51. 12. 2 Cor. 1. 3. Deus dicitur esse *omnis consolationis Deus.* Proni in id, qui animo vulnerati, ut consolatoribus tribuant supra quod par. 2. Ne illico vel à Deo salutem expectent. Ei attendant oportet, usque dum advenerit tempus præstitutum. *Qui credit ne festinet.* Habemus nos tempus quod nostrum, Deus quod suum. Solus sapit qui consolatur, & tempus maximè opportunum deligit. *Præstolabor Jehovam, qui abscondit faciem à domo Jahakobi. Bonus est Jehovah ipsum expectantibus*, &c. *Benè est acquiescenti in salute Jehovæ.* 3. Ne sic post consolationes anhelent, ut vel 1. Se miseros putent, quòd, ad tempus, illis lucem vultûs sui subtrahit Deus. Tutior enim illa conditio, in timore & sollicitudine esse, quàm gaudio reperi. Ut Gerson. Spiritualium consolationum utilior subtractio, quàm concessio, &c. Avidus, vel minùs confidens, qui ex sui discussione sedula contremiscit, trepidat, est Deo propinquior, quàm qui dulcedine devotionis, cui plerunque se immiscet Diabolus, fruitur: in hunc sensum ibidem Gerson. Vel 2. ut officia, quæ vel Deo vel hominibus debent, negligant. Plerun-

Isa. 8. 17. Lam. 3. 25, 26.

Pag. 3. in remed. contr. pusillam.

runque, ad levamen attentiores, qui conſternati; quæcunque illis incumbunt neceſſariò facienda, ſúſque déque habeant. Citiùs multò, fideliter quod ſuum facientibus, ſpiritum conſolationis immiſit Deus, quàm iis, qui, charitatis officiis poſtpoſitis, à terroribus immunitatem importunè efflagitant. 4. Præmonendi, ut tam reſponſis auſcultent quàm dubia multiplicent. Proni in id, qui ſic infeſtantur, ut omnem qualemcunque conſolationem averſentur, ut objectiones de novo excogitent, ut datâ operâ ad ea quæ dicuntur oculos occludant, ut nunquam finiendis quæſtionibus locus ſit.

In multis dirigendi.

Atque de his præmonendi; ſequitur in quibus dirigendi. 1. Primo, Ab otio, ſolitudine, reticentiâ caveant. Ab otio; *nec enim eſt aliqua cogitatio, tam turpis, tam abominabilis, mala & exſecranda, quam non*, Ut Gerſon, *inveniet otioſitas. Nam cor vacantis otio*, ait idem, *eſt inſtar molendini, quod, cùm non habet ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſum; etiam ad totalem ſui conſumptionem, & deſtructionem, niſi prohibeatur alicujus diligentiâ.* Eſt itaque legitima vocatio, cui diligenter incumbimus, optimum contra tentationes antidotum. Eſt quilibet in otio contabeſcens, ut domus illa recèns verſa & ornata, in quam redeunt, qui modò egreſſi videbantur, ſeptem ſpiritus mali, atque illiç habitant. A ſolitudine caveant, quòd & triſtitiam adauget, & faciliùs à tentante circumve-

Eccl. 4. 10. niuntur, cùm non adeſt qui ſuccurrat. *Væ ſoli. Cui enim non eſt adverſus omnes ſatis virium, circumvenire quærit ſolitudinem ſingulorum*, ut ait Cy-

Ep. 1. prianus. Denique, nec ſilentio premant, quæ illos malè habent; ne, ut vulnera quæ occul-

tan-

tantur, intùs putrescant. Sunt animi vulnera, quæ, vel retegendo, sanantur; sunt, quæ, pectore conclusa, animum exedunt; scil. id suggerit Diabolus, vel phantasiam vel Scripturas depravando. Non sic peccâsse quemlibet; Quòd à Deo finaliter rejecti, qui sic. Aliorum, quibus Deus dedit linguam eruditorum, hîc implorandum judicium; cùm in id nos proni, ut turpiter hallucinemur. *Qui confidit animo suo, stultus est.* Carnificinam heu quantam pertulerunt, Satanæ tentationibus quàm sunt absorpti, qui sua omnia celata voluêre; nil aliis detegunt, omnia in sinu devorant! 2 Secundò, Dirigendi, ut, plerisque Satanæ tentationibus injectis, non disputando, sed aliò animum avertendo, obsistant; ut quæ de αὐτοκλονίᾳ, quæ de blasphemis in Deum cogitationibus, & siquæ porro in animo conclusæ manent. Viscosæ sunt hæ naturæ, quò quis se iis expedire intentiùs conatur, ita immergitur magis. Cum Christo potiùs dicendum, *Abi Satana; sic enim scriptum est* &c. Sic, in Deum blasphemias evomenti Rabsake, *non responderunt ei quidquam.* Potius in Dei sinum effundendæ querelæ, nostræ. Hoc suadet Gerson. *Tentatio illa gravis & turpis blasphemiæ, seu quæcunque alia quæ in sola cogitatione versatur, vincitur potiùs eam contemnendo, & se de eâ excutiendo, & ad alia fortiter mentem retrahendo, quàm multùm cum ipsâ litigando, repugnando, disputando.* Et idem, *In quantum enim quis nititur sufflando fortiter extinguere magnum ignem, amplius de tanto ignis inflammescit vehementiùs & augetur citiùs*, &c. Et alibi; *Frequentiùs, hæ cogitationes meliùs vincantur, si eas nihili pendimus aut curamus, sed aliis in rebus occupamus animum, quàm si eas vi nitamur propellere.*

Prov. 28. 26.

Isai. 36. 21.

Tract. de modo se habend. contr. mal. immiss.

De diverss. tentat. ion.

lere. Tertiò, Dirigendi, ne ſic terroribus triſtitiæ, vel de ſalute dubitationibus, indulgeant, ac ſi, ex iis, Deo commendati magis. Extrahit quandoque, qui ſolus poteſt lucem ex tenebris, ex angoribus his ſpiritum de novo formatum; non ipſi ex ſe tale quid producunt. Ut cardui fertiliores, non ex ſe agricolæ arrident, ſed quòd ſoli pinguedinem denotant: ſic qui animum perturbant ſcrupuli, non à ſe probandi, ſed quòd cordis rectitudinem arguunt.

Quomodo ſublevandi.

Atque ſic dirigendi; ſequitur ut dicam, Quomodo ſublevandi. Hic labor, hoc opus. Quod ut fœliciùs ſuccedat; Primò diſcriminandi, pro ſuâ variâ conditione, qui animo vulnerati; alii terroribus legalibus duntaxat conſternati jacent, qui adhuc ſub lege, id eſt, in perditâ conditione; alii qui porro Evangelicè dolent, & ſub gratiâ. Variè mutanda vox, ut conditionum diſparitas. Secundò, Aliquid cavendum, ne in ſublevando aberremus. Quod ad primum; ubi diſcriminavimus, ſic progrediendum.

CAP. XIX.

Cum legaliter vulneratis quomodo agendum.

Legaliter territi, ſuo tempore, ad amplectendum promiſſa invitandi.

QUi dolore legali conſternati, tempore ſuo, ad promiſſiones, de miſericordia per Chriſtum obtinendâ, amplectendum, invitandi. Dico, tempore ſuo, id eſt, cùm ſpiritus ſervitutis tranſegit quod ſuum, ſcil. cùm verè volentes ut Chriſtum participent, cæteris qui-

quibuſcunque vilipenſis, illo fruantur. Navigat hîc inter Scyllam & Charybdin paſtor: nec enim diutiùs, quàm par eſt, in ergaſtulo legis concludendi, nec citiùs quàm oportet, educendi. Magnum ex eo periculum, ſiquando vulnera, quæ, intùs tabida, ulteriùs corrodi oportebat, ea ſtatim medicamentis lenioribus curantur. *Ubi homines ſenſerint, quàm graviter deliquerint*, ait Calvinus, *illic non ſtatim curandus eſt dolor, quemadmodum impoſtores deliniunt conſcientias, ita ut ſibi indulgeant & ſe fallant inanibus blanditiis. Medicus enim non ſtatim leniet dolorem, ſed videbit, quid magis expediat; fortè magis augebit, quia neceſſaria erit acrior purgatio. Sic etiam faciunt prophetæ; cùm vident trepidas conſcientias, non ſtatim adhibent blandas conſolationes; ſed potiùs oſtendunt, non eſſe ludendum cum Deo; & ſolicitant, ſponte currentes, ut ſibi proponant terribile Dei judicium, quò magis ac magis humilientur.* Et Cyprianus ſic: *Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggerat; aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putaminibus amputatis fortiori medelâ curandum. Vociferetur & clamet, licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget poſterùm cùm ſenſerit ſanitatem.* Et Auguſtinus: *Medicus crudelis eſt, qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini.* Et Caſſiod Rab. *Hic lavacra molita, ille ferrum quærit ad vulnera.* Perinde & illud ſatagendum, ne, legalibus fulminibus proſtrati, dolore abſorbeantur; ſpes illis faciunda, poſſe, ſi modò credant & reſipiſcant, miſericordiæ divinæ participes eſſe. Dico, debitè humiliatos, tempore ſuo,

In Joel c. 2

Serm. de la. ſis.

In Pſal. 34

In Matth. 9

ut

ut promissa amplectantur, invitandos. Aliud enim est applicare, aliud invitare ut ipsi applicent. Iis, qui sub gratiâ, duntaxat promissa applicamus; vel eos qui extra sunt, ut ipsi fide accipiant, provocamus. Huc conducit, 1° Ut, quæ ad credendum alliciant, in unum aggregentur. 2° Ut, quæ impediunt, remoræ amoveantur.

Incitamenta proponenda.

Quæ ad promissiones de gratiâ per Christum amplectendum alliciant, sunt ex aliis hæc:

Primò, Quòd Deus suo mandato, cui ex mandantis authoritate adstringimur, fidem in
1 Joan. 3. 23. Christum exigit. Non nobis liberum, sed, ut à Deo impositum, necessarium. Mandatum est, non legale, sed, quod ad vitam æternam ducit,
Joan 12. 50. Evangelicum. Mandatum, cui adest qui mandavit, ut ei obtemperandi facultatem tribuat.

Secundò, Quòd promissis divinis adhærentes, Deum, ut quem & infinitè misericordem, & omni modo veracem agnoscunt, honore summo afficiunt; qui secùs, & eum, cùm mendacem, fidem non adhibendo, faciunt, ignominiâ omnium turpissimâ dedecorant; & in misericordiam, quæ omnium uberrima, quam non credendo vilipendunt, peccant atrociter. Gratia sc. Dei in Christo, quæ ineffabilis, oblata respuitur. Annon hoc peccatum omnium, quæ unquam fuêre, atrocissimum? *Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credidêre in me. Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*
Joan. 16. Heb. 2.

Tertiò. Quòd Christus, qui patris expressa imago, neminem, qualicunque morbo affectum, cujuscunque peccati reatu constrictum, opem ejus efflagitantem rejecit. *Qui venit ad me*, sive
Joan. 6. 37. Judæus, vel Gentilis, sive Barbarus, vel Scytha,

Scytha, ſive ſervus, vel liber, *non ejecerim foras.* Etiam in eos, qui non opem ejus implorarunt, miſericordiam exercuit; ſic & *ab iis, qui non quæſivêre, inventus eſt:* multò magis iis, qui ad ipſum oculos indefeſsè dirigunt, ab eo, ut peccata remittat, toti pendent, illum ἀδιαλείπτως quærunt, ſui copiam faciet. Luc.7.13,14. Iſa.65.1.

Quartò, Quòd ſub peccatorum onere ingemiſcentes, ad ſe ut veniant, peramanter invitat. Invitat ille, qui potiùs rogandus erat: nec ipſe ſolùm, dum in terris, invitavit, ſed, & in cœlos ſubvectus, ſuos ſubſtituit legatos, quibus id negotii concredidit, ut orent, obſecrent, etiam alienos, qui inimicos, *ut Deo in Chriſto reconcilientur.* Etiam ærumnoſis, pauperibus, cæcis, nudis, conſilium dat, *ut emant ab eo aurum igni exploratum*, &c. non ſubtrahet, qui conſilium dat ut emas. Matth.11. 2 Cor.5. 20 Apoc.3.17.

Quintò, Quòd vel trepidanter ad ſe venientes, ut mulierem hæmorrhoiſſam, vel etiam aliorum humeris ad ipſum deportatos, gratioſè ſuſcepit, pro ſuâ miſericordiâ ſanavit, *etiam fumigans linum haud ſe extincturum* promiſit Dominus Jeſus. Quis non ad eum, miſeros ſic commiſerantem, accurreret, in ulnas miſericordiæ ejus ſe projiceret, utcunque miſerrimus, utcunque vel humi duntaxat ſerpens? Luc.8.47. 48. Marc.2.3,5. Mat. 12. 20.

Sextò, Quod Evangelica, ad Chriſtum participandum, invitatio eſt indefinita: quiſquis famelicus, ſiticuloſus, quicunque vult, veniat ad aquas, emat, bibat. Cur quis ſe excluderet, cùm id non conſtet, quòd Deus aliquem quem vocat excluſerit? Iſa.55. Joh.7.37. Apoc.22.

Septimò, Quòd Chriſtus, in iis quæ ab ipſo ad nos deveniunt beneficiis, gratis communicatur; omnia ex gratiâ: Etiamſi non adſit pecunia,

cunia, vel pretium. *Non propter vos, ego facturus sum, sed propter nomen sanctitatis meæ.* *Curabo aversionem eorum, & amabo eos liberâ animi voluntate*, Non coactus. *Gratis justificari* dicimur. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Qualis sis vel fueris, quid refert, ubi omnia ex merâ gratiâ?

Esa. 55. Ezek. 36. 22. Ose. 14. 5. Rom. 3. 24. Apoc. 22.

Octavò, Non tanti id apud Deum, quid afferimus, quàm, quid ex animo parati sumus accipere. Est Christus, & quæ in illo divitiæ, donum Dei; Ut donum accipiamus, sufficit quòd velimus. Nec fides, quâ accipitur Christus, tam ad promissa afferenda, quàm ab iis referenda. Ea enim multoties in animo recolendo, iis meditatione quasi incubando, soliloquiis nosmet exsuscitando, sensim illabitur fides.

Nonò, Quòd Deus, quicum in Christum credendo nobis negotium est, omni modo misericors arguitur, 1° A naturâ Dei, in quâ cùm fundetur misericordia, necesse id ut sit infinita, adeóque peccatis quibuscunque, cùm finita, præponderet. 2° A Scripturis, in quibus graphicè delineatur; ut *Exod.* 34. *Ose.* 11. 8. *Psal* 103. *Mic.* 7. 18. *Esa.* 55. 7, 8. 3° Ab affectu, ad commiserandum summè propenso, *Psal.* 32. 5. *Inquiebam, confitebor defectiones Domino, & tu sustulisti pœnam peccati mei.* *Tu quamvis scortata sis cum amicis multis, tamen revertere ad me, dictum Jehovæ.* *An ullo pacto delector morte improbi? Ne vivam, si delector morte improbi, sed delector cùm revertitur*, &c. *Cum longe adhuc abesset, vidit eum pater, & intimâ misericordiâ commotus est, & accurrens incidit in collum ejus*, &c. Filius ad patrem non nisi proficiscebatur, pater ad filium accurrebat. 4° Ab exemplis, eorum qui omnium deploratissimi, in quos Deus nihilo

Jer. 3. 1.

Ezek. 18. 23. & 33. 11. Luc. 15.

Isa. 30. 18.

seciùs misericordiam exercuit: Ut Adami, Manassis, Judæorum, *Isai.* 1. Mariæ Magdalenæ, Pauli Apostoli; *Et hæc eratis quidam, sed*, &c. 1 Cor. 6. 11

Decimò, Non credentium miseranda conditio, credentium omnium fœlicissima amplificetur, ad vivum depingatur: atque his, aliisque ejusdem generis, suadendum, legaliter vulneratis, ut credant.

Sequitur, ut remoræ, quæ, quò minùs credant, impedimento sunt, amoveantur. Sunt illæ, ex aliis, hæ.

Primò occurrunt, qui suam causantur, præ aliis, indignitatem. His hæc, vel quæ id genus, ut animo recolant, suggerenda. 1. Quòd, ad Christum patet aditus, non quia digni, sed ut digni simus. Quid opus Christo, nisi indignis? In eo illustrior gratia quæ in Christo, quòd omnium indignissimos restituit, ad salutem æternam perducit. 2. Quòd hæc omnium, antequam vocati, sors communis, quòd suo sensu peccatorum maximi; quis unquam, priusquam gratiam quæ in Christo amplexus est, in se dignitatem aliquam antecedaneam animadvertit? Superbiæ id, ut nobis aliquid præ aliis arrogemus. 3. Quòd, quo indignitas cujusque suo sensu major, ita gratiæ quæ in Christo capacior. Receptivitas est pro gradu vacuitatis; ut quis vilior, dejectior, ita in hunc uberiùs effundit Deus suam misericordiam. Vina dulcissima, in hypogæis profundissimis reponimus, aquas pretiosas non nisi vasis vacuis infundimus. *Descendit iste, potiùs quàm ille, justificatus, ad domum suam. Quisquis fatuus, huc divertat; quisquis demens, venite, vescimini cibo meo*, &c. Luc. 14. cap. 22. *mendicos, & mancos, clau-* Remoræ amovendæ. Rom. 3. 13. Luc. 18. 14. Prov. 9. 4. 5.

claudósque, & cæcos, huc introducito. 4. Quòd ille indignitatis ſenſus, qui nos ab acceſſu ad Chriſtum arcet, non eſt à Deo; exigit ille ejuſmodi duntaxat gradum, qui nos ad Chriſtum cogat; eſt à Diabolo, qui nos à Chriſto prohibet. Laus illa Cananææ, quòd, utcunque canibus annumerabatur, micas tamen, quæ cadebant à mensâ, vendicabat. 5. Quòd pretium pro peccato exſolutum infiniti vigoris, valoris; cùm ub eo, qui tam Deus quàm homo, præſtitum. Quam non æquiparat dignitatem ſanguis Dei effuſus? Miſericordia, quæ in Deo, non poteſt non exerceri pro amplitudine meritorum Chriſti; quæ cùm pro dignitate perſonæ infinita, neceſſe id, ut exſuperent qualemcunque indignitatem. In Chriſti merita injurii, qui ſuam indignitatem, quò minùs ad eum accedant, obtendunt. 6. Quòd Chriſtus, dum in terris, datâ operâ omnium indigniſſimos, è peccatoribus omnium graviſſimos, ad gratiam participandam vocavit: Ut Zacchæum, fœminam peccatricem, Mariam Magdalenam, publicanos, meretrices. Hoc conſilio ſic factitatum, ut, & ſuam exuberantem, in peccatis condonandis, miſericordiam palàm faceret; &, qui indigniſſimi, ſpem veniæ conciperent. 7. Quòd qui neminem, dignitate aliquâ inhærente ductus, vocavit, nec rejicit propter indignitatem. *Vocavit nos, non ex operibus, ſed ex ſuo propoſito & gratiâ.* Mat. 15. 27. 2 Tim. 1. 9.

Secundò; alii, Chriſtum per fidem accepturi, plures interponunt conditiones, quàm interpoſuit Deus; ut, quòd non ſat humiliati, non adhuc ſanctificati. His hæc proponenda. Primò, humiliatio, ſive dolor pro peccatis, eſt vel legalis, vel Evangelicus. Evangelicus non præcedit,

dit, sed sequitur credentem; credendum, ut sic doleas. Qui legalis non requiritur ut conditio, absque quâ nullum ad Christum jus; sed, ut dispositio, quâ ad Christum recipiendum verè volentes reddimur. Non enim quis ad Christum accelerat, usq; dum se verè miserum senserit. Quisque potest ad medicum accurrere, ab eo medicinam petere; nullus tamen ad illum se recipit, nisi ægrotus. Atque ut hic ex morbo graviori, ille ex leviusculo, uterque ad medicum accedens, tam hic quàm ille medicinam reportat, medici beneficio fruitur. Sufficit ille morbus, qui cogit ad medicum; & ille dolor, sive intentior sive remissior, qui ad Christum deducit. Non Deo id gratum quòd quis, dolore legali consternatus, animum despondet; sed quòd, sic vulneratus, Christum præ totius mundi gazis æstimet, ad eum toto impetu feratur. Quod exigit Deus non nisi propter finem; ejus ille, qui fini inserviat, sufficit gradus. Non ait Christus, si quis taliter sitiat, veniat ad me; sufficit, quòd eatenus sitiat, ut lubenti animo accedat. Humiliatos, non ex gradu, sed ex veritate, metitur Deus. Secundò, sanctificatio, sub quâ intelligo justitiæ amorem, peccati odium, &c. non est conditio novi fœderis; sed est res promissa, fœdere involuta, quæ fide recipitur. Non fides promissis de Christo communicando subtrahenda, quòd non sanctificati; sed credendum, ut sic, fœderis ex fide participes, sanctificemur, ad quodvis bonum opus habiles simus. Non illa fœderis Evangelici formula, Fac, ut credas; sed, Crede, ut facias. Christus elevatur ad dexteram Dei, ut det resipiscentiam; non, ut primò Evangelicè resipiscentes, dein credant. Eapropter à credendo temperare, quia benè agendo impares simus, est acsi cibum quis repudiaret,

diaret, quòd pro inediâ langueſceret. 2° Promiſſis credendum, quia nobis à Deo exhibentur; non quia Spiritum ſanctificationis recepimus: nec enim, quod naturâ poſterius, poteſt eſſe pro fundamento ei quod prius eſt. 3° Vacillaret, neceſſe eſt, fides, ſi ſanctificationis fructibus, qui nonnunquam latent, ſe ex oculis hominum ſubducunt, in totum niteretur: id ei pro fundamento ſubſternendum, quod non mutationi obnoxium, ſed ſemper idem. Hoc ſolùm eſt, promiſſio divina, in Chriſto, à Deo verace & immutabili, facta & oblata.

Tertiò, Sunt qui ordinem invertentes, à credendo prohibentur. Sic illi, 1° qui minimè credunt, quòd non electi. Quibus ſic reſpondetur: 1° Quòd, non decretum Dei, quod abditum; ſed, voluntas ejus in verbo revelata, nobis eſt pro norma. Eſt hoc, in arcana Dei ſe ingerere, quod temeritatis maximæ. 2° Credendum, ut probemus nos eſſe de numero electorum; non eouſque à credendo deſiſtendum, uſque dum nos ſciamus eſſe electos. Nullus in Chriſtum credit, quia ſe novit electum eſſe; ſed, ut ſe electum cognoſcat, credat oporter.

Deut. 29.29.

2° Et illi ordinem invertunt, qui ex eo promiſſis credere abnuunt, quòd ad eos ſolùm pertinent promiſſa qui jam credunt. Quibus ſic reſp. Aliud eſt jus ad promiſſa, aliud jus in promiſſis. Ut quis jus habeat in promiſſis, neceſſe id, ut priùs credat; ut jus habeat ad promiſſa, quod credituris ſat eſt, ſufficit promiſſorum promulgatio, oblatio. 2° Quod ſupra dictum; ſunt promiſſa, iis qui credituri, pro fundamento, in quibus ſuam reponant fiduciam; non acſi promiſſis nil iis negotii, niſi qui jam credunt.

credunt. Fides est à promissis; ea in animo versanda, reportanda; non, priusquam ad illa animum advertimus, supponenda.

3 Et illi qui credere nolunt, eò quòd Christi merita haud possunt sibi applicare. His sic resp. Quòd applicatio sequitur fidem, non antecedit; ubi enim quis fide in Christum se volvendo conjecerit, ad peccatorum remissionem obtinendam, exin ut in meritis Christi, quæ jure ut sua vendicat, glorietur. Promissum enim cùm, in eo quod exigebat, impleverit; rem promissam sibi, ut suam, applicet.

Quartò, Sunt qui seipsos ex rationis modulo, non ex verbo Dei metiuntur, ut qui nil crediturí nisi quomodo id fiat comprehendant. Atqui *non ex sensu, sed ex fide vivendum.* Abrahami laus, *quòd non corpus suum mortuum consideravit*, &c. Alii temerariam præsumptionem, si credant, arbitrantur. At non præsumit, qui, vocatus, venit. *Confide, surge, vocat te*, sc. quemlibet peccatis defessum. Alii, sed falsò, humilitatis esse autumant, ut à credendo abstineant. At obedientia, quæ in credendo præstatur, speciosâ hâc humilitate multò gratior; ut videre est in Petro. Deus multò magis honoratur, fidem promissis de misericordiâ adhibendo, quàm ad justitiam & potentiam solùm contremiscendo. Quid denique nobis, ubi promissis præceptísque divinis credendum, cum ratione; quæ, ut ignis fatuus, in devia abducet? Qui derelinquunt lucem verbi Dei, humanæ rationis scintillulis auscultantes, in dolore morientur.

Rom. 4.

Marc. 10. 49.

Joan. 13. 8.

Isa. 50.

CAP. XX.

Cum Evangelicè dolentibus quomodo agendum.

Evangelicè dolentibus promiſſiones ratihabendæ.

EVangelicè, ut qui ſub gratiâ, dolentes, de reconciliatione cum Deo certiorentur. Sic dolentibus, non ſolùm proponendæ gratioſæ in Chriſto promiſſiones, ſed etiam porro ratihabendæ; quibus ſc. ut ſuâ ſorte gaudeant. Maxima inde in conſcientiis hominum, etiam ad Deum converſorum, certamina naſcuntur; cùm, non eſſe ſub gratiâ, ſuggerit Diabolus. Recurrendum hîc paſtori, ad illa gratiæ minima indicia, quibus, ſic affectos, ſub fœdere eſſe evincat. Minima autem illa gratiæ indicia deſumenda, vel ab affectibus, ut circa bona ſpiritualia verſantur; vel à modo, quo peccatum in regenitis exſiſtit. Affectus hi, præ aliis, ſunt Amor, Deſiderium, Gaudium.

Minima indicia gratiæ ſumuntur, vel

1. Ab Affectibus circa bona ſpiritualia.

Amore.

Primò, quicunque amat quod bonum, vel bonos, propter bonitatem, oderit quod malum, ille ſub fœdere. Theſis hæc 1 Explicanda, 2 Probanda, 3 Dicendum, quis ſic amat, quis ſic oderit.

1. Bonum eſt, vel Morale, ut quod in irregenitis, vel Ethnicis, occurrit: vel Spirituale, quod tam malis quàm bonis commune; ut ſunt dona, quæ appellant Scholaſtici, gratias gratis datas: Vel ſalvificum, quod a Spiritu ſanctificationis proficiſcitur, ut timor, amó que Dei, carnis mortificatio, vivificatio, & quæcunque ut Sp. ſancti

ſancti fructus germani ēnumerantur. Ad hæc regenerationis effecta, non ad illa, terminatur amor ille qui fœderati character. Bonitas, ſive in abſtracto, ſive in concreto, ut in bonis, amanda. Non id ſat, quòd bonum, vel bonos, approbemus; quòd his favemus, reverentiam exhibemus, benefacimus, vel illud laudamus; velleitate quâdam incompletâ ad id propendemus. Et bonis immiſceat ſe ſpiritus noſter, & bono conglutinetur amantis anima, ei intimo affectu adhæreſcat. Nec enim id ſufficit, quòd nobis cum illis convenit, ut globi in puncto; ſunt contigui, poſſunt, in eodem tertio, & boni & mali convenire; in utrinque agnitis ſanctitatis officiis, ut vaſa, quorum unum contegit alterum, coaptentur oportet. Malum, quod odio habendum, eſt, cujuſcunque generis peccatum; ut, in aquâ, par guttulæ, & totius Oceani, ratio; ſic, quoad ἀνομίαν, unius & omnium peccatorum. Non ſat id, ut à malo quis deſiſtat; niſi, ut bono repugnans, odio habeat: non quòd ei ad tempus ſuccenſet; niſi porro, quod eſt odiſſe, aboleri cupiat. Gal. 5. Eph. 5.

2. Qui ſic, & bono & bonis, intimo affectu adhæret; quòd ille regenitus, conſtat; 1. Quòd intimus amor fundatur in ſimilitudine amantis & amati. Eſt enim amor, conſonantia appetitûs rationalis ad apprehenſum, ut conveniens; ſic Aquinas. Non niſi ſanctus, ut qui eâdem ſanctitate imbutus, amat ſanctum. 2. Omnes alii affectus radicantur in amore, ab eo profluunt; eſt animæ regina; amor eſt animæ quod gravitas lapidi; hinc animæ pondus vocat ſchola; quò fertur, eò propendet tota animi vis. Eſt à Deo regenitus, qui toto animæ impetu bono & bonis adhæreſcit. 3. Tranſit amans in naturam amati.

Amoris ille effectus est, unio amantis & amati;
1 Sam. 18.1. est amor connexor, ponit amantem in amato.
Qui unus spiritu cum bonis, necesse ut bonus;
Jer. 31.33. qui coalescit in unum cum bono, ejus cordi
1 Joan. 5.1. legem suam inscripsit Deus. 4° Qui amat regenitum, necesse ut amet regenerantem; qui imaginem deperit, multò magis amat prototypum. 5° Qui bonis intimo affectu ferruminatur, is eâdem cum illis gloriâ æternâ gaudebit. *Psal.*
1 Joan. 3.14. 15. *Matth.* 10. 41. Porro, qui peccatum, quà peccatum, oderit, ille regenitus. 1° Quod timor ille Jehovæ, quo boni à malis secernuntur, hoc indigitatur. 2° Amor ille
Prov. 8.13. quo nos sibi desponsat Jehova, odio mali, ab
Psal. 97. 10. adulterino dignoscitur. Ecclesiam Ephesinam non
Apoc. 2.6. Heb. 1.9. à Deo defeciisse, id indicium, quòd Nicolaitarum facta oderit. 3° Ejusdem partûs gemelli, diligere justitiam, & odisse transgressionem;
1, 2 qu. 29. art. 2. aliud sc. ex alio enascitur. *Cum enim*, ut Aquinas, *nihil odio habetur, nisi quod adversatur bono convenienti, quod priùs amabatur; omne odium ex amore nasci necesse est.*

3° Videndum, quomodo id, bonum vel bonos amanti, innotescat, quòd amat, quod sincerè amat. Amare arguitur, 1° Si nil æquè exPsal. 16. hilarat, ac si utrisque frui datur, bonum ut faciat, bonis ut se adjungat. Nil æquè contristat, ac ab utrisque secludi. Id perditè amamus, quo si potiamur, digito cœlum attingimus. 2. Si iis præ aliis indignemur, qui vel bonum aversantur, vel bonis injurii. Amor intensior nihil ægriùs fert, quàm despicatui haberi quod unicè diligit; ira hîc amori famulatur. 3. Si nobis nil in votis magis, quàm, ut, quod cupimus, bonum faciamus, vel bonorum consortio fruamur. 4.
Heb. 6.10. Si præ aliis peculiarem erga illos affectum, ut occasio

occasio fuerit, exprimamus. Sic Deus non parem erga improbos ac bonos testatur amorem. Bonis autem tum sincerè & cordatè adhærent, 1. Qui omnes sanctos, non quosdam duntaxat, amplectuntur. *Charitatem audiens in omnes sanctos.* 2. Qui reliquis sanctiores, eos affectu ardentiori si prosequamur: pro pietatis ampliori mensurâ, exardescat magis dilectio. 3. Si eos, quorum dispar nobis à naturâ genius, tamen Christi causâ complectimur. 4. Si qui nobis nec benefecerunt, nec benefacturos verisimile, eos nihilo seciùs diligimus. 5. Si iis, de quorum pietate & sanctitate non nisi auditione accepimus, corda nostra adhærent. Perinde sincerè quis peccatum odisse putandus est, 1. Qui omnia ut unum oderit. Est odium, ut Arist. περὶς τὰ ἥθη. 2. Qui peccatum, in quocunque, vel sibi charissimo, odio prosequitur: haud toleret, ubicunque invenerit. 3. Qui vili æstimat, quos peccatum viles reddidit. *Psal.* 15. 4. 4. Qui quicquid nobis vel occasio mali, *Jud.* v. 23. vel speciem mali præ se fert, quâ sic, 1. *Thess.* 5. 22. odio habet; non solùm rem deformem, sed & ejus effigiem, odisse oportet. 5. Qui constans est, ita ut nec aliquando intermittat, nec cum eo reconciliatur.

Philem. v. 5.

Psal. 119. 104, 128. Deut. 13. 26. & 33. 9.

2 Reg. 3. 13.

2 Chron. 19. 2 Prov. 29. 27.

Secundò, Qui toto cordis desiderio fertur, tam ad gratiam, quàm ad misericordiam, is sub fœdere. Est gratia, quâ peccatrix natura deponitur, spiritus mentis tam ad bonum peragendum, quàm ad malum vitandum, renovatur. Est misericordia, quâ à maledictione quis liberatur, & lucido Dei in Christo vultu fruitur. Cordis desiderium totum, Evangelicè, non legaliter, intelligendum. Sic est, cùm abest illa cordis duplicitas,

Desiderio.

quâ aliud quid pari affectu prosequimur. Desiderium hoc sit, 1° Rectè fundatum: sic erit, à corde ex sensu peccati contrito; simul ab electione absolutâ, non à velleitate incompletâ, oriatur. Absoluta illa electio, cùm, singulis subductis, viam præceptorum Dei eligimus. 2° Feratur in spiritualia hæc, ob insitam pulchritudinem, Cant, 1. 3. Non solum, quia nobis commoda. 3° Sit constans, ut quod, cùm in voluntate radicatur, habet causam perpetuantem, nunquam evanescit, utcunque remittatur. 4° Sit fervens & intensum: ut, quod obstacula quæque perrumpit; alia quæcunque desideria, ut cui obversatur nobilius objectum, restinguit. 5° Sit efficax: ut quod, pro mensurâ gratiæ, in usu mediorum se exserit; non pigrum, aut ut desidiosi, *Prov.* 13. 14. & 21. 25. Ejusmodi desiderium Deo gratum esse arguitur. 1° E Scripturis. *Jehova propitius sit ei, qui animum suum comparaverit*, &c. *quamvis non sit*, &c. *Sit auris intenta in orationem servorum, qui cupiunt revereri nomen tuum. Desiderium mansuetorum audivisti Jehova. Voluntatem timentium se fecit.* Jer. 29. 13. *Quærentes me invenietis*, &c. Thren. 3. 25. *Bonus est Jehova animæ requirenti ipsum.* 2. A candido illo, qui in Deo, affectu; quo sic in suos propendit, ut voluntatem pro facto habeat, desiderium pro re peractâ. Ut filiis indulgent parentes, ut sponsus sponsæ; sic Deus suis. Si homines, pro suâ ingenuitate, affectum pluris æstiment, quàm effectum, (potest enim hoc adesse, cùm cor abfuerit; non hîc adesse, quin cor adsit) annon sic Deus? *Isa.* 55. Sic Christus dum in terris. 3. Voluntas, & actio, ejusdem generis sunt, ab eodem fonte fluunt, gradu tantùm distin-

Psal. 119. 137.
Heb. 11. 25.
Psal. 27. 4.
Luc 18. 1.
Esa. 26. 8, 9.
Psal. 37. 25.
2 Chro. 30. 18, 19.
Neh. 1. 11.
Psal. 10. 17. & 145. 19.
Matth. 5. 6.
Mal. 3. 17.
Marc. 12. 43.

distinguuntur; ad quod ex actione, ad idem ex voluntate, coram Deo, jus. 4. Proportio illa, quæ est inter justitiam & misericordiam, in Deo, quoad exercitium. Si justitia æstimat, adeóque punit, desiderium, pro actuali peccato, ut *Matth.* 5. annon misericordia, quæ in Deo exundantior, voluntatem pro facto coronabit? 5. Desideria à Deo inspirantur, ut quæ ampliori gratiæ mensuræ vim muniant. Exacuunt scil. conatus, precibus zelum infundunt, animum in quibuscunque pietatis exercitiis inflammant: Sic inflammatos, sic famelicos, *implebit Deus bonis.* Cui spiritum, ut gratiam instanter petat, largitus est Deus, ab eo non detinebit gratiam. 6 Nullus toto corde post gratiam & misericordiam fertur, qui non de utrisque degustavit: ignoti enim non solet esse ardentior cupido. Non expetit, nisi qui gustavit. Quod ardentissimè persequimur, illud, ut bonum quibuscunque aliis excellentius, in oculis ferimus. 7. Qui sic toto cordis desiderio fertur, necesse ut, fit *pauper spiritu*, ut ex se, cùm inopiam persentiscat, in solidum exeat. Non sic quisquam qui non *beatus.* 8. Est desiderium, ut quod ex voluntate immediatè enascitur. Siquando hoc, ad ea quæ supra naturæ sphæram, contentiùs feratur; necesse id, ut voluntas, in quâ fundatur, unà elevetur: nunquam verò, ad id quod spirituale bonum, movetur voluntas, nisi sanctificationis spiritu auxiliante.

2 Cor. 8. 8, 9

Luc. 1. 53.

2 Pet. 2, 3.

Matth. 5.

Phil. 2.

Tertiò, regenitum se sciat, quem imprimis exhilarat legis Dei observatio; cui præ aliis est cordolium ejus transgressio. *De viâ testimoniorum tuorum gaudeo, sicut super omnes divitias:* studium pietatis mihi tam volupe, quàm aliis opum acervos congerere. *Dirige me in semitâ man-*

Gaudio.

Psal. 119. 14

Vers. 35. *mandatorum tuorum, quoniam eâ delector*, in eâ
Psal. 40. 19. complacitum est mihi. *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector; lex tua in visceribus meis.*
Rom. 7. 22. *Delector lege Dei*, &c. Quicunque sic, ideo sub gratiâ. 1. Quòd delectatio necessariò supponit internum aliquod bonitatis principium, cui consentit externum; est enim applicatio convenientis convenienti, ut loquitur schola; non gaudio afficit, nisi quod connaturale; non contristat, nisi quod ἀσύμμετον. 2. Est, ut Scholastici, delectatio quies appetitûs in fine; cui verò obversatur, ut finis primarius, (sic enim est quod præ aliis delectat) facere voluntatem Dei, ille regenitus. 3. Quod delectat, est voluntati consonum; quod dolore afficit, ei contrarium: est enim delectatio, eorum quæ volumus assecutio; cujus verò ad bonum propensa voluntas, à malo aversa, is sub fœdere. Tum
Job. 23. 12. autem imprimis delectat legis Dei observatio,
Dan. 1. 1° Cùm hoc negotium, quod præ aliis machi-
Heb. 11. namur; de hoc sumus maximè soliciti. 2° Cùm
1 Sam. 25. 32 nosmet, in iis vel quæ charissima, vel quæ difficillima, ut sic Deo obsequamur, abnegamus. 3° Si, qui hîc manum præbent auxiliatricem, omnium pergratissimi. 4. Si in hoc, utcunque desunt quæ maximè expetenda, αὐτάρκεις si-
Psal. 51 & 38. mus. Tum verò præ aliis angit vexátque à lege aberratio, 1. Cùm non quibuscunque, vel desideratissimis, hujus vitæ solatiis compensatur, quod ex peccato, in conscientia, vulnus. 2. Cùm nobis à die in diem incumbit, qui ex lege Dei neglectâ, dolor. Dolor tam à diuturnitate, quàm ab acerbitate, grandis. 3. Si, præ pecca-
Rom. 7. 24. ti onere, vel acerbissima crux nihili penditur: ut dolor, qui ex calculo in renibus, quoscunque præterea dolores absorbet. Atque sic, de indi-

ciis

ciis gratiæ, quæ ab affectibus desumuntur; sequitur, ut de iis dicam, quæ à modo quo peccatum in regenitis exsistit.

2. A modo quo peccatum in regenitis exsistit.

Quod ad modum quo peccatum in regenitis exsistit; in eo discrimen, quòd in irregenito regnat, in regenito non. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratiâ.* Rom. 6. 14. *Qui natus ex Deo, conservat seipsum, & improbus ille non attingit eum:* 1 Joh. 3. 9. & 5. 18. ut sc. è servitute peccati manumissum reducat, denuo sub jugum mittat.

Sciat verò se quis à dominio peccati liberatum, 1. Cùm, quod olim in deliciis, nunc fastidio est, *Ezek.* 36. 31. quod olim pro coronâ & diademate, nunc de eo pudore suffunditur, erubescit. Jer. 31. 19. Qui sic in cujuscunque generis peccatum afficitur, est à luce salvificâ in animum diffusâ illuminatus, quâ, peccati turpitudine conspectâ, in oculis suis verè vilescit. Cui verò sic illuxit sol justitiæ, non ille noctis, sed diei filius. 1 Thes. 5. 5. Porro, cui fastidio est peccatum, ejus ab eo aversa voluntas; siquidem non res quæcunque nobis fastidio, nisi & voluntati contraria.

2. Cùm, quod priùs, minimè ponderosum, haud premebat, nunc ut onus Ætnâ gravius incumbit; suspiria, gemitus, querelas inenarrabiles extorquet. *Ærumnosus ego homo*, sc. non Rom. 7. 24. quòd virgis cæsus, lapidibus obrutus, quòd incarceratus, quod in frigore & nuditate; sed quòd peccati reliquiis onustus. Quod olim sùsque déque habuimus, nunc indies sub eo ingemiscimus. Qui sic, in eo vitæ spiritualis semen, cùm, qui in peccato mortuus, id non persentiscit. Accedit, quòd, quem peccati onus deprimit, in eo dispar peccato natura: est enim id peccato cum elementis commune, quòd non in suo loco ponderosum. Haud verò in loco suo ver-

versatur, ubi irrequietè se habet. Est scil. quæ peccato disconvenit, ei molestiam facessit, regenita natura.

Matth. 7. 23
1 Joan. 3. 8
Act. 11. 23
Psal. 119. 106.

3° Quod nobis aliquando ut opus, ut id cui operam dedimus, ei nunc ex serio proposito abrenunciamus. Τῇ προθέσει τῆς καρδίας, i. e. ex determinato consilio, Domino adhæremus. Quod nobis olim ut viâ, in quâ constans progressus, nunc invium derelictum: siquando illuc, devii, abripiamur; aut id per incogitantiam, aut ex carnis infirmitate, aut ex Diaboli vel fraude, vel præpotenti tentatione. Quod aliquando ipsi ut à nobis egimus, nunc acti à peccato inhabitante agimus. Aliquando sponte in captivitatem ivimus, nunc à lege in membris belligerante, lege mentis renitente, captivi abducimur. Sic verò ex vario proposito discriminatur regenitus ab irregenito, quòd propositum cordis, voluntatis actum integralem denotat, qui quò velit totum hominem impellit. Ei respondet apud Hebræos *totum cor*; sic reddunt & Arabs, & Syrus, ut Beza. Hinc & id apud Theologos receptum, Propositum vel in minimo peccato vivendi esse cum gratiâ salvificâ ἀσύστατον. Propositum verò non peccandi quod in regenito est, ab eo quod in irregenitis, dignoscitur, 1. Quòd illud ex animi motu interno emergit; hoc non nisi ratione incommodorum assumitur. 2. Constans illud, ut quod ex corde de novo formato enascitur, fluit à principio perenni, semper duraturo: Inconstans & vagum hoc, ut quod non nisi ab externis motivis, quæ pro tempore duntaxat animum afficiunt, exorsum sumit. 3. Efficax illud; si non quoad mensuram, quæ nobis & in proposito, & in votis; at eousque & aliquantulum pro modulo promoveamus

In Act. c. 10 v. 23.

veamus, aut saltem cordis integritatem conservemus, nunquam frustra sint conatus, utcunque à spe decidamus: Aliter in irregenitis, quorum omnino inefficax est propositum.

4. Peccato, quod aliquando dominium, nullo contranitente, exercebat, nunc est qui repugnat spiritus. Ubi priùs omnia pacata, siquidem qui potens omnia in pace possidebat: nunc ex adverso insurgit spiritus; ita, in quolibet regenito, peccati operatio non nisi fracta; *Spiritus adversus carnem concupiscit.* Victoriam quandoque reportat peccatum, at non nisi Spiritu resistente? nunquam sic, ut dominium suum recuperet; *non auscultat peccato in cupiditatibus corporis.* Nec potest; cùm quælibet res se habet ad operari, ut ad esse; Peccati operationes necesse ut mutilæ sint, cùm, quoad esse, suo dominio ejicitur. Disquirendum hîc, Quomodo, quæ in irregenitis ex conscientiâ naturali reluctatio, ab illâ quæ in regenitis fractâ operatione differt. 1. Quod in regenito, tam voluntas, idque ex suâ ingenitâ naturâ, quàm conscientia, contranititur; siquidem, qui infunditur bonitatis habitus, in omnes animi facultates se diffundit, eásque sibi assimilat: non sic in irregenito, cujus voluntas tum ad malum propendet, cùm conscientia, ex luce quæ illic ut in ergastulo conclusa, obmurmurat semper, quandoque & obicem ponit. 2. Quòd reluctatio, quæ à conscientiâ solùm, vel à servili pœnæ metu, vel ex opprobrio, vel incommodis quibusdam provenit: quæ à Spiritu sanctificationis, illa ab odio peccati, à Dei timore filiali, ab amore Christi, à studio sanctitatis manat. Aliter abstinet à cibo canis, cui obversatur ante oculos flagrum; aliter infirmus, qui sibi nocivum cognoverit

Luc. 11.

Gal. 5. 17.

Rom. 6. 12

Rom. 1. 18.

noverit. Aliter à contactu carbonis carbonarius, aliter qui incontaminatior esse velit; ille quia urit, hic quia conspurcat. A malo perpetrando temperat qui regenitus, quia sanctior esse vult; qui irregenitus, cùm ex metu, quia tutior: hic quia fœlicitati, ille quia ingenitæ pietati adversatur. 3. Quæ in irregenito reluctatio occurrit tantùm in peccatis, quæ, cum atrociora, vel lumen naturale, vel tam reprobis quàm electis communis illuminatio, detegit: Qui regenitus, quibuscunque vel minimis, vel quæ vix pro peccatis à mundo habentur, reluctatur. Oritur enim hæc reluctatio, ab odio peccati, quod est, ut suprà, totius generis, μισος τὸ γένη, & à Dei timore, quo cujuscunque generis iniquitatem aversamur. Psal. 11. 3. 4. Quæ in irregenitis luctæ, est facultatum diversarum invicem confligentium; ut, vel inter conscientiæ dictamen, & voluntatem; vel inter voluntatem ad quædam moralia bona incompletâ velleitate inclinantem, & affectus quosdam impetuosè ferocitérque dominantes: pugna est quandoque carnis concupiscentis, & carnis metuentis, utraque carnalis, & in variis subjectis. Quæ in regenito, est facultatum earundem, quæ inter se divisæ; ut voluntatis cum voluntate, affectuum cum affectibus: ut enim lux & tenebræ in crepusculo, calor & frigus in aquâ tepidâ; sic caro & spiritus in regenito. 5. Efficacior quæ in regenitis luctæ, 1. Ut, quamvis in multis impingant, haud tamen secundum carnem ambulent, ordinariè in peccato vivant; aliter cum irregenito, ut in quo non, ut in illo, confringitur vis peccati, adhuc enim manet & propositum & complacentia in malo & impœnitentiâ. 2. Siquando vincat caro in regenitis, paulò pòst & emergit Spi-

Spiritus, & fortior resurgit: Cùm *potentior qui in nobis, quàm qui in mundo.* Reluctatio quæ à conscientiâ duntaxat naturali primò obstrepit, haud patitur in utramque aurem dormire; at temporis decursu obmutescit, quandoque in nihilum evanescit, nisi flagello aliquo acerbiore expergefiat. 3. Summus, ad quem pertingit, gradus, murmur conscientiæ naturalis, est, ut duntaxat à malo perpetrando cohibeat: qui porro in regenitis Spiritus, se efficaciter ad carnis mortificationem, & gratiæ exercitium perfectiùs exserit.

5. Qui olim peccato peccatum accumulabant, in nequitiæ viâ constanter obambulabant, nunc, siquando lapsi fuerint, semen gratiæ, quod intùs, haud patitur in utramque aurem dormire, à malo ad malum progredi. Expergefacit se, qui intùs est Spiritus; vi latentis in corde Spiritûs ἐνεργείας expediunt se, quo irretiti, peccati laqueo: Non, ut mundus, ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. Est, qui corde integer, ut equus, cui cùm id, ut gressus conglomeret, nativum, utcunque ex imperitiâ sessoris incessus perturbatur, illico tamen ad gressum ei connaturalem redit. Est idem ut veloria nautica, quæ ex contactu magnetis, utcunque in quam velis partem manu violentâ circumagatur, haud tamen, donec ad septentrionem vergit, acquiescit. Est enim quilibet regenitus, ut qui in navi, ubi ex rimulâ influit aqua; jugi operâ sentinam exhauriunt. Est ut fons, in quem fimus projectus illico perenni ejus fluxu dispergitur. Est ut luto conspurcatus, qui confestim se abluit. Est qui in eo Spiritus, ut ignis, indies spumam peccati exire faciens; cum in irregenito manet spuma. Est anima peccato concussa, ut membrum luxatum, cui,

1 Joh. 5. 19.

Ezek. 24. 6.

cui, usque dum suo loco reponatur, nulla quies. Ita, qui sub gratiâ, indies suos lapsus ex pœnitentiâ redintegrat, ad thronum gratiæ incessanter querelas fundit; ut expurgetur peccati fermentum, nil non molitur. Utcunque circumvolitant aves, haud tamen nidificare patitur. Aliàs se res habet, ubi peccatum regnat, in irregenitis.

6. In quo peccati regnum destruitur, cedit ei, ex gratia intùs manente, in lucrum quodlibet peccatum. Venenum quod tam in fidelium peccatis, quàm quod in illorum perpessionibus, exhausit Christus; est ille ut monoceros, qui cornu suum aquis immergendo, illis, quàm à reliquis feris contraxerant, naturam venenosam abstulit. *Omnia*, qualiacunque, iis in quibus peccatum non regnat, *cooperantur in bonum*. Rom. 8. 28 Ut enim ignis, à frigore circumstante, intensiùs calet; sic gratia, quò peccato oppressa magis, eò ferventior. Ossa confracta, naturâ parti infirmiori succurrente, firmiùs coalescunt; sic & anima ex lapsu quassata, gratiâ subveniente, resurgit fortior: ut in Petro. Quod in arte medicâ potest, qui peritior, ex venenatis salutare conficere medicamentum; annon in animæ salute id multò magis poterit, qui potest omnia? Lapsus verò regenitis cedunt in profectum, 1 Ut peccatum sit iis exosum magis. 2 Ut, ex infirmitate perspecta, ulteriùs humilientur. 3 Ut deinceps cautiùs se gerant. 4 Ut cultûs divini exercitiis incumbant magis. 5 Ut contentiùs ad Christum confugiant. 6 Ut in fratres impingentes æquiori animo sint. Irregeniti verò, tantùm abest ut ex peccatis meliorentur, ut obdurentur, occæcentur magis; impetu avidiori ad peccandum currunt, conscientia

tia obmutescit magis, indies ex assuetudine peccandi frontem perfricant, donec in profundum veniant.

Cap. XXI.

De certitudine salutis in credentibus fovendâ.

Quæ, quòd sub gratiâ, certiorantur oves, in serenâ animi conditione conservandæ. Advertendum hîc, quæ illæ sophisticæ ratiocinationes, quibus de pace suâ dimoventur qui credidêre: nec enim quis fidelium aut animum despondet, aut ex scrupulis emergentibus anxius solatium à se depellit, nisi qui falsò ratiocinando sibi imponit. Ut enim παραλογισμοῖς à Christo prohibentur qui mundi vel diaboli mancipia; pariter & iisdem strophis omnem illam, quâ coram Deo exultarent qui credidêre, consolationem iis furtim subducit tentator. Ratiociniis ejusmodi ut occurrat prudens pastor, en theses quasdam generales, quarum subsidio, si non singula solvat, nec enim id possibile, cùm indies de novo suppullulant, at complurima, ut quæ nihili, detegat.

Qui de gratiâ certiorantur, in serenitate animi sunt conservandi.

Thes. 1. Nullius spiritualis conditio judicanda ex iis, quæ non ad esse, sed duntaxat ad ejus benè esse spectant. Est fides, quâ in Christum ad peccatorum remissionem obtinendam recumbimus: necessaria hæc, ut absque quâ nulla salus. Est certitudo de cujusque particulari salute, quam ut asse-

quatur; cum id ordinariè in hâc vitâ possibile, cuique enitendum: at hæc non perinde ad salutem necessaria: Est enim credentis potiùs, ut vocant, privilegium, quod ei in solatium largitur Deus; non, ut necessariò non salvandus, qui non sic certioratur: Sufficit ad salutem, quòd quis in Christum credat.

Quòd verò, A fide, res distincta salutis certitudo, multifariàm arguitur. 1. Quòd illa actu directo, hæc non nisi reflexo perficitur. 2. Quòd liorâ tentationis abest prorsus hæc, cùm illa nunquam excidit. 3. Quòd, ordine naturæ, hæc ex illa sequitur, est consectarium ex præmissis; ut in hunc sensum Augustin. Quicunque audit me, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, transit à morte ad vitam: At ego credo: Ergo, ego salvandus, ego transii à morte ad vitam. 4. Qui jam credunt, edocendi, quomodo se salvos fore cognoscant. Alia hîc atque illic ineunda via: promissa proponimus, ut credam: at fidei indubitatæ πληροφορία, ut certiorentur de salute, adjungenda. 5. Est certitudo de salute, donum quod credenti supervenit; *Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto.*

Tract. in Joan. 22.

1 Joh. 5. 13

Eph. 1. 13.

Est porro, in dolore tam legali quàm Evangelico, de peccatis, quod iis essentiale: huic, ut voluntas verè renitatur, ut quis ex animo sibi displiceat, fastidio sit, ut corde compungatur, ut ex sensu miserandæ conditionis spiritu fracto sit: utrisque, ut putredo è peccati ulcere, sive aciculâ, sive cultro, emittatur. Est quod accidentale; ut lachrymarum effusio, quæ cùm à corporis temperaturâ provenit, in iis qui σκληροφθαλμοι, multoties abest.

Ezek. 6. 9. Act. 2. 37.

Pariter est amor Dei, quo suos complectitur, eos

eos in filios sibi per adoptionem asciscit: est etiam sensus hujus amoris, qui quandoque in corde credentium diffunditur, quandoque verò subtrahitur; *in tenebris ambulant*, non vel scintillulâ lucis illis affulgente. In spirituali, ut appellant, desertione, auferuntur tantùm quæ accessoria, ut sensus amoris divini, consolatio in promissis, &c. manet quod principale, sc. propensior in sic desertum affectus, utcunque ejus influentia ad tempus interrumpatur. Isa. 50. ult. Psal. 22. 1

Thes. 2. Indicia salutaris gratiæ, non eadem semper conveniunt infantibus, & adultis. Ad crucem ingruentem animus imperterritus, in mediis divini cultûs indefessa oblectatio, adventus Domini ad judicium ardens desiderium; sunt hæc adultorum, non infantium. Haud infantibus spes omnis salutis auferenda, quòd, ad illa quæ adultorum, non aspirant. Ejusmodi discrimen ponendum, probat illud Joannis, Ep. 1. c. 2. v. 13. *Scribo vobis puerulis, adolescentibus, patribus*, &c. Variis insignit encomiis, prout in re Christianâ auctiores vel tardiores fecissent progressus.

Thes. 3. Qui Christo se dedère, non iis amorem, quo prosequitur, intimum, ob peccata, quæ inadvertentiæ, quæ quotidianæ incursionis, aufert Deus; non his pax, quæ justificato coram Deo, interrumpitur. De his, ut de singulis illis impetuosis concupiscentiæ motibus, de quibus conqueritur Apostolus, dicit Dominus, *Sufficit tibi gratia mea.* Odit Deus peccata qualiacunque, etiam in suis, sed non odio in personam redundante. *Præterit Deus*, vel *missa facit*, ut Chald. paraph. peccata suorum; ὑπερβαίνει, ut 70. interpretes. *Fecit David tantummodò quod rectum*, sic testatur Deus: De se Rom. 7. 2 Cor. 12. 9 Mic. 7. 18 2 Reg. 14. 8

verò aliter ille, Psal. 40. 13. *Animus meus dereliquit me, propter iniquitates, quæ capitis capillis numerosiores. Si quis peccat*, cui sc. in pro-
1 Joan. 2. 1 posito est non peccare, *Christus est propitiatio*, &c. Arguitur, 1° Quòd non nobis, sed pec-
Rom. 7. cato in nobis habitanti, accenset Deus, quod inviti facimus. *Non ego, sed peccatum.* Non
Deut. 22. 26 est in puellâ constupratâ peccatum capitale, quòd ubi vis facta est clamavit, nec fuit qui servaret. Sic Gerson. Tu cum totus involutus fueris luto tentationum, noli cedere, nec victum te reddere, sed corde & ore clama contra impugnantes tentationes, & retinebis innocentiam tuam. Reges fœderati non rumpi fœdus conqueruntur, quòd pyratæ hujus vel illius ditionis, citra illorum consensum, alterutri eorum latrocinia exercendo infesti; pyratis scil. non regibus, accepta fertur injuria. 2° Quem non nostri causâ, sed vi fœderis sui, exercet Deus amorem, ille non
Deut. 7. 7, 8 defectibus, qui nobis contranitentibus excidunt, irritus fit. *Jehova propensior in vos, non quòd vos sic*, &c. *sed quòd dilexit vos, & fœdus vobiscum in majoribus vestris inivit. Non deseret*
1 Sam. 12. 22 *Jehova, quia ei placuit vos populum efficere.* Liberos suos, leprâ vel scabie coopertos, etiam ardenter amant parentes, quia manet, quæ amoris causa, filialis relatio. 3° Quia haud nos æstimat Deus pro affectuum pravitate, sed ut affecti ad affectus, ut odio habentes in malo com-
Job. 42. 7 placentiam; qui verè sibi displicet, in eo quod carni complacitum, ille Deo gratus.

Thes. 4. Nullus se judicet, aut judicetur ab alio, pro instanti tentationis. Est quando fides languescit, est quando virescit; non iidem fructus expectandi à fide langueſcente, ac ab eâ-

dem

dem eùm regerminat. Qui fructus autumno convenientes, tempore æstivo quærit, næ ille frustra quærit. Quandoque qui Deo charissimus in tenebris ambulat, nec videt lucem; quandoque idem gaudio repletur ineffabili. Quandoque Ecclesia se desertam, spem & fiduciam suam perisse à Domino conqueritur: quandoque in Deo exultat. Deo injurius, qui ideo se à Deo finaliter rejectum, aut ex eo animum mutâsse, quòd lucem vultus sui subduxit, concludit: nec enim tam deserit, quàm deserere videtur. *Deus bonos non negligit, cùm negligit; nec obliviscitur, sed, quasi obliviscitur*, ait Ruffinus. Aliud est, ut quis sit filius iræ, aliud, ut duntaxat filius sub irâ; alius est filius perditus, alius filius perditionis; Christus, qui à peccato, non tamen à desertione, immunis. *Momento abscondi faciem meam à te, sed benignitate sempiternâ misereor tui.* Thren. 3. Isa. 54

Sic à se intimè dilectos exercet Deus, 1 Ut quas aliquando experti sint in se consolationes Dei, nec eis dignè ambulârunt, aut tanti fecerunt, deinceps pluris æstiment, deinceps piè, justéque vivendo ornent magis; ne denuò in foveam detrudantur, cautiùs se gerant. 2 Ut omnem à Deo, non à se, provenire consolationem agnoscant. Si non quandoque se quasi sub nube absconderet Deus, si non quandoque Spiritum in divinis exercitiis auxiliantem subtraheret, cor suæ sterilitati & duritiei ad tempus relinqueret, reti-jaculo nostro suffitum faceremus, in nobis gloriaremur. 3. Ut gratiæ Dei, & præ aliis fides, quæ in corde latent, extrahantur, exerceantur, illarum vis & efficacia sit conspicua magis. In eo omnipotentia fidei, cùm in vultu

irato amorem ardentem, in tenebris lucem, in morte vitam intuetur. Spiritus precationis ex-
Job. 13. 15. Psal. 30. 7, 8 & 88. 1. 1 Reg. 4. 31. suscitatur, inflammatur magis, cum Deus faciem suam abscondit. Nullus unquam in Deo exsultavit magis, consolationes Dei altiùs imbiberit, quàm David; nullus desertionibus magis immersus. *Psal.* 72. *Psal.* 77. 7, 8. *Psal.* 142. & 143. 5. Ut potentia Dei, cùm quasi Orco dimersos liberat, illustrior fiat. David à tentatione, quâ se desertum putavit, ut à mortis doloribus liberatus, Deum celebrat. *Quid rependam Jehovæ?* &c. 6 Ut Christo simus con-
Psal. 116. 11, 12. Mat. 27. 46 formes, capiti membra. *Phil.* 3. non servis potior, quàm Domini expectanda conditio.

Qui sic à Deo, suo sensu, desertus, 1 Undique circumspiciat, non quæ affulgeat consolatio; animam attento oculo perscrutetur, quæ ex hac parte tenebris tota cooperta, forsan ex illâ solatii scintillulam aliquam, quæ spem sustentet, se os-
Thren. 3 22 tendat. Sin nullibi occurrit quod animum suffulciat, recurrendum ad tempora præterita; numquod Dei amoris indicium omni exceptione majus reperias, quo te, ne desperabundus ruas,
Psal. 76. 5 confirmes. 2 Fidem & resipiscentiam, quas non
Job 27. 5, 6 nisi fictas esse in hoc agone suggerit Diabolus, de novo redintegret. Si quando agrum locatum, de quo lis, quo jure tenes, licebit tibi de novo conducere; inscitiæ erit, si adhuc in veteri redemptionis charta hæreas; sic Ecclesia, *Thren.* 3. 46. 3 Cogitet qui sic, quòd Deus neminem revera deseric, a quo non priùs deseritur. At nullus Deum deserit, qui ex ejus absentiâ contristatur, mœstus incedit, post eum toto animæ desiderio anhelus est. 4 Deo pariter attendendum, usque dum, in sic desertum, lucem vultûs sui attollat Domi-
Psal. 130. 7 nus. 1 Quia solus sapiens, qui, quid maximè

è re

è re nostrâ, novit. 2 Nullus sic Deo attenderit, quin tempore suo exaudivit, & bono desiderato satiaverit. 3 Vel spe promissi adimpletionem expectare, beatum reddit; non enim sperat, nisi qui credit. 4 Bonum concupitum, quod est Dei lucidus in Christo vultus, abundè, utcunque tardigrádum, vel diuturnam expectationem compensabit. 5. Id illis ratum fixúmque sit, posse illos à Deo impendiò amari, cùm tamen infensior videtur. Habuit Deus cogitationes pacis, cùm nil nisi iræ indicia circumstabant. Sunt ut manipulus in areâ coram Deo, qui & suis & aliorum oculis stercora abjectissima. *Ego dixeram, exciſus ſum, verumtamen audiviſti vocem ſupplicationum mearum.* 6 Iis innotescat, (quod antè docuimus) posse animam, quæ terroribus Dei prostrata jacet, Deo viciniorem, adeóque in conditione tutiori, quàm quæ sibi in multitudine amoris Dei pignorum inprimis gratulatur. *Ego dicebam, non dimovebor in ſeculum*, &c. *abſcondit Jehova faciem ſuam, fui conturbatus.* Gerson sic: *Si diligenter penſatur, magis periclitari poterit, qui devotionis dulcedine fruitur, quàm is cui hæc denegatur. Quia ſi conſolatione hujuſmodi fungens de gratiâ tali confidat, & ſui imperfectionem exinde conſiderare negligat, ſuâ devotione erit à Deo potiùs remotior, quàm propinquior, propter ſuam præſumptionem, & fatuam confidentiam.*

Isa. 8. 17
Psal. 40. 1. Isai. 30. 18
Jer. 29. 11 Mic. 4. 11.
Psal. 31. 22 Psal. 30. 6, 7
De rened. contr. pusillan.

Theſ. 5. Sub fœdere Evangelico, sinceritas, defectus qui in bonis operibus occurrunt, compensat; ita sc. ut à Deo probentur, quæ sunt in se mendosa. Videre hoc est in Rahab, quæ in opere, quo justificari dicitur, quater mentita est: Sic in obstetricibus Ægyptiacis; sic in Davidis de Domo Jehovæ ædificandâ consilio. *Bene feciſti*, ait Deus, quod sic; at non omni-

2 Chron. 6. 8.

modo placebat. Preces fidelium, quæ pars illius justitiæ, quæ, *instar panniculi abjectissimi* inquinata,
2 Sam. 7. 7 *Isa. 64.* Deum inprimis delectant, ei cordi sunt:
Cant. 2. 14 *Columba mea, vox tua suavis est:* Deo per Chri-
1 Pet. 2. 5. stum acceptæ. Vel aurifaber non rejicit, quod plures sordes admistas habet, aurum; nec Deus cordis sinceritatem vilipendit, quòd mendis scatet opus. Dicendum hic, 1 Qui fit, quòd ejusmodi in bonis operibus labes refarciat sinceritas? 2. Quibus perficitur hæc sinceritas? 3. Quæ illa, à quibus non perimitur, utcunque sic videtur.

Sic refarcit sinceritas, 1 Quòd habet hoc fœdus aliam conditionem à legali. Cum Deo pax, non quia operamur, sed quia in Christum credimus. Inserviunt enim tantùm in hoc fœdere, bona opera, 1 Ut fidei veritatem, ac ex consequenti electionis & vocationis certitudinem, obsignent. 2 Ut gratitudinis, ob gratiam quæ in Christo apparuit, sint testimonia. 3 Ut Evangelium ornent, Deus ex iis celebretur. 4 Ut lucrifiant qui extrà.

Apoc. 8. 3, 4 2. Quòd Christi meritis, opera quibus impuritas adhæresci, deaurantur, atque ex eo Deo accepta. Cordis integritatem accipit, carnis infirmitatem Christi causâ condonat. 3. Fœderis Evangelici hæc prærogativa, ut apud Deum legis impletæ vice sit cordis integritas. Ut ha-
2 Chron. 15 beat & coronet Deus pro re præstitâ, quæ non
17. nisi voto perficitur. *Accipit Deus, modò adsit*
2 Cor. 8. *animi promptitudo, pro eo quod quis potest, non pro eo quod non potest.*

Quod ad secundum; sinceritas his tribus perficitur; 1° Si quoad initium & finem, adsit cordis rectitudo. Sic adest, cùm omnia ex Dei præcepto, & ejus gloriæ ut ultimi finis intuitu, fiant.

2. Si

2. Si ratione & ſubjecti, i. e. totius hominis, & objecti, dum ſc. quis ſingula Dei præcepta in oculis fert, adſit univerſalitas. 3. Si pro varietate occaſionum, vel tentationum, à quibus ne avocemur periculum adſit, nihilo ſeciùs conſtans perſeverantia.

Quod ad tertium: Primò, non perimitur hæc ſinceritas, ratione primæ conditionis, 1 Quòd vel mercedis, vel pœnæ intuitu operatur: nam & illâ ad benè agendum allicit Deus, & hâc à malo perpetrando deterret. 2 Quòd non actualis ſemper intentio gloriæ Dei agenti obverſatur; ſufficit habitualis: quandocunque in mentem venerit ultimus ad quem collimamus finis, eſt ille gloria Dei. Qui Londinum versùs iter inſtituit, eò dicitur proficiſci, utcunque non ſingulis paſſibus Londinum cogitat. 3 Non quòd inter agendum, vel pòſt, ſurrepat inanis gloriolæ titillatio. Aliud enim eſt quid propter gloriam inanem, aliud cum glorià inani, facere; aliud ut præponatur, aliud vel ut à diabolo interponatur, vel poſtponatur. Aliud eſt cùm ſagittarius, rectà ad ſcopum collimans, ab alio concuſſus aberrat; aliud cùm datâ operâ ſagittam obliquè dirigit. Secundo, Ratione ſecundæ conditionis non perimitur ſinceritas. 1 Si nobis in cognitum prorſus quod vel negligitur bonum, vel quo peccamus malum. 2 Quod in hâc vel illâ animi facultate infirmior gratia quàm in alterâ; ſufficit, quòd anima in ſolidum renovatur, utcunque ex carne adhæreſcente, prævalente, impotentior hæc quàm illa. Tertiò, Ratione conſtantiæ non deſtruitur ſinceritas. 1 Siquando à cauſa interveniente, quæ non niſi externa, à benè agendo impeditur quis, cùm interim ad quodvis bonum opus propenſa manet voluntas.

Heb. 11. 26
Job 31. 23

2 Ubi

2 Ubi ex Deo justè gratiam quoad gradum subtrahente, vel gratiæ operationes suspendente, invadit renatum somnolenta quædam securitas, ita ut pro tempore opus gratiæ intermittatur, non verò aboleatur, prorsus auferatur.

Thes. 6 Ineptitudo ad officia divina præstanda, sub quâ ingemiscimus, neminem ab iis vel retardet, vel deterreat. Officia divina voco, præ aliis, media cultûs; cujusmodi sunt precatio, cœnæ Dominicæ perceptio, 1. Quia ab his aliisque quæ exigit Deus, desistendo, nos amplius in Satanæ potestatem tradimus. Ab eo enim hæc ineptitudo. 2. Quòd ineptitudo hæc, faciendo quod in nobis, excutitur; ut in ægrotis, stomachi κακεξία comedendo dispellitur. Sunt media cultûs, non solùm qui pascit cibus, sed quæ curat medicina. 3. Si, ubi inepti, nihil inde lucremur, nisi ut ineptitudinem, inopiam, ad quodvis bonum opus insufficientiam, & persentiscamus, & ploremus, sumus coram Deo ut qui profecimus. 4. Eò gratior quem Deo exhibemus cultus est, cùm vel contranitente carne facimus quòd faciendum famulitium; quod patri præstat qui ægrotat filius infirmior, gratiam potiùs reperit, quàm quod qui validior. 5. Quò in officiis sacris præstandis nos abnegamus magis, carni quasi vim facimus; ita uberiori solatio, ubi peregimus, compensabit Deus. 6 Nil feciſſet Apostolus, *Rom.* 6. si ab eo quod nobis incumbit faciendum justè arceret, quòd non datur efficere eo quòd cupimus modo. 7. Remittet Deus quod nostrum, accipiet quod suum; potiùs respiciet bonum quod promisit se futurum, quàm malum quod se aboliturum astrinxit.

1 Chron. 22. 16.

Thes. 7. Conscientia scrupulosa, quæ post examen non nisi scrupulosa, deponenda. Hîc videndum,

endum, 1 Quid ſcrupulus. 2 Unde ſcrupuloſa conſcientia. 3 Quod examen adhibendum. 4 Quare deponenda. 5 Quomodo.

Primò, Scrupulus eſt levior & temeraria quædam ſuperveniens formido, quæ animum, ſine juſto fundamento, in partem contrariam ſollicitando, excruciat valdè.

Secundò, Oritur ſcrupulus, 1 A Scripturâ perperam intellectâ. 2 A defectu in judicio, ſive ex infirmitate, ſive ex melancholiâ. 3 A conortio cum ſcrupuloſis. 4 A doctorum ſententiis invicem diſcrepantibus. 5 Ex diaboli injectione: quos enim haud poteſt in nequitiâ ſuâ ſolitâ detinere, eos ſcrupulis injectis vexat, remoram injicit: quibus priùs omnia licita, omnia nunc illicita ſuggerit.

Tertiò, examen adhibendum. Quandoque enim eſt Deus in ſcrupulo, ad accuratiorem veritatis diſquiſitionem excitans, quandoque non niſi diabolus. Ad examen igitur revocetur; 1. Genuinum Scripturæ ſenſum diligenter expiſcando: Gloſſæ, quas affinxêre qui malè ſani, amovendæ. 2. Defectus, qui à judicii proprii imbecillitate, ab aliis qui meliùs edocti opem accerſendo, reſarciendus. Qui à melancholiâ, animum per corporis κακεξίαν obtenebrante, medici operam implorando ſublevandus. 3. Supplex ad Deum precibus & jejunio, pro Spiritu qui in veritatem ducat, in diſcrepantibus hominum ſententiis, ſcrupulis vexatus confugiat. Simul ac omni depoſito præjudicio diligens adhibeat ſcrutinium, omnia ad Scripturæ normam exigendo: quæ ſic quærenti effulget è verbo lux, illam amplectatur, ei adhæreat, uſque dum Deus aliter revelaverit.

Quartò, Conſcientia quæ non niſi ſcrupuloſa deponen-

deponenda, haud nobis faceſſere debet moleſtiam. 1 Quòd par ratio in faciendis ac in credendis; at non quæ contra afferuntur ab hæreticis ſophiſmata, quibus diluendis impares prorſus, impediant in veritate quam amplexi ſumus πληροφοριαν, quorſum in faciendis nos diſtraherent, qui ſe ingerunt ſcrupuli? 2 Non omnis animi vacillatio ἀνομιαν inducit actionibus, ſed illa ſolùm, cùm dubiâ conſcientiâ quid facimus; non eadem verò dubia, quæ ſcrupuloſa, cùm illa neutri ſententiæ adhæreat, hæc verò uni aſſentitur, etiamſi ut in alteram inclinet vehementiùs provocatur. 3 Quòd in iis moralibus, quæ non explicitè in Scripturâ traduntur, ſufficit probabilis certitudo; ſic Caſuiſtæ. Ejuſmodi verò illa, quam in mediorum quæ ei adſunt, pro virili, uſu quis imbiberit; quámque deponere ſi evincatur, paratus eſt.

Joan Nider. de conſe. tim. pag. 2. cap. 13, 14. & Gerſon de pollut. noct. con. 2.

Quintò, videndum quomodo deponenda. 1 Qui de levioribus exſurgunt, ſcrupulos contemnendo, animum cùm invadunt aliò avertendo. Nimia enim plerunque attentio ad quoſdam ſcrupulos tollendos, eos auget magis, cùm animus præ ſuâ imbecillitate ſe expedire nequit. 2 Seponendo ad tempus, uſque dum nos Deus pleniùs illuminaverit. Sat id in præſentiarum, quod facimus ut conſcientia dictat. 3 Contrà agendo abeunt in nihilum ſcrupuli: quædam enim nobis moleſta duntaxat, quod inuſitata; quædam, cùm opinione erroneâ mituntur, experientia docet non tanti eſſe. Sic ſcrupulus ille, quo ex ſuæ indignitatis ſenſu à Cœnâ Dominicâ deterrentur nonnulli, removendus contrà agendo. Gerſon ſic: *Expedit ſcrupuloſis, cum conſilio prudentûm Deum timentium, contra ſcrupulos agere,*

De rem. contra puſillan.

re, ut sic discant eos non timere. Sicut domificatores assuefacti ambulant securè & intrepidè super tecta altissima, ubi non sic practicati statim forent in periculo.

Thes. 8. Quo quis eorum, qui sub fœdere Evangelico, infirmior, ita in hunc propensior Deus. Infirmior verò quis, 1 Ex malis pœnæ, quibus Deus suos exercet, vel externè vel internè. *Gratiosus esto mihi Jehova, quia languefactus sum*, &c. *conturbata est anima mea valdè.* 2. Ex gratiæ mensurâ, quæ non nisi ut linum fumigans, ut arundo quassata. 3. Ex reliquiis peccati quibus hic infestatur magis quàm ille: quibus hic volens nolens succumbit, ut Petrus, cùm ille victor evadit. Quòd in sic depressos benevolentior Deus, *Depulsos congregat, sanat fractos animo, ac veluti obligat in doloribus eorum. Per te misericordiam consequitur pupillus. Deus, qui consolatur abjectos.* Esa. 40. 11. Quæque ovis debilior, ita de eâ solicitus magis; *in suo sinu portabit agnellos, & fœtas ducet commodè. Ægrotum confirmabo.* Matth. 18. 14. Parvulis inprimis consulit Deus. Quis Petro infirmior? quis Thomâ à fide remotior? quibus consuluit magis post resurrectionem Christus? *Si poterat mulier oblivisci fœtûs sui infirmioris, at non ego*, &c. Qui præ aliis pusillanimis, infirmis, à nobis succurri vult, ipse neglectui habebit? num deseret, qui misericors, & suorum potens adjutor?

Judg. 10. 16
Psal. 6. 3
Mat. 12. 20
Psal. 86. 1 & 119. 25. & 147.
Ose. 14. 4.
2 Cor. 7. 6
Ezek. 34. 16.
Esa. 49. 15.

Thes. 9. Non ab omnibus qui sub gratiâ, eandem obedientiæ mensuram rigidè exigit Deus. Non nisi pro dimenso fructus quærit. Non lucrum decem talentorum exspectat, ubi non nisi quinque largitus est. Terra bona alia centena, alia sexagena, alia non nisi tricena protulit. Sacrificia sub lege non quæsivit, nisi prout cuique facul-

Mat.13.23 Lev.14.21, 30,31, 32.

facultas. *Si tenuis sit, neque assequatur ista manus ejus, tum accipiet agnum unum*, &c. *Unum ex turturibus, aut pullis columbæ par abit, ex iis quæ assequi potest manus ejus.* Quilibet suâ gaudet mensura: alius est in corpore Christi ut membrum nobilius, alius ut ignobilius; non ab hoc, ut ab illo, quæret largitor summus; cùm uberiorem in hunc, quàm in illum, gratiæ mensuram effudit.

Thes. 10. Sinceritas affectuum, ut amoris, gaudii, doloris, &c. non pensanda ex eorum vehementiori intentione. Nam 1 Vel intenduntur vel remittuntur, prout à duplici, vel unicâ duntaxat, causâ proveniunt. Est amor & dolor, quibus pro objecto est aliquid terrenum, ut uxor, liberi &c. Est amor & dolor, quibus obversantur spiritualia, ut justitia, peccatum. Procliuior ille tam amor quàm dolor, quòd à duplici causâ exoritur, tam à natura, quàm à gratia. Remissior tam justitiæ amor, quàm de peccatis dolor, quòd non nisi à gratia fluit. At nihilo seciùs uterque potest esse sincerus. 2 Affectus vel concitantur vel minuuntur, prout vel per intelligibilia solùm, vel etiam per sensibilia animum afficiunt. Major est dolor, in parte sensitiva, ex læsione sensibili, quàm redundat in ea ex ratione; &, qui redundat ex ratione considerante corporalia, quàm spiritualia. Sic Aquinas. Spiritus nostri & vitales & animales magis afficiuntur sensibilibus, quàm spiritualibus; &, è sensibilibus, quæ partes teneriores vexant, afficiunt magis, ut dolor dentium; quàm quæ non dolore acutiori pungunt, ut lentè corpus absumens febris hectica. Non dolor ille maximus, quòd, pro instanti, molestior; sed ille, qui de morbo lethali concipitur: utcunque magis se exprimit ille, quàm hic. Dolor de peccatis non

In 4. Sent dist. 17. qu. 2. art. 3.

desinit:

definit esse sincerus quòd dolori, qui per sensibilia in animum influit, cedit. 3 Affectus intendi vel remitti solent, prout vel in angustias temporis compinguntur, vel ut habent, quo expatientur magis, tempus. Qui amicum hospitio excipit, plus prodit amoris, quàm erga unicè dilectam sponsam: nec tamen ille hâc charior. De filio chariori amisso effunditur magis dolor, quàm de peccatis; non tamen dolor ille maximus: nec enim de eo maximè dolemus, de quo, pro instanti, maximè commovemur. Dolor ille maximus, qui ut sagitta infixa hæret, qui per totum vitæ curriculum diffunditur, manet altâ mente repostus; non ille qui vel subitò animum invadens, vel temporis angustiis conclusus, instar torrentis erumpit, cùm post moram in nihilum abit. 4. Affectus versantur circa sua objecta, vel intensivè vel appreciativè. Intensivè, cum re non tanti valdè afficimur, ut quòd vel subitò occurrit, vel phantasia titillatur. Appreciativè sua objecta respiciunt affectus, cùm potiùs in judicio pluris æstimamus, magnificimus, quæ nobis chara, quàm amorem testatum facimus. Affectus hic quàm ille, utcunque aliter videtur, ardentior. 5° Affectus pensandi, vel ut in animo radicantur, vel ut superficie tenus enascuntur: manent illi, cùm hi, ut illorum qui in terrâ petrosâ semen accepêre gaudium, evanescunt. Affectus illi confirmatiores habendi, qui gradatim ingenerantur, altiùs in animo radices agunt, nec nisi post moram se exserunt. Est herba in frumento noxia, sinapi silvestre nuncupatur, quæ ad tempus mense Majo ita efflorescit acsi frumentum supprimeret, quæ tamen, quòd radice non firmâ nititur, defloresçit, tandem disparet, dum frumentum altiùs assurgit.

Thes. 11. Potest quis in gratiâ progredi, cùm sibi aut regredi videtur, aut non ulteriùs promoveri. Error contingit, 1. Quòd opus gratiæ, quoad augmentum, non semper percipi potest. Umbram in horologio sciaterico non progredientem, sed progressam; gramen non crescens, sed crevisse, cernimus. Post intervallum, intelligat se quis meliorari, cùm non pro instanti. 2° Quòd facultas illa, quâ actu reflexo de incremento gratiæ dijudicamus, tenebricosior, imbecillior. 3° A proximitate objecti, impeditur judicium. Nec enim objectum positum supra sensum, facit sensationem. Qui remotiùs stant, & non nisi post moram nos intuentur, ii meliùs, quàm qui nobiscum assidui, nos proceritate crevisse judicabunt. 4° Quòd, quid sit regredi, aut non ulteriùs progredi, nos latet. 1 Regredi non est, plura in se peccata animadvertere; quo enim nobis peccatum conspectius, eo plus adest lucis internæ. Indicium id lucis uberiùs in domum intromissæ, cùm plura deteguntur errata, atomus quæque perceptibilis. 2 Regredi, non est, cùm, qui est in spiritualibus defectus, non ab animâ deteriùs se habente, sed ab organis corporeis, quæ vel ex senectute, vel morbo deficiunt. Adhibet gratia naturam ut instrumentum; hæc si obtusior, languidius gratiæ exercitium: non zelus in senibus, ut plerunque videtur, defervescit; sed ardor juvenilis deferbuit. 3 Regredi non est, quandoque à peccati reliquiis captivum abduci, iis ejiciendis imparem esse, adhuc in luto hærere; Pauli illa conditio. Dummodò humilitas in nobis, ex iis, quæ adhæreſcunt peccata, promoveatur; ut in gratiâ crescentes, habet Deus. Est hæc gratiarum quasi basis; nec enim nisi in vasa vacua suum

Rom. 7.

Deus

Deus infundit vinum. Est superbia, gratiæ inprimis infesta; feram hanc lethiferam ut subigat Deus; facit quod medicis solenne, morbum non ita gravem fovet, ut, qui certò lethalis, deviteret. 4 Non est non progredi, ad tempus impeditum detineri. Dummodò quis, in itinere, faciem ad locum quò profecturus dirigit, non tergum vertit, utcunque aut moratur in viâ, aut devius est, illuc tamen proficisci dicitur; tamdiu non relabimur, quamdiu ad priora contendimus; ait Augustinus. Est mora in viâ, imò Ep. 141.
regressus, qui progressui conducit; ut, in saltu, qui toto impetu antrorsum ferri cupit, regreditur, ut, in pueris, qui ex morbo, vel aliàs, ad tempus haud crescunt, qui tamen convalescentes, ocyùs adolescunt. 5 Sufficit ad progressum, quòd sinceri magis, in iis quas accepimus gratiis, etiamsi nec novæ gratiæ, nec ejusdem novi actus, accedant. Crescunt poma, & corpora humana, non solùm cùm vel magnitudine vel proceritate augentur; sed & illa, ubi matureſcunt, & hæc, ubi firmiùs consolidantur membra. Est tempus, in quo tentationibus quis sic opprimitur, ut frustra sit qui progressum expectet; sat id, quòd, ut plantæ tempore hyberno, vitam vivacem retineant.

Thes. 12. De iis quæ peccata in se, quædam sunt aliorum peccata, nostra duntaxat miseria. Ejusmodi sunt, cogitationes blasphemæ, quæ, cùm à solo diabolo suggeruntur, à nobis certatim rejiciuntur, ejus, non nostra, sunt peccata. Nec enim aliter innocens erit Dominus Jesus, cujus animam, à diabolo injectæ, istiusmodi pertransierunt tentationes. Reus non est læsæ majestatis, vel cujusque atrocis flagitii, qui, ab alio provocatus, aversatur prorsus. Fœmina,

Deut.22.15 Quæſt. in Geneſ. Ep. 180, 122. De civ. Dei lib.1. cap.18

cujus pudicitiæ, cùm ipſa totis viribus reniti-tur, vis infertur, ut miſera, non ut adulterii rea habita eſt. Sic Hieron. *Corpora ſanctarum mulierum non vis maculat, ſed voluntas.* Et Auguſt. *Invita virgo, vexari poteſt, non violari.* Sic ſi ſacra, cum adulteris, perjuris, ebriosis, nobis neceſſitas incumbit celebrandi, miſeria noſtra eſt, non culpa: Sic abuſuum quorumcunque, vel in Eccleſiâ, vel in repub. vel in familiâ reformatio, quæ non penes nos, cùm facimus quod fert vocatio noſtra, non nobis ceſſura in peccatum. Sic idololatriæ vel ſuperſtitionis monumenta, quæ adhuc in locis publicis reperiuntur, nec ea demolitur magiſtratus; privati cujuſque, ſi minimè tollantur, non ſunt peccata, ejus duntaxat miſeria ſunt.

Luc. 7.

Theſ. 13. Dolor qui de peccato, ſive legalis, ſive Evangelicus, quòd ad gradum, varius: Alius intentior, ut in Davide, in Manaſſe, in fœminâ peccatrice, in Petro: Alius remiſſior, ut in Zacchæo, latrone in cruce, Lydiâ, &c. Videndum hic, 1° Quare, quod ad gradum, varius. 2° Quis gradus minimus.

Varietas hæc contingit. 1° Quòd, ex eâ, ſapientia Dei, qui variis mediis ad eundem finem perducit, conſpicua magis. Operantis illa laus, quòd non, in eo quod effectum dat, huic vel illi medio aſtringitur. Hinc Chriſtus, tam in morbis curandis, quàm in dæmonibus ejiciendis, non unam eandémque inivit viam. Hunc doloribus quaſi infernalibus obruendo, alium dolore non niſi leviuſculo afficiendo, ad eundem ſalutis portum deducit Deus. Huic oſſa luxata ſic reponit Chirurgus, ut vix ſentiat æger; alteri ſic, ut ægrum miſerè torqueat: Injuſta illa

que-

querela, siquando quis membra dislocata reponenti vitio vertat, quòd leni manu id factitatum. 2. Quòd dolor, sive intentior, sive remissior, Deo sic suaviter disponente, peccato expurgando, animum ab eo abalienando, inservit. Abducitur à nequitiâ hic verbere molliori, hic non nisi vibicibus. In illo, quæ est cum peccato arctior amicitia, dolore lento sensim dissuitur; in hoc verò violentiùs abrumpitur. Non ultrà exigit Deus, quàm ut dolore egeratur peccatum, ut ex animo sibi displiceat quis; nec enim nocent quæ non placent. 3. Quòd dolor est resipiscentiæ non nisi accidentalis. Est illa, propriè loquendo, μετάνοια, transmentatio, sive mentis mutatio; ut, quæ in amore boni, & odio mali versatur. Voluntas, ad Deum conversa, renititur; quòd patitur aliquid à quo dissentit. Ita, ut Amesius, dolor de peccatis necessariò comitatur conversionem à peccatis, quia anima, dum se convertit à peccato, incipit nolle peccatum, aut ab eo dissentire. Sentiens enim adhærere sibi illud, à quo maximè dissentit, non potest non offendi, ut læsa. Non igitur dolor nisi index resipiscentiæ, ut qui ex eâ enascitur; quam ut indicet, sufficit, non doloris mensura, sed veritas. 4. Gratiæ, quæ à Christo ad nos devenit, nihilo quis incapacior, quòd non dolore æquè ac alter perterrefactus. Fac maleficos binos capitis supplicio adjudicari, utrique à pœnâ relaxando condonat princeps; huic cùm jam laqueo induendus, illi verò cùm non adhuc carnifici traditus, innotescunt literæ dimissoriæ. Non hic, ut ille, pari dolore consternatur; non propterea principis misericordiæ minùs capax. 5. Quòd, in quibusdam vocatis, ita dolorem de peccatis sequitur, quasi à tergo, gaudium

Cas. conf. lib. 2. cap. 8.

ſpiritûs, ut illum ſi non abſorbeat prorſus, at mitigat lenítque valdè; ut in ſuprà memoratis, Zaccheo, &c. 6. Quòd varia quæ in convertendis conditio variam flagitat in medendo artem. Lignum, quod tuberoſum, conſragoſum, non niſi ictibus magno impetu impactis diffinditur: medicina quæ hunc curat, alterum perderet; quæ hunc ſanat, alteri, in quo malignior morbus, parùm prodeſſet. 7. Quòd operi, cui à Deo deſtinantur, haud eſſent idonei, niſi humiliati magis ex ſe extraherentur, ad nihilum ſuo ſenſu redigerentur. Sic, qui in Eccleſia columnæ futuri, ut Paulus; qui alios deinceps conſolaturi, &c. 8. Quòd, in ſalutis fabrica, non tanti eſt apud Deum gradus contritionis, quàm fides. *Non enim*, ut, ait Chemnitius, *remiſſio peccatorum pendet ex ſufficientiâ, magnitudine, & merito contritionis, ſed ex obedientia & ſatisfactione Chriſti, fide apprehenſâ.* Et Gregor. *Non in fletibus noſtris, non in actibus noſtris, ſed in Advocati noſtri allegatione, confidamus.* 9. Quòd eſt varia hominum, ratione affectuum, temperies. In hoc affectus illico erumpunt, in illo tardiùs excitantur; non eodem impetu ſe effundunt in hoc, atque in illo, ſive gaudium ſive dolor: Quòd peccatoris ad Deum converſio eſt quaſi actus parturientis; eſt quilibet, à Deo per Spiritum genitus, renatus. Ut in partu naturali, alius non ſine maximis angoribus in lucem prodit, cùm alius nullâ difficultate naſcitur; perin, & in genitura ſpirituali, nullus ſe non regenitum cauſetur, quòd facili manu è clauſtris peccati eductus.

Exam. conc. Trid. cap. de contrit.

In Ezek. Hom. l. 7.

Atque ſic, Quare dolor, quòd ad gradum, varius: Sequitur, Quis minimus, infra quem non remittendus. Eſt verò, cum quis ex animo do-

mo dolet, quòd de peccatis non poteſt dolere; ſic dolenti ſatagendum, ut ampliùs doleat. Qui enim in doloris gradu, ad quem pervenerit, ſive major, ſivè minor, acquieſcit, nunquam ille verè doluit. *Si dixiſti, Sufficit, periiſti*; ait Auguſtinus.

Ut verò ampliùs doleat, eapropter incumbendum, 1° Ut à terroribus, à ſcrupulis, de ſpirituali conditione, qui ex doloris intenſioris abſentiâ emergunt, animúmque miſerè vexant, liberetur. 2. Ut à gravioribus Dei flagellis, quibus Deus ſuos quandoque expergefacit, ut de peccatis præteritis humilientur magis, immunis ſit. 3 Ne ad peccata, è quibus evaſit, retroagatur. Citiùs relabitur, qui minùs de peccatis doluit. Quòd verò, ad ulteriorem gradum aſpiranti, ſufficit hic, arguitur; 1. Quia qui ſic dolet, revera de peccato dolet; ſiquidem, præ cordis duritie haud poſſe dolere, peccatum eſt. 2 Cor. 8. 12.
2. Dolere quòd non doleas, animum ad dolendum propenſum denotat, qui coram Deo eſt acſi doleat. 3. Qui de non dolendo dolet, in eo ſpiritûs & carnis agon; eadem enim animi facultas (quod hujus certaminis indicium certum) in ſe diviſa. 4. Qui dolet admodùm, quòd dolere non poteſt, ille appreciativè dolere cenſendus; cùm nil ei in votis magis, nil quod æquè conſectatur, ac peccati deteſtationem, boni contrarii conſequutionem. Sufficit hoc, ſub fœdere Evangelico, utcunque abſit dolor intenſus. Exiſtimat enim Deus nos tales eſſe, quales ex animo eſſe cupimus, non quales ex carne adhærescente ſumus. 5. Vel non niſi ſic dolentem ſuſtentet, quòd utilius quandoque homini, Deo ſic ordinante, velle eſſe contritum, quàm ſentire contritionem: magis enim coram Deo humiliat.

CAP. XXII.

In sublevandis animo vulneratis, quid cavendum.

ATque sic de sublevandis animo vulneratis, pro vario eorum discrimine. Sequitur quid cavendum.

Can. 1. Sic dispensari oportet consolationes Dei, ut sublevatis non obrepat carnalis quædam securitas. Siquando igitur illis ordine debito solacium instillavimus, suggerendum, 1. Ut tam fidem, quàm resipiscentiam de peccatis præteritis, multoties renovent; utraque cùm imperfecta, necesse id, ut indies renovando promoveantur. 2. Ut consolationibus Evangelicis,
Tit. 2. 11 & gratiâ quæ in Christo eluxit, dignè ambulent: abundent scil. in bonis operibus: gratias quas infuderit Deus, in vitæ consuetudine ex-
1 Pet. 2. 9 serant. 3. Ut à tepiditate & pietatis larvâ, à quâ abest δυνάμις, inprimis caveant. Grande hàc imminet periculum, si non sensim invadentem torporem excutiant, qui aliquando terroribus exercitati. 4. Ut cautè sibi invigilent, ne peccatis, è quibus evaserunt, denuò implicentur. Quæcunque inducant occasiones, vitandæ; propositum, quo ad bonum propensi, à malo aversi, omni conatu firmandum; quibus se votis obstrinxerunt animo vulnerati, dum vulnerati, religiosè præstent.

Can. 2. Afflictis, quæ idonea ut consolentur

tur, sic proponenda, ut non ab opere desistat pastor, quòd non etiam post moram affulgeat consolatio. Etiam per multos annos suos terroribus exercuit Deus; ut Hemanem. Mansuetudine & longanimitate hîc opus est; quâ Deo attenditur, usque dum manum porrigat auxiliarem. Fateor tædium obrepere solere, cùm multoties eadem inculcanda, cùm vel millies iisdem insistendum, nec hilum tamen proficimus. At occurrat, solum sapere, qui consolationis author; novit ille duntaxat, quod tempus accommodum; nostrum id, ut eum patienter expectemus. Qui etiam ad aliquot annorum spatia in ergastulo conclusus, lucem non intuetur, tandem gaudio ineffabili perfunditur. Abundè compensat nostram, vel ad nauseam, in iisdem suggerendis diligentiam, siquando è Satanæ laqueo ovis ægrota expedita evadat. Atque sic de ovibus morbidis, quæ animo vulneratæ: Sequuntur quæ lapsæ. Psal. 88. 15

Cap. XXIII.

Lapsis quomodo succurrendum.

De ovibus lapsis videndum, Quomodo iis in genere succurramus. Quomodo in specie. Lapsi, in genere, quomodo tractandi.

In Genere,

Can. 1. Quæ omnium in ore, vel vitæ errata vel mentis errores, ea, non nisi justis argumen-

tis nobis comperta, publicè reprehendenda. Non ex trivio arripiat concionator, vel de malè agentibus, vel de minùs orthodoxè sentientibus, volitantes rumusculos. Exploratum id sit, quòd reverâ sic; priusquàm ad publicam vel reprehensionem, vel refutationem prosiliat. *Ubi inquisiveris, & perveſtigaveris*, &c. *si vera certáque erit res, tum percutito.* De principe pastorum hic olim vaticinatus propheta, quòd *non ad auditum aurium corriperet*, ea lagaciùs perquireret. Ezekielem voluit Deus abominationum, quarum futurus erat reprehensor, illarum priùs esset testis oculatus. Manifestò reus tenebatur ille, de quo Apostolus, incestuosus, ὅλως ἀκούεται, omninò auditur. In iis, qui circumvolitant rumoribus, plerunque mendax fama: plurimum detrahet de pastoris honorificâ existimatione, si quibusvis malè feriatorum hinc inde sparsis rumusculis, vel susurris, aurem arrigat.

Deut. 13. 14.

Esa. 11

Ezek. 8

Can. 2. In iis qui lapsi recuperandis, summa testanda animi solicitudo: subit illis in mentem, magis id esse momenti, de quo pastorem anxiè solicitum esse animadvertunt: non tanti id esse, quod non nisi perfunctoriè, quasi aliud agens, satagit. *Filioli mei, quos iterum parturio, usque quò Christus formetur in vobis.* Parturienti quid magis in votis, quàm ut fœtum enitatur? *Magna mihi tristitia*, &c. *optarem ego Anathema esse pro fratribus meis cognatis.* Haud te officio defunctum arbitretur pastor, si oves vel errantes vel lapsas compellaveris, errorem viæ commonstraveris, illas reductas velit; quin multories aggrediatur, haud in utramque aurem dormire sinat, instet tempestivè, intempestivè: Non nisi magno & assiduo conatu, qui de viâ secessit, revocatur; vis quædam

Gal. 4. 19

Rom. 9. 1, 3

dam facienda; ut qui ad regis nuptiale convivium accedunt, ſic qui abſceſſerunt, cogendi. Multa errore irretitis ſuggerit diabolus, ut ſic in naſſâ ſuâ detineat; multa iis qui gravius lapſi, nè ad bonam frugem redeant, inculcat: Hæc omnia perrumpat oportet paſtoris ardens deſiderium, operoſa ſedulitas. Luk. 14

1 *Can.* 3. Innoteſcat lapſis pia & tenera ipſorum commiſeratio: in illorum vulneribus contrectandis, adſit miſericors ſympathia; in erroribus taxandis, arguendis, memor ſit paſtor infirmitatis humanæ, quâ & qui robuſtior poterat circumveniri; cogitet, quàm facilis in errorem lapſus. Siquando conditio noſtra, quæ jam illorum, haud ejuſmodi ferremus medicos qui in vulneribus noſtris perſcrutandis ἀπαθεῖς prorſus. Sunt lapſus cujuſque generis, ut oſſa luxata, quæ tenerâ manu reponenda. *Si præoccupatus quis fuerit lapſu aliquo, inſtauretur ſpiritu lenitatis: Non enim*, ut Calvinus, *fiat inſtauratio violentiâ, nec accuſatorio ſpiritu, nec truculentiâ aut vultûs, aut verborum. Qui redarguit, ſpiritum afferat placidum & manſuetum: non geſtum duntaxat, quo quis manſuetudinem præ ſe fert, ſed ſpiritum*, ait ille. En Moſem, Joſhuam, & Ezram qualiter, ubi populus defecerat, affecti. *Quis infirmatur, & non ego? quis offenditur, quin ego uror?* Quàm multi, ut conqueritur Calv. qui ſecurè prætereunt omnia ſcandala, qui fratrum infirmitates vel deſpiciunt, vel ſub pedibus conculcant: hoc inde fit, quod nullâ Eccleſiæ curâ tanguntur; nam cum συμπάθειαν generat, quæ facit ut omnium affectus in ſe ſuſcipiat Chriſti miniſter, omnium perſonas induat, quo ſe omnibus accommodet. *Metuo ne me humilem* Gal. 6. 1 2 Cor. 12. 29 2 Cor. 12. 21

faciat

faciat Deus apud vos, & lugeam multos eorum qui peccârunt, nec eos pœnituit immunditiæ. Germani pastoris id, luctu suorum peccata prosequi, eorum lapsibus ut suis condolere. Christus proditoris facinus commemoraturus, & scandali & sceleris atrocitatis ratione habita, ex imo pectore ingemiscit.

Joan. 13. 21

Can. 4. Apud quoscunque lapsos omnia sedatè peragenda. Affectus, sive in illis, sive in nobis, si conturbentur, haud facit judicium quod suum. Non penetrat visus ad fundum aquæ, ubi fimus concitatur; nec acies animi, in iis qui affectibus abrepti, potest esse perspicax. Nil dextrè succedit, ubi aut irritamus, aut irritamur. Absit itaque hîc omnis sermonis amarulentia, sive dicendo, sive scribendo. *Ego*, inquit August. *quando cuiquam vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis atque coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorique consulens, non ago ut efficiar homini convitiando superior, sed errorem convincendo salubrior.*

Lib. 3. cap. 1 contra liter. Petilian.

Atque sic in genere erga oves lapsas se gerat pastor: sequitur, quomodo in specie. Atque cum oves lapsæ, vel moribus, vel mentis errore, impegerunt, videndum, 1°. Quomodo moribus lapsis se accommodet animarum curator.

Can. 1. Lapsorum famæ inprimis consulendum. Quod fit, Primò, privata privatim; non nisi publica, aut quasi-publica, publicè reprehendendo. Quæ non nisi te conscio perpetrantur, privatæ admonitionis velo obtegenda; nullatenus ad publicas reprehensiones progrediendum, nisi vilipendantur privatæ. Qui secùs fecerit, lapsus

Lapsi moribus, quo modo recuperandi. Matth. 18.

lapsus clancularios in apricum proferendo, næ ille reprehensos irritabit, haud facilè emendabit. Quisque enim eatenus duntaxat ex reprehensione proficit, quousque in eâ benevolum reprehendentis affectum animadvertit. Nulla verò amoris certior tessera, quàm ubi lapsi famæ consultum. *Si velis illum publicè arguere, quem solus nosti peccâsse, non correptor, sed proditor eris,* ait Augustinus. Nihilo seciùs, si quis pluribus consciis lapsus fuerit, omnis existimationis cura posthabenda, coràm omnibus arguendus, ut sic reliqui timeant. Pluris enim esse debet animæ cujusque salus, quàm ejusdem fama, ubi alterutra necessariò negligenda. 2°. Si sic arguamus, ut pudorem qui in lapsis reliquus est conservemus. Est pudor, ut retinaculum, quo inhibentur homines ne in summum nequitiæ gradum præcipites ruant. Periculum erit, si eos supra quod par pudefaciamus, ne frontem perfricent, &, pudore excusso, peccato quasi habenas laxent. *Ubi reprehendentem, servare sibi secretum videret reprehensus; servabit & ipse emendationis pudorem: Si verò viderit se defamari, illico ad impudentiam denegandi convertetur; ita non solùm non emendaveris peccatum, sed duplicaveris;* ait Cyrill. Accedit, quòd illum in nos amino propenso ducimus, adcóque lubentiùs ei auscultamus, cui id cordi est, ne nos opprobrio exponat. Id illis itaque sit exploratum, nos non illis pudefaciendis studere; duntaxat ipsorum resipiscentiam, munere defungendo, nos in oculis ferre. *Non, ut vos pudore suffundam, hæc scribo; sed ut filios meos dilectos admoneo:* non sc. id propositi mei, ut vobis ignominiam irrogem, aut probro exponam. Nihil tamen impedit, quo minùs lapsis, si post varias admoni-

Lib. de correp. & gr. c. 16. lib. de fide & oper. c. 3. Serm. 16. de verb. secundùm Matth. 1 Tim. 5

In 1 ev. li. 3.

1 Cor. 4. 14

admonitiones animo ſint præfracto, pudorem pro virili incutiamus. Vel paterna caſtigatio, quæ intimum ſpirat amorem, filium non aliter ad bonam frugem rediturum, pudore ſuffundit. Omnis ex animo pœnitebundus, de peccatis ſuis
Jer. 31.19 erubeſcit. *Erubeſco, etiámque pudore ſuffundor,*
Jer. 6.15. cùm converſus, ait Ephraim. Et prophetis vitio vertit Deus, quòd *non fecerunt ut erubeſceret* populus. Ita eſt pudefactio, medium à Deo
2 Theſ. 3.14 præſcriptum, ut ad eum redeant lapſi; ut *pudefiant* lapſi, *non habendum cum illis commercium.*

Can. 2. Cum lapſis vel mitiùs, vel aſperiùs, agendum. Ut morbis, ſic peccatis, non eadem ſingulis conveniunt remedia, diſpar lapſos recuperandi ratio, alios *commiſerari* oportet, alios
Jude ver. 13 *perterrefacere. Qui de peccato ſine diſcrimine ſtatuunt, aberrant à ſalute ægrotantis; non enim ſimplex eſt peccati morbus, verùm varius & multiformis, plurimiſq; noxiis propaginibus ſuppullulans;* ut Concil. Conſtantinop. 6. c. 102. Ratio habenda, 1°. Naturæ peccati: videndum ſc. ſitne delictum, an ſcelus; ſcientiæ, an ignorantiæ; ſi ignorantiæ, ſimpliciſne, an affectatæ; voluntarium, an involuntarium; publicum, aut non niſi quaſi-publicum; cum Eccleſiæ ſcandalo conjunctum, annon. Pro variâ lapſuum naturâ, variè adhibenda medicina, lenior vel
1 Cor. 4.21 acrior. *Quid vultis ut virgâ veniam ad vos, an cum ſpiritu lenitatis?* Ordinem varium, quo aliter cum his aliter cum illis agendum, notat Apoſtolus. Tam enim peccat, qui lenitate præfractam proterviam fovet, quàm qui ſeveritate abutitur. Quorſum aliter Scripturæ, non ſimplicem doctrinam duntaxat proponunt, ſed porro acerbiores admiſcent reprehenſiones. 2°. De animo peccantis; qualiter ante, inter, & poſt peccandum

dum affectus, seriò dispiciendum. Scil. ex proposito nécne, an ex infirmitate citra propositum; si ex proposito, quis malitiæ gradus instigaverit; audaciúsne, an verecundiùs, inter peccandum se gessit; post lapsum, sítne animo pœnitebundo, vel obfirmato & pertinaci. Si quis vel ex Satanæ malitiâ, vel ex carnis infirmitate, præoccupatus fuerit, *hunc instaurate cum spiritu mansuetudinis.* Si modo abit malus animus, placidè, non iracundè, non clamosè agendum. Sic Deus ipse, Jobum reprehensurus, non crimen verborum atrocitate exaggerat, sed pacatè & leniter cum eo expostulat. *Plus aget*, ait Leo, *in quosdam corrigendos, benevolentia quàm severitas, charitas quàm potestas.* 3. Animadvertendum in lapso, quæ circumstantia personæ, loci, temporis, crimen amplificent, peccantem majori reatu constringant; semélne duntaxat impegerit, an multoties idem ingeminaverit peccatum; sponténe suâ, an aliorum suasu inductus, peccavit.

Gal. 6. 1

Ep. 48

Can. 3. Danda opera, ut pœnitentiam redintegret lapsus: novâ enim pœnitentiâ abolendus novus peccati actus. Huc conducit, 1. Ut lapso, nondum humiliato, peccati atrocitas omni modo repræsentetur. Nullus, ut par est, peccati sensu consternatur, cui non ejus turpitudo conspectior. Circumstantiæ, quibus peccati natura exaggeretur, in unum aggregandæ: Quæ in se non ita gravia, circumstantiis loci, personæ, temporis, &c. fiunt gravissima. Personæ, sic; *Ego unxi te in regem super Israelem*, &c. *quare sprevisti verbum Jehovæ?* Loci; ut si illic peccatum fuerit, ubi plurima adfuere, quæ à peccando revocarent media: *In terrâ aquissimâ iniquè agit.* Temporis; ut Ezra. 9. 13, 14

2 Sam. 12. 7, 9

Isa. 26. 10

Cum

Cum tu dediſti nobis reſiduum hujuſmodi, an rurſus irrita faceremus præcepta tua? Plures ejuſmodi ſunt quæ peccatum amplificant circumſtantiæ, de quibus paſſim in Scripturis, & ſuprà non nihil.

2°. Conquirenda undique tam à lege, quàm ab Evangelio, deſumpta argumenta, quæ lapſum ad ſeriam pœnitentiam deducant. Delectus hîc eorum adhibendus, quæ apud lapſum majoris futura ponderis verisimile: Quæ hunc afficiunt inprimis, apud illum non pariter efficacia; Hic labor, hoc opus, ut lapſum peccati admiſſi ex animo pœniteat; nullus non movendus lapis, ut ex laqueo diaboli qui irretitus liberetur.

3°. Ubi ex peccati ſenſu conſternatus jacet lapſus; ſpes illi facienda, poſſe peccatum, modò ex animo & credat & reſipiſcat, condonari.

1 Sam. 12. 20 Ezra 10. 2. *Vos feciſtis totum malum hoc; veruntamen ne recedite averſi à Jehovâ.* Utrinque enim hîc periculum; ne carne putridâ non corroſâ vulnus ſanetur; vel ne ſpem abjiciant deſperabundi qui lapſi. Utrique ut ſuccurrat paſtor, ſpes, & non niſi ſpes, Quòd peccata ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ remitti poſſunt, illis facien la.

4°. Exigat tempore idoneo à lapſo paſtor, pro naturâ peccati, vel publicam ἐξομολόγησιν, ſi publicum; vel damni compenſationem, pro injuriæ illatæ naturâ. Publica ἐξομολόγησις, eſt ſolennior coram idoneis teſtibus pœnitentiæ profeſſio, tum oris confeſſione, tum humiliationis ſignis in offenſis teſtanda. Idonei teſtes ſunt, ſi non publicum, ſed quaſi-publicum duntaxat ſit peccatum, ii qui ex communi conſenſu in Eccleſiâ præſunt: ſin ſcandalum emanavit in vulgus,

vulgus, adeóque publicum est, ut toti Ecclesiæ publicâ confessione satisfiat, necesse est; 1. Ut Deo & hominibus testatum sit, Ecclesiam non συνευδοκεῖν, *Quòd pura*, & à scelere admisso incontaminata. 2. Ut hujusmodi mulctis, sive castigationibus severioribus, reliqui admoniti diligentiùs sibi ab ejusmodi lapsibus caveant. 3. Ut lapsi cautiores reddantur, cùm illis peccati fœditas, cujus luebant pœnas, obversatur. 4. Ut Ecclesiæ cui scandalum dedêre, hâc publicâ professione pœnitentiæ, se reconcilient lapsi. Si enim munus ad altare allatum rejiciat Deus, quòd fratri, vel uni, non te reconciliâris; nedum quòd pluribus non satisfeceris? De damno verò resarciendo ab iis qui causa damni fuêre, consulendi Casuistæ, Quatenus quis tenetur, & Cui, & Quomodo. Cavendum verò hîc, ne fucatâ pœnitentiâ nobis imponant lapsi; Examen instituendum, num cordatè resipiscant. Non ad confessionem admittendi, nisi de quibus probabile, ex animo facere quod faciunt. Hinc olim vetus Ecclesia per aliquod tempus eos jubebat esse in statu pœnitentium; primò peccata deplorare, precibus instare, concionibus attendere, &c. dein ad ἐξομολόγησιν venire; nec in eo acquievit Ecclesia, quòd publicâ confessione satisfecerunt lapsi, nisi ad tempus consequentis vitæ consuetudine probatâ verè respiscentium specimen dedêre. Vide Cyprianum conquerentem, quòd in Ecclesiæ sinum præpropere nimis recipiebantur, qui lapsi.

2 Cor. 7. 11

1 Tim. 5

Lib. Ep. 1. Ep. 3. ad Cornel. Lib. 3. Ep. 14

5°. Ubi lapsus abundè fidem fecerit, quòd cordatè resipuerit; in Ecclesiæ gremium, quâ possimus tenerâ commiseratione, maturè recipiendus. Periculum enim aliàs erit, ne à tristitiâ

ſtitiâ abſorptus Satanæ aſtutiâ animum deſpondeat. At non illa Eccleſiæ mens, ut cenſuris, quas vult medicinales; membra morbida deſtruat; ſed iis lapſos ad bonam frugem revocet.

2 Cor. 2. 7. *Ei* (lapſo Corinthio pœnitenti) *condonetis, eúmque conſolemini, ne quo modo redundante triſtitiâ abſorbeatur vir hujuſmodi. Precor vos, ut ratam faciatis in illum charitatem.* Sic & Dominus Jeſus Petrum fœdiſſimè lapſum, modico tempore intercedente, ubi de pœnitentiâ conſtabat, ad miniſterium verbi reſtituit. Meritò hîc culpanda illa apud veteres tetrica in diſciplinæ exercitiis auſteritas, quâ in triennium, ſeptennium, & ultrà, pœnitentiam lapſorum prorogârunt. Annon hi immodico ſuo rigore medicinam verterunt in venenum? Periculum enim inde erat, ne in deſperationem adigerentur. *Inventa autem cenſura Eccleſiaſtica ad medelam, non ad necem; ad congregationem, non ad diſperſionem; ad diſciplinam, non ad defectionem*, ait Bucerus.

Joan. 21. 15.

In 2 Cor. 2. 7.

Atque ſic cum iis qui moribus lapſi agendum: Sequitur ut dicam, Quomodo cum iis, qui mentis errore abrepti.

Erroribus impliciti, quomodo tractandi.

Can. 1. Diſpari ratione cum errantibus agendum; ſive pro natura erroris, ſive pro errantis affectu; prout in vulgis emanavit error, vel non. Errorum id diſcrimen, quod alii fundamentum ſubvertunt, alii non: alii totaliter id faciunt, alii non niſi ex parte: alii non omninò fundamentum labefactant, ſed vel nævi duntaxat ſunt in fundamento; vel tecti ſunt duntaxat, non fundamenti: Vel placidè, vel contentiùs, agendum, pro naturâ erroris. Sic Galatas acriùs perſtringit Apoſtolus; *O ſtulti Galatæ, quis vos faſcinavit?* Et Corinthios, articulum reſurrectionis,

Gal. 3.

nis, in quo caput fidei, in dubium vocantes, quasi indignabundus dementiæ insimulat; *Stulte tu, quod seminas, non vivificatur, nisi mortuum fuerit.* 1 Cor. 15. Philippenses verò, ut videtur, in levioribus dissentientes, blandiùs affatur; & cap. 3. v. 15. *Si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Phil. 2. Ut errorum, sic & errantium discrimen. Sunt alii hæretici, id est, ejusmodi, quorum errori, idque in fundamento, accedit & evictio & contumacia: Sunt alii (ut Augustinus) *non hæretici, sed hæretico credentes*; qui antesignanis suis fide quâdam implicitâ adhærent, illorum imbibunt errores; nec tamen quæ inde pullulant opinionum monstra, percipiunt; De his verisimile, si corollaria quæ inde nascuntur absurda perpenderent, illos errores suos deposituros. Sunt alii, qui, cùm errant, id agunt ut alios seducant: omnem arripiunt occasionem ut alios à viâ veritatis abducant: Sunt alii, qui duntaxat seducti; haud dissimiles hi viris qui Absalomum secuti, de quibus sic, Quòd *in simplicitate cordis abibant, non scientes quidquam.* 2 Sam. 15. 11. Leniùs cum his agendum: qui in erroribus suis obfirmati, asperiùs tractandi, ἔλεγχε ἀυστὺς ἀποτόμως. Tit. 1. 13. Denique, ex iis qui errore abacti, aliorum errores intra domesticos parietes concludunt, nondum efferuntur; aliorum dogmata malesana publicè disseminantur. Illos privatim convenire oportet, aut, si id necesse fuerit, non nisi teste uno aut altero adhibito; illos adoriri sic Christus jussit. Hâc si aggrediamur viâ, nec illorum propalamus errores; & illos, quorum famæ sic consulimus, arctiùs nobis obstringimus; & faciliùs multò, cùm id adhuc sine famæ dispendio possunt, sententiam suam deponent. Matth. 18.

Can. 2. Qui errantium vindex, judicium primò informet. Nec suasionibus nec redargutionibus locus est, nisi, quid verum, quid falsum, quid orthodoxum, quid non, perspicuè docuimus. Hæreticorum ille mos erat, ut alicubi observat Tertull. quòd priùs persuadebant, dein docebant; nobis alia ineunda via, si quos erroribus liberemus, eos in fide stabiles velimus, nec quovis seductorum vento circumferri. Enascuntur sc. quæ in animo altiùs radices agunt, sive ἀποτρεπτικὰ, sive προτρεπτικὰ, è doctrinalibus solidè conclusis: Sic est doctrina, quæ judicium collustrat, instar substrati fundamenti: qui deinceps accedunt sermones suasorii, vel reprehensorii, sunt instar ejus quod superimponitur; sive tectum, sive parietem velis. Hinc Canon ille Apostoli, *Argue, increpa, cum doctrina.* Inde item est, quòd, in deviis reducendis, ne hilum proficiunt pastores plùs satis fervidi; qui in errantes acerbiùs invehuntur, summoperè tumultuantur; interim vel non omnino id agunt, ut judicio satisfiat, vel siquid faciunt, sua omnia laxè concludunt. Judicio verò ut satisfaciamus, 1° Seriò animadvertendum, quæ illorum qui errant malè sana opinio. Plerumque enim, cùm in verbis latet sensus ambiguus, periculum est, ne iis errores, à quibus abhorrent, affingamus: Andabatarum more, hîc aërem verberant, qui assertiones ejusmodi sibi confutandas proponunt, in quibus non habent adversarium: faciunt hi, quod pusillanimi quidam homunciones, virum de stramine, quicum depugnent, conficiunt. Quin itaque quæstionis, de qua lis est, apex definiri oportet; quid teneant, quid non, diligenti scrutinio expiscandum. 2. Ut contradicentibus os obstruamus, omnia angustiùs

2 Tim. 4. 2.

stiùs punctis argumentorum concludenda. Veritatis disquisitio, errorum apud vulgus refutatio, haud longos fere logos: Veritas dilucidior multò, ubi omni verborum pompa exuitur. Error, ut in corpore venæ nervique carne detractâ, facilius perspici solet, sequando omni Rhetorum ornatu nudetur. Suum feliciùs multo facit officium facultas διαλεκτικὴ, ubi id de quo judicandum quasi in punctum contrahitur. Discursus in errantibus reducendis ampliores, aut illis rixandi ansam præbent, aut veritatem involvunt magis. 3° Ex Scripturis, sive suâ perspicuitate lucidis, aut justâ sequelâ quod probatum volumus concludentibus, desumenda argumenta. Hæ sunt ad errores debellandos arma Dei præpotentia; harum ignoratione irrepiêre errores, illarum sanâ intelligentiâ deteguntur. Quæ aliunde afferuntur, Patrum, Conciliorum, doctissimorum quorumcunque suffragia, non à se habent ut judicium cogant. Sola *Scriptura est utilis ad redargutionem*: Illis duntaxat locus est, ubi, quid novum, quid antiquum, sub judice lis; ubi infirmis, qui nil nisi antiquum sapiunt, consulendum. 4° Et Scripturæ, quibus nituntur qui errant, & χρησφδήλα, quibus argumentorum quæ à nobis afferuntur vim elidere conantur, ad examen revocanda. Nisi hæc utraque fiant, ut sic, quibuscunque confidunt, spolientur, non ad se redibit errantis judicium. Torquent se in omnes formas, nihil non affingunt Scripturis, inauditas procudunt distinctiones, ut assertiones quas semel amplexi propugnent. 5° Non tam argumentorum numero, quàm pondere, certandum: nihil afferendum quod non omni exceptione majus: delectus argumentorum faciendus, ne, si infirmiora firmioribus admisceamus, illa his detrahant. 2 Tim. 3

Can. 3. Qui post evictionem & admonitionem in suis erroribus pertinaces, ii ut *δυσοκατάκριτοι* relinquendi. *Hæreticum*, i. e. qui de errore evictus non deponit, *post unam & alteram commonefactionem devita.* Nullus enim altercandi finis, si refractarios in suis nunquam finiendis rixis sequamur. Siquando veritatem semel atque iterum ab illorum offuciis vindicavimus, dicamus cum Apostolo; *Si quis ignorat, ignoret*; & *de cætero nequis mihi molestias exhibeto.* Hujusmodi litigiosæ disputationes & pastorem ab officiis, quæ necessaria magis abducunt, & contentiones fovent, cùm pugna pugnam, lis litem pariat. Hinc Hieremias, ubi Chananiam pseudoprophetam refutaverat, *abibat itinere suo. Contentionem* scil. *defugiens, & ædificationi consulens (quæ inter rixandum nulla) donec tempus Deus concederet magis opportunum*, ut Junius. Videbat, ut Calvinus ait, superiorem futurum adversarium rixando; dein audientiam non sibi futuram inter strepitus & clamores. Denique est quoddam errantium genus, quibus id cordi est, ut convitiis & opprobriis onerent qui eos ab errore conversos volunt; quæcunque illis proponuntur, sannis & scommatis excipiunt. Ubi ad hæc deventum, consulat pastor dignitati personæ suæ, nullum cum his instituat certamen. Atque sic de verbi dispensatione, simúlque de Canonibus qui ei inserviunt. Sequitur, ut de Sacramentorum administratione dicam.

Tit. 3. 10.

1 Cor. 14. 8
Gal. 6. 17

Jer 28. 11

Tit. 2.

LIBER

LIBER TERTIUS:

De Sacramentorum administratione, Precatione Pastorali & mediis, quibus in munere Pastorali fungendo confirmatur.

Cap. I.

Sacramentorum administratio, quid: &, quousque hîc Ecclesiæ potestas extenditur.

Sacramentorum administratio, quid. 1 Cor. 11

Sacramentorum administratio est pastorale officium, quo novi fœderis sigilla divinitùs instituta, ordine quem præscripsit Deus, populo dispensantur. *Quod accepi à Domino*, &c. Munere pastorali comprehendi, arguitur, 1°. A fine cui & destinantur, & apprimè conducunt Sacramenta. Fidei enim, quâ Christi participes, & confirmandæ & adaugendæ egregiam præstant operam. Quæ

ex Christo beneficia cunctis promiscuè sub fidei conditione promulgat verbum, ea singulis viritim personali distributione obsignant hæc. 2°. Unum eundémque Christum populo proponunt. Quem auribus suggerit verbi annunciatio, eundem oculis, quasi coràm crucifixum, subjiciunt Sacramenta. 3°. Pulchra illa *αὐξησία*, Mat. 28. 19 *Μαθητεύσατε, βαπτίζοντες*, pastori imponit bipartitum hoc munus. Interim verò fas erit ei, qui vel præ incommodâ valetudine, vel pro frequentiori in verbo annunciando operâ, utriusque impar, aliorum uti subsidio. Sic Christus discipulis suis hoc baptizandi munus delegavit; ipse sc. totus erat in verbo dispensando. Joan. 4. 2 1 Cor. 1. 17 Act. 10. 48 Paulus item, cum Petro per suos administros, quos lucrifecerunt, baptizabant.

Institutioni adhærendum.

Sacramentis administrandis inserviunt Canones; Generales, Speciales.

Can. 1. Sacramentis, inter administrandum, nil addendum, nil detrahendum: Primæ institutionis vestigiis insistendum; Non enim hominis, sed Dei sigilla, adeóque divinæ in Christo misericordiæ & obsignandæ & exhibendæ inserviunt. Nefas itaque erit, si humana temeritas iis aliquid subtrahat vel apponat. Si enim haud impunè feret, qui principis Sigillum, ei aliquid vel affingendo vel detrahendo, violârit; quanto acerbiori pœnâ coercendi, qui summi Dei sacris symbolis aliquid sive adjectum sive detractum velint. *Ne addite ad verbum quod præcipio vobis, neque detrahite*; Deut. 4. 2 & 13. 32 ne vel cæremonialibus, ut quibus populus Dei edocendus. *Ne facito tibi sculptile, aut ullam imaginem*; Exod. 20. 4 i. e. non ex tuo cerebro, quomodo ego sum colendus, statuas; quomodo ego constituo, sic me

me colas. Qui secùs, *apponit limen suum limini meo, postem suum ad postem meum*, ait Dominus. Ezek. 43.8 Cultûs sui, ait Junius, solus legislator est Deus; quæ hominibus permisit, ea non cultûs, sed ad cultum. Contr. 5. lib. 2. c. 18. not. 21 Nec valet, quòd additionem corrumpentem, non perficientem, prohiberi, ait Bellarm. Siquidem additio perficiens supponit in præcipiente imperfectionem; imperfectum enim quicquid, necesse est ut addendo perficiatur.

Occurrit hîc id discutiendum, Quam concessit Deus Ecclesiæ potestatem in mediis cultûs ordinandis, quam non. Quousque Ecclesiæ potestas extenditur.

Ecclesiæ limites à Deo positos, quantùm assequor, non egreditur; 1°. Cum formam externam, quâ Sacramenta celebrentur, præscribit. Hanc sibi vendicat Ecclesia libertatem, ex vi præcepti, quo res tota sic transigenda, ut maximè *ædificetur* populus. Hanc exercet Ecclesia potestatem, cùm, quæ adhibendæ in Sacramentis administrandis preces, statuit; cùm sponsores exigit, quibus de infante in fide, in quam baptizatur, educando certioretur; cùm, per illorum restipulationem, pactum, quod inter Deum & infantem intervenit, explicat; cùm Sacramento Cœnæ collectas in pauperum levamen faciendas adjungit. 1 Cor. 14. 26 Cavendum verò hîc, nequid superstitiosum, vel quod infirmis scandalo, obtrudat Ecclesia. Superstitiosum id, si ritus humanos sanciat quibus colitur Deus; omnis ejusmodi observatio est ἐθελοθρησκεία, quæ secundo præcepto prohibetur. Infirmis id scandalo est, quo vel impingunt, i.e. nostro exemplo ad id faciendum, de quo animo fluctuant, invitantur; vel scandalizantur, i.e. in pietatis curriculo, quod ingressi sunt, contristando retardantur, vel 1 Cor. 8

infirmantur; quod fit, cùm illis occasio datur, siniſtram de nobis imbibendi opinionem, acſi irreligioſi, divinæ legis prævaricatores: nil tale, in hâc cultûs formâ externâ, decernat Eccleſia. *Bonum non eſt, facere quidquam, quo*
Rom. 14. 21 *frater tuus ἢ προσκόπτει, ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ.* Si quid ex eventu tale evadat, ejus praxin liberam relinquat oportet Eccleſia.

2. Cùm non niſi ordini & decoro in ſuis ritibus conſulat. Eſt ordo, parium diſpariúmque
1 Cor. 14 ult. rerum ſua cuique loca tribuens, diſpoſitio: vel eſt, ubi aliqua congruenter ſeſe præcedunt atque ſequuntur. Sic Pet. Martyr. Ordo eſt vox tralatitia, quæ propriè de militibus dicitur, quibus certæ aſſignantur ſtationes. Inde ordo, quaſi ὅρον δῶ, ut Scaliger. Ordo, illi opponitur confuſioni & ineptæ ſacrorum diſpoſitioni, quâ fiunt ineptiora ad uſum cultûs divini. Decorum id, cùm ſacra Dei ſic tractantur, ut eorum Majeſtas & gravitas conſervetur, nullatenus lædatur; cum τὸ πρέπον ſervatur, nil mimicum, ludicrum, ſordidum, quod de ſacrorum exiſtimatione detrahit, occurit. Decoro contrariatur illa ejus quod convenit incuria, quæ, quo minùs res ſacræ juſtum finem & uſum conſequantur, impedit. Videndum hic, 1°. Quæ illa in quibus exercenda. 2°. Quare horum habenda ratio. Quod ad primum; 1°. Nullus ordini vel decoro locus, niſi in mediis cultûs quæ à Deo conſtituta. Phraſis illa generalis, qua præcipit Apoſtolus, ut omnia κατὰ τάξιν, & εὐσχημόνως
1 Cor. 14. fiant, reſtringenda pro ſubjectâ materiâ; omnia ſc. aut quæ illic recenſentur, aut illis homogenea. Si ſecùs, quas non in cultum Dei introduceret cæremonias Eccleſia, modò eis ordinis vel decentiæ titulum affingeret? Atqui revera

ſunt

sunt ordo & decorum, in Theologia, ut ciphræ in Arithmeticâ; quæ nullius in se valoris, nisi aliis conjungantur figuris. Licita hæc duntaxat, cùm in licito subjecto exercentur. Aliàs pontificiis non deerit patrocinium, in illâ suâ cæremoniarum strue, modò ordinem & decorum prætexant. 2°. Exercetur ordo, in Cœnâ Dominicâ, cùm stata tempora, sive menstrua sive trimestria, in quibus celebranda præfiguntur: cùm nullus accedit, nisi qui priùs nomen dederit: cum cantio Psalmi postponitur sacrorum dispensationi, non interponitur; nec enim ordo patitur, ut duo distincta cultûs genera eodem tempore peragantur, &c. In Baptismo; ejus administratio non de causis leviusculis ultra proximum Ecclesiæ conventum comperendinanda; jubet ordo ut pater, nomine baptizatorum, petat baptismum, &c. Lex decori postulat; ut ædificia publica, vasa, pocula, mensæ, lintea, quæ Sacramentis administrandis inserviunt, nec sordida; nec nimiùm pretiosa; ut quisque habitu gravi & decenti, in cœtum Ecclesiasticum prodeat; ut nulla baptizandis imponantur nomina ridicula; ut omnia, quâ par est, decenti gravitate peragantur. Sacerdoti non licuit *per gradus ad altare ascendere, ut non detegerentur pudenda ejus ad illud. Femoralia linea* Aaroni & filiis ejus, tentorium conventûs ingressuris, *ad tegendam nuditatem*, præcepit Deus. Christus, Pascha celebraturus, delegit cœnaculum magnum, stratum, paratum. Mulieribus indecorum judicavit Apostolus, si nudato vertice in publicis cœtibus orarent. Et, in clandestino nocturnóque Ecclesiæ conventu datâ operâ notat Spiritu sanctis, *Multas fuisse lucernas*: ne se- flagitii aut dedecoris suspicio in sanctum illum

Exod. 20.26 & 28.42

Marc. 14.15

1 Cor. 11.15

Act. 20.8

cœtum

cœtum caderet; ut observat Calvinus. Quod ad secundum: horum habenda in sacris celebrandis ratio. 1°. Quia, utcunque res & ritus Dei propriè animum ædificent, actus tamen ordinis & decori dirigendo iis, ut finem suum assequantur, conducunt. Si enim confusio & decori neglectus, quò minùs ædificetur populus, impediant; necesse id, ut ex ordine & decoro aliquid accedat adjumenti. 2°. Rebus divinis suus conservatur honos & debita reverentia, ubi ordo & decorum. Communis illa ordinis & decori ratio, quæ æquè convenit religiosis actibus atque civilibus, à religioso cultu non potest separari, quin aliquo modo lædatur illius dignitas & Majestas. Vel Ethnicis, venerabilia illa sacra, in quibus ordinis & decori cura.

Amef. in Med. lib. 2. cap. 14.

3°. Penes id Ecclesiam, prout ædificatio postulat, ut accidentalia in Sacramentis administrandis immutet. Sunt in Sacramentis quædam ὑποστάσει, quæ vocat Hyperius *inhærentia*; ut sunt forma, materia, finis. Quædam vero συμβεβηκότα, quæ appellat idem *adhærentia*; ut quæ ei non nisi occasionaliter & ex accidente conveniunt; integrum erit Ecclesiæ, prout è re populi fuerit, hæc variare. Sic, in Paschate celebrando, plusquam probabile id, Exod. 12. quòd primò stetêrunt; deinceps, ut Christi tempore accubuerunt. Et in Baptismi administratione invaluit, charitate & necessitate apud Boreales id exigente, aspersio (ut quibusdam videtur) loco immersionis. In Cœnâ Dominicâ, multa novavit Ecclesia; ut de tempore, de communicantium numero, de pane infermentato, quandoque & de vino, cùm alium substituit potum, vel propter abstemios, vel ubi ex frigore immenso corrumpitur vinum: ut apud Norvegas, qui-

quibus id concessum, *ut ex musto mysticum calicem consecrarent*, sic refert Volaterranus. Quod enim, vino usus sit Christus in Cœnâ Dominicâ, ex accidente fuit; quòd sc. id Judæorum unus potus usitatus: illud essentiale, ut cibo & potu ad spiritualem alimoniam adumbrandam uterentur.

4°. Potest Ecclesia sive signa sive media statuere, quibus homines in cultu divino celebrando suus apud homines pios testentur affectus; modò ejusmodi sint, quæ vel naturæ instinctus suggerit, vel è vitæ consuetudine, pro varietate gentium, desumantur, atque nil in iis scandali. Sunt enim hæc non nisi indicantia, quæ, quod sciam, ab omnibus concessa. Sic olim complura ejusmodi signa in cultûs divini solennitatem assumebantur; ut vestimentorum scissura, pulvis capiti superpositus, capillorum sive è barbâ sive è capite evulsio: quò enim quæque natio calori proximior, ut Orientales, ita gesticulationibus, quibus pios testabantur affectus, abundantior. Hujus generis fuêre, illa apud 1 Sam. 7. 5. aquarum haustarum effusio, in symbolum resipiscentiæ; fœderis renovati scriptio & obsignatio, quibus, ut Junius, testabantur seriàm abdicationem mali, & studium consequendæ misericordiæ, apud homines sc. Ejusmodi fuêre ἀγάπαι, de quibus Jud. in ep. Osculum illud, quo, ubi convenerunt ad cœnam Dominicam participandam, invicem benevolum affectum testabantur; Vela, quibus sexûs sui inferioritatem testabantur mulieres. Atque huc usque Ecclesiæ potestas porrigitur.

Ezra. 9. 3 Sic. alv. in Hier. 34. 5 Neh. 9 Jud. ver. 12 1 Cor. 11

Egreditur, ut opinor, Ecclesiæ cancellos à Deo constitutos, cùm ejusmodi signa Sacramentis adjungit, quæ merè institutionis humanæ, quibus Quousque non.

bus in ſpiritualibus, & Deo debitis officiis, edoceantur qui edocendi ignari, vel ad ea excitentur qui pigri & ſegniores. 1°. Quia hoc eſt ſignis humanitùs inſtitutis effectus, ſpirituales & ſupernaturales aſcribere, quibus efficiendis omnino imparia, cùm iis ſe in illum finem adfuturum neutiquam promiſit Deus. 2°. Quòd verbo, & reliquis à Deo conſtitutis mediis, acſi minùs ad docendum, vel animum ad Deum erigendum ſufficerent, injuria fiant ejuſmodi ſigna. Quæcunque per ſigna viſibilia doceri voluit Deus, verbo, ac ſignis & ritibus ſacramentalibus, circumſcripſit & determinavit. *Etſi igitur*, ut ait Aquin. *idem poteſt per diverſa ſigna ſignificari, determinare tamen, quo ſigno ſit utendum pertinet ad ſignificantem.* Si talia, quod nefas dicere, minùs ſufficerent, quæ à Deo inſtituta; liceret hominibus ſua adjungere adminicula. 3. Tranſeunt ejuſmodi ſigna in naturam cultûs, 1. quòd horum uſu, pios affectus in Deum, in nobis ingenerari ſatagimus; nihil verò ad ſanctitatem cordi imprimendam efficax eſſe poteſt, quod non à Deo in illum finem ordinatur. 2. quòd his cultum interiorem Deo exhibemus; quando autem officium quod exprimitur eſt pars interni cultûs, tum medium quo ergà Deum exprimitur, eſt pars externi; ita externi religionis actus, cultûs exterioris naturam induunt, cùm iis interior Deo exhibetur. Reſpuit verò Deus illam quæ in animo latet pietatem, quam illi mediis quæ ipſe non præſcripſit, offerimus. 4. Quòd ejuſmodi ſigna ſunt homogenea, ſaltem ex parte, imaginibus: cùm harum illæ uſus, ut ignari in iis quæ ad Deum inſtruantur, illarum adminiculo animus ad Deum elevetur, excitetur. 5. Quòd *timorem Dei*, hâc ratione, *præceptis hominum edocemus*; contrà quàm prohibet

Sum. par. 3. qu. 60. art. 5 ad primum.

Iſa. 29. 13

prohibet Deus. Quid enim hoc aliud, quàm puritatem, ſuggerere humanitùs excogitatis ſignis, quod in Phariſaicis conſtitutionibus reprehenditur ? 6. Quòd, cùm ejuſmodi ritibus externis populum ſuum in ſupernaturalibus edoceri, vel excitari, vel admoneri voluit, ipſe tales ſancivit; acſi id ei peculiare, ejuſmodi adjumentis homines in piis officiis promovere. *Erit vobis peniculamentum, ut videntes illud recordemini omnium mandatorum Jehovæ, & faciatis illa.* Mat. 15. 6. Num. 15. 39

CAP. II.

Sacramenta publicè celebranda; & cum verbi prædicatione adjunctâ.

CANON II.

Sacramenta publicè celebranda.

SAcramenta non niſi in cœtu frequentiori celebranda. Non Sacramenta templis, aut ſacellis, ut vocant, conſecratis alligamus; ſed in cœtu publico, aut quaſi publico, ſive in privatis ædibus, ſive aliàs, adminiſtrari volumus.

Primò, Quia è Sacramentis, illud Baptiſmi eſt Sacramentum initiationis, quo in Eccleſiam viſibilem cooptantur baptizati, frequentior autem cœtus propterea adeſſe debet: 1. Quòd plurium teſtimonium eſt omni exceptione majus, non ſic paucorum. 2. Quòd poteſtas, quâ quis in Eccleſiæ gremium recipitur, eſt totius Eccleſiæ; utcunque ejus adminiſtratio ſit paſtoribus demandata: accedat itaque Eccleſiæ approbatio, conſenſus, præſentia. 3. Par ra-

nio

do est membrum Ecclesiæ adjungendi, ac abscindendi: at non nisi convocato Ecclesiæ cœtu membrum resecandum; quorsum igitur, nisi convocato in unum cœtu, recipiendum & corpori agglutinandum?

Secundò, Sacramenta sunt actiones sacræ, quibus fœderati inter se mutuæ charitatis vinculo, & quasi fraternæ societatis contesseratione, ut loquitur Tilen. conjunguntur. Quod enim immediatè, cum Ecclesia universali, commune obtinere non possumus, scilicet communionem omnium bonorum, & sacrorum Ecclesiæ; mediatè, per nostram unionem cum quovis cœtu visibili particularis alicujus Ecclesiæ, assequimur. Hunc ordinem violant qui separatim à reliquo Ecclesiæ cœtu Sacramenta celebrant. Nec valet, quod objicitur, Christum ubi duo aut tres in ejus nomine convenerunt, adfuturum: Aliud id, ut duobus vel tribus suo nomine coactis adsit Christus; aliud, ut ejusmodi numerus constituat Ecclesiam visibilem, præditam potestate ministrandi Sacramenta, & exercendi jurisdictionem. Liquidò hoc apparet in Eucharistiâ, quâ non solùm nostra cum Christo communio, sed & cum Ecclesiâ in unum coalitio, obsignatur. *Quoniam unus est panis, unum corpus nos illi multi sumus*: i. e. quoniam unus est panis, quem frangimus & in multas partes dividimus; & multi efficimur unum corpus, quia omnes de illo uno pane fracto & distributo manducamus; sic Paræus; quod enim frangitur, unum fuit; & unum facit eos qui illud participant. Qualis autem hujus cum Ecclesiâ conjunctionis vel levior umbra erit, si omnia in angulo seorsim à cœtu clam mussitentur?

Synt. p. 2. disp. 65. thes. 6.

1 Cor. 10. 17

In prim. ad Corinth.

Tertiò, Accedit praxis Ecclesiæ, tum Judaicæ,

daicæ, tum Evangelicæ. *Congregati sunt Hierosolyma populus multus ad celebrandum festum azymorum mense secundo*; congregatio quamplurima. Et 2 Chron. 35. 18. *Pascha celebravit Josiah, cum habitatoribus Hierosolymorum. Die octavo venerunt ut circumciderent puerum*; viz. accolæ & cognati in unum convenêre, ut de infantis in Ecclesiam per circumcisionem ascriptione testarentur. *Primo die hebdomadis, coactis discipulis ad frangendum panem, Paulus disserebat*, &c. *Cùm convenitis ad vescendum, alius alium exspectate*; ad invicem exspectandum dicit Apostolus, ut omnium oblatio simul celebretur, ut & omnibus ministretur. *Obj.* At, quid si quærit ægrotus, in subsidium fidei, Cœnam Dominicam sibi ministrari, cùm tamen nec adest nec adesse potest cœtus vel publicus vel quasi-publicus? *Resp.* Danda opera ut ei satisfiat, 1. Quòd, si Baptismi, semel suscepti, fructus utilis est ad fidem confirmandum; quidni & Eucharistiæ priùs perceptæ fructus, etiam cùm transiit ejusdem celebratio? 2. Illis suggerendum, ut Judæis olim captivis, Sacramento & sanctuario orbatis, Deus se illis pro sanctuario futurum promisit: sic & his aliàs succurret Deus, qui, morbo detenti, publico conventu prohibentur. 3 Quòd nil tale in solatium ægrotantium necessarium, cùm Apostolus, qui datâ operâ modum ægrotos consolandi præscripsit, reticuit. 4. Quòd superstitiosa illa, de Sacramentorum absolutâ necessitate, ut absque quibus quis non salvandus, opinio inde confirmatur, nec non pluribus inde manantibus incommodis via munitur: Ut, legitimæ administrationis formæ depravationi; errori de Missis privatim celebrandis, qui hinc irrepsit; &c.

2 Chron. 30. 13.

2 Chron. 35. 18.

Luc. 1. 59.

Act. 20. 7

1 Cor. 11. 31

Bulling. dec. 5. Ser. 9. Jac. 5.

Can.

Verbi prædicatio adjungenda.

Can. 3. Sacramentorum administrationi adjungenda verbi prædicato: non acsi de essentiâ Sacramenti concio esset, tantummodo ad ejus decentem administrationis modum pertinet; ut Tilenus. Adjungi autem debet, 1 Quia plurimùm intereſt, ut quæ institutionis aut promissionis verbo implicitè continentur, sc. Christi beneficia, ea, cùm sigillum apponitur, verbo concionatorio copiosiùs explicentur. 2° Cùm quisque in Baptismo solenni voto se obstrinxerit, ejúsque immemor quis non? ansa arripienda, ut ad id exsolvendum quisque excitetur. In Cœnæ autem Dominicæ administratione, annon frigent omnia, si non & dirigantur, quomodo titè eam celebrent convivæ, & languentibus eorum animis faces verbo exhortationis submittantur? Quantum in utrisque Sacramentis imminet ab erroribus periculum, si non orthodoxâ explicatione singula enucleentur! 3° Christus discipulis in mandatis dedit, ut *docerent & baptizarent*; quæ, cùm ipse conjunxerit, nemini est licitum pro suo libitu, disjungere: ut Junius. Sic fuit praxis Ecclesiæ; *baptizabat Johannes & prædicabat baptismum resipiscentiæ*: Sic Philippus evangelizat Eunucho, & dein baptizat. Discrimen duntaxat in eo, quòd illi adulti baptizabant; nos infantes, qui verbi prædicationis haud capaces. At verò sic ad baptismum recipimus infantes, ut qui cùm adoleverint instituendi de naturâ & usu Sacramenti: nullum verò magis opportunum occurrit tempus adultos de sui Baptismi naturâ & usu erudiendi, quàm cùm aliis infantibus administratur. Atque hi Canones Generales: Sequuntur qui Speciales.

Tom. 2. thes. 55. sect. 13.

Thes. theol. thes. 50. sect. 14.

Act. 10. 34 & 6. 14, 32

CAP.

Cap. III.

Infantes fœderati, Baptizandi.

Canon.

Infantes baptizandi.

Infantes, quicunque judicio charitatis fœderati, sunt baptizandi. Charitatis judicium dico, cùm illa omnia consectamur, quibus, baptizandum sub fœdere esse, probabile fiat. Ad hujus autem, scil. charitatis, amussim administrandus baptismus: cùm, qui actu fœderati sunt, nullis indiciis certò constitui potest. Ejusmodi verò judicium illos omnes fœderatos concludit, quorum parentes fuêre fœderis sigillo aliquando obsignati. Quod enim in fœdere solenne, ut non solùm cum radice, verùm & cum propagine inde oriturâ, paciscatur Deus; *Ero Deus tuus & seminis tui*: quidni & in signo fœderis ratum sit; ut non solùm baptizato, si crediderit, efficax sit, quin & ejusdem prolem exterioris saltem signi capacem reddat? *Nunc sancti sunt liberi vestri*; scil. sanctitate externâ, quâ sub fœdere existimantur, cùm parentibus qui Christo nomen dedêre oriundi. Atque tanti est hæc parentum per Baptismum in Ecclesiæ album cooptatio, ut, si inter parentis & filii Baptismum interveniat parentis sive hæresis sive impietas, nihilo secius infanti fraudi non erit; nec enim filius infans, qui ad parentis iniquitatem manum non porrexit, ejus pœnam, saltem in spiritualibus, portabit. Et, si Judæorum infantes à circumcisione non excluſit parentum

1 Cor. 7.

Ezek. 18. 20.

tum sive hæreseos sive impietatis fermentum; quorsum sub Evangelio eosdem à Baptismo arceret majorum nequitia?

Corollaria hinc exsistunt quatuor. Primò, Ethnicorum infantes, qui aut propter ætatem, aut propter linguæ imperitiam instituì à Christianis nequeunt, etsi à parentibus illis traditi, adeoque Christianorum familiis inseruntur, non tamen sunt baptizandi, donec pro ætate & institui possint & instituantur. Nec refert, quòd in Abrahami familia tam vernæ pecuniâ empti, quàm ab eo prognati, circumcidebantur: cùm ex eo probabile proselytos fuisse omnes, i. e. veri Dei cultores, cùm de illo sic testatur Deus: *Agnovi eum, quòd præcipiet filiis suis, & familiæ suæ post se, ut observent viam Jehovæ.* Gen. 18. 16

Secundò, Hæreticorum, apud quos salva Baptismi formula, non sunt à baptismo rejiciendi infantes. Nec enim hæretici, nisi quà hæretici, sunt ab Ecclesiâ excluſi: atque illos, utcunque, ex parte, fidei fundamenta subvertentes, aliquo saltem modo ad Ecclesiam pertinere, his constant argumentis: 1°. Quod Ecclesia in eos semper exercuit censuras suas Ecclesiasticas. *Quid meâ interest de extraneis judicare? nonne de iis qui intra sunt vos judicatis?* 1 Cor. 5. 12 2°. Quòd, si aliquando ad sanam mentem redierint, non sunt de novo tingendi, Sin verò per hæresin ab Ecclesiâ penitùs abscinderentur, opus esset novâ per baptismum insitione. *Non itaque*, ut Augustinus, *nisi secundum quid, ab Ecclesiâ visibili recedunt. Isti*, inquit, *in quibusdam rebus nobiscum sunt, in quibusdam è nobis exierunt.* Et alibi idem Aug. *Qui seipsos societate cæterorum* (ecclesiæ sc.) *separantes, non nulla eadem faciunt, non se in iis separaverunt; & ex eâ parte in texturæ compage detinentur in cæterâ scissi sunt.* Contra Donatistas, lib. 11. cap. 1 Lib. 1. cap. 8.

Tertiò

Tertiò, Excommunicatorum liberi non ſunt à baptiſmo prohibendi. Excommunicatio enim, cùm non Catholicæ, ſed particularis Eccleſiæ cenſura ſit, excommunicatum non ab Eccleſiâ ſimpliciter, ſed κατὰ τὶ, excludit; non à Chriſto membrum abſcindit, tantùm hâc, quam Chriſtus Eccleſiæ tradidit, poteſtate caſtigat. Eccleſiæ medicina eſt excommunicatio, quâ lapſos ad meliorem frugem revocat: Quæro autem, cum Whitakero, Quo jure poſſit quis verum Chriſti membrum ab ejus corpore abſcindere? Hoccine eſt ſanare membrum? num ſic ſolet medicus ægroto mederi? num ægrum & languidum membrum curaturus abſcindit? Ergo qui excommunicatur, non abſcinditur à corpore Chriſti, ſed ab Eccleſiâ aliquâ particulari, ex quâ ejici poteſt, & tamen interim eſſe de corpore Chriſti. Cùm itaque ad Eccleſiam aliquo modo, ut membra ſc. effœta & ſemimortua ad corpus humanum, pertinent excommunicati, æquum eſt ut ad baptiſmum ſuſcipiantur illorum infantes. De Eccl. qu. 1.

Quartò, Spurii, & incerto patre nati, ſi de alterius ſaltem parentis Baptiſmo conſtiterit, non ſunt à Baptiſmo arcendi. Iniquum enim id, ut parentum impuritas in hoc genere, & non in alio quod huic par, obicem infanti poneret. Innumera ſiquidem ſunt parentum vitia, quæ hoc ἀκαθαρσίας vitium aut ſuperant, aut ei paria ſunt; de quibus tamen nulla infantibus, quod ad Baptiſmum attinet, lis intenditur. Interim verò in his omnibus, ſive hæreticorum, ſive excommunicatorum, ſive per impuritatem lapſorum, infantibus baptizandis, danda opera, ut ejuſmodi conquirantur ſponſores, qui & ſuam de infante in orthodoxâ fide educando ſolennem interponant

promissionem, & porro probabile illos fidem suam quam oppignerârunt præstituros. Nihil
Ep. 285 enim, ait Calv. magis præposterum, quàm inseri in Christi corpus, quos non speramus fore ejus discipulos. Quare si nullus appareat qui fidem suam obliget ecclesiæ, ac curam suscipiat docendi infantis, lusoria est actio, & baptismus polluitur. Atque sic de Sacramento Baptismi administrando. Sequuntur qui in Cœnâ Dominicâ administrandâ dirigant Canones.

CAP. IV.

De Sacrâ Cœnâ administratione; & scientiâ in participantibus requisitâ.

CANON. I.

Sacram Synaxin præcedat institutio præparatoria.

SAcræ συναξει præmittenda, ministerio verbi, publica προπαιδεία. Est autem προπαιδεία, institutio, quâ priùs informantur, quotquot Cœnæ Dominicæ participes futuri, de ejus naturâ, pio usu, de examine faciendo. Habuit
Joan. 19. 14 jam olim Judæorum Pascha suam παρασκευὴν, in quâ Levitæ piis exhortationibus populum ad Pascha comedendum præparabant; ut habetur
2 Chro. 35. 6 ex præcepto Josiæ. Quidni etiam Eucharistia evangelica conventum παρασκευαστικὸν, in quo de sui præparatione instruantur accessuri, jure sibi vendicat? Atque eò majori sedulitate hoc munere defungendum, quo sacra hæc iliotis manibus sumentibus grandius imminet peri-
1 Cor. 11. 30 culum. *Propterea inter vos multi debiles, & invalidi; & dormiunt multi.* Qui itaque à suorum sanguine

ſanguine immunem ſe cupiat, qui hæc excelſa Dei myſteria ab indignorum contemptu vindicare velit, piâ ſuorum inſtitutione animos præparet.

Paſtoralis inſpectio exercenda.

Can.2. Paſtor in Eccleſiâ conſtiturâ, Cœnam Domini adminiſtraturus, gregis inſpectione utatur. Videndum, Quæ adhibenda inſpectio, & Quare.

Inſpectio hæc vel Generalis, vel Specialis. Generalis, quâ ſingulos ita circumſpicit, ut judicio charitatis ſpem concipiat, illos dignè accedere, cùm in iis haud animadvertat inſigne aliquod impedimentum. Κειτήεια autem quibus de ſuis judicium feret, ſunt, 1°. Tacitum Eccleſiæ cujus membra ſunt judicium, quæ illos ſemper pro idoneis ad ſacra hæc participanda habuit. 2°. Conſtans illorum & attenta in verbo audiendo opera, cum vitâ immaculatâ conjuncta. 3°. Aliorum, quibus penitiùs cogniti, de illis teſtimonium. 4°. Habita aliquando, ut occaſio tulerit, cum illis, vel in genere, vel in ſpecie, de rebus fidei colloquia. Nec enim ubi frequentior cœtus, quod multoties accidit, par erit paſtor unus, ut & publico fungatur munere, & à ſingulis rationem fidei repoſcat: ſufficit, quòd aliàs certioretur. Nec in Eccleſiâ jam conſtiturâ, acſi de novo conſtituendâ, par neceſſitas unumquemque viritim ad fidei confeſſionem adigendi. Specialis autem inſpectio eſt, quâ quoſdam coram venit, ad examen convocat. Ejuſmodi illi, de quibus probabile, vel quod rerum divinarum ignari, aut de quibus conſtat quòd in publicum Eccleſiæ ſcandalum erupêre. Eatenus enim duntaxat ſuorum peccatis in hoc negotio communicat paſtor, ſi nequiter viventes ſúſque déque habeat, nec facit quod in ſe ut ſacro hoc

epulo prohibeantur; aut eos, de quibus juſta ſuſpicio, quòd ſcientiæ defectu laborant, nullo habito examine, promiſcuè recipit.

Quare. Ejuſmodi verò inſpectione utendum; quòd, qui craſſè ignari, manducent quod illis in exitium cedit. 1°. Eò quòd non dijudicant corpus Domini: i. e. non hæc ſacra myſteria à profanis conviviis diſtinguunt, nec de iis ut par eſt honorificè ſentiunt. 2°. Quòd haud poſſunt ſe examinare, cùm regulæ ad quam ſe exigerent ſunt prorſus inſcii. Qui verò ſceleratè vivunt, illis propterea à Cœnâ Domini abſtinendum; 1°. Quòd, qui hujus Cœnæ participes, fidem & reſipiſcentiam profitentur. Eſt hoc Sacramentum, non tam medium, quo fides gignitur; quàm adminiculum, quo fides genita confirmetur. Eſt Baptiſma Sacramentum inſitionis; hoc, quo inſiti nutrimur: nutrimenti haud capaces, qui ſe nondum vitâ ſpirituali imbutos teſtatum faciunt. In Deum id contumelioſum, ut qui fidei & reſipiſcentiæ ſe expertes operibus teſtantur, illas nihilo ſeciùs coram Deo & Eccleſiâ ſignorum receptione profiteantur. 2°. Qui ad hæc ſacra manum admoverſt, ei cum Deo & Eccleſiâ arctior quædam intercedit communio; quàm vero hæc ἀσύμφατα, ut quis *menſa Domini, & menſæ dæmoniorum, particeps fiet?* 3°. Qui vitâ ſceleratâ id palam faciunt, ſe non jus habere ad rem promiſſam, ad eos nullatenus pertinet rei promiſſæ ſolennior obſignatio. 4. Quæ olim ſacra Dei illotis manibus contrectantibus & comminatus eſt, & inflixit Deus, meritò cum ſcandalo viventes ab horum perceptione deterreat.

1 Cor. 10. 21.

Suboritur hîc difficultas, ubi diſciplina collapſa, quid, ut ſe aliorum culpâ liberet, paſtori facien-

faciendum; cùm tam hi quàm illi ad ſacra hæc admitti importunè efflagitant.

Reſp. 1. Quòd ad eos de quibus ſuſpitio, quòd ſcientiæ defectu laborant, hæ dirigant paſtorem regulæ.

1. Quòd, ex iis qui ignari videntur, nonnulli ſunt qui animo comprehendunt quæ neceſſariò ſcienda, nec tamen ea exprimere valent. De his videndum, 1. quis Scientiæ minimus modulus; 2. quæ comprehendendi ratio ſufficit. Scientiæ minimus modulus videtur ad hæc capita revocari; 1. Ut ſe & ex lege Dei agnoſcant ſpeciatim peccatores, nec enim id in genere confiteri ſat, & ex peccato miſeros. 2. Quòd nullatenus, niſi per fidem in Chriſtum, ſalvandi. 3. Quòd Sacramentum huic fidei obſignandæ inſtitutum. 4. Quòd credentibus in Chriſtum neceſſariò reſipiſcendum. Sic Calvinus eorùm quæ in Catechumeno deſiderantur cognitionem definit; ſc. *ſciunt precandi formulam, fidei confeſſionem, legis præcepta, ſalutem ſibi in Chriſto repoſitam: aliquid item cognoſcant de naturâ & uſu Sacramenti.* Quod verò ad illam comprehendendi rationem, in quâ paſtor acquieſcat, duplex opinio. Alia illorum, qui, cùm quæ ſcienda aliorum verbis, ſed ad illorum qui Catechumeni intellectum accommodatis, repræſentatur, id ſufficere arbitrantur, Si, ſic propoſitis, liberum & cordatum teſtentur aſſenſum. Nec abſonum hoc; Si enim illa parentis fidei in Baptiſmi adminiſtratione profeſſio, in quâ non niſi articulis fidei recitatis aſſentitur, tanti eſt, ut infantem propter illam ad Baptiſmum recipit Eccleſia, quidni valeret illa Catechumenorum profeſſio, in quâ ipſi ſuâpte perſonâ teſtantur ſuam ſtipulationem, utcunque verbis alienis exprimatur? Porrò illud

De iis qui ſcientiæ defectu laborant, quomodo judicandum.

Ep. 27. qu. 10

apud Deum ſat, quòd quæ ſcienda animo percipimus; hæc exprimendo, hominibus duntaxat ſatisfit: Atque ſat id apud homines, ſi eatenus ſe manifeſtent, ut ex judicio charitatis conjiciat prudens paſtor, eos pro modulo ſuo cognoſcere cognoſcenda. Diſcrimen duntaxat eſt inter eos, qui propriis verbis & qui alienis, ſuæ mentis ſenſa exprimunt; non, quòd hi non ſe exprimant; ſed, quòd variâ ratione, quid ſentiant, teſtentur. Altera eſt illorum opinio, qui quæ neceſſariò ſcienda ea Catechumenis diſjunctivè proponunt; ut, Crediſne te juſtum, aut peccatorem? Crediſne ex Chriſto, vel tuopte marte, te ſalvandum? Crediſne Chriſtum fieri tibi vel ex fide, vel ex aliâ quâvis ratione, ſalvatorem? &c. Si verò, qui ſpecimen ſcientiæ ſuæ daturus, optione datâ, propoſitionem quæ Orthodoxa eſt eligere potis ſit; poſſe ad Cœnam Dominicam admitti ſentiant. Nec id ſine juſtâ ratione; cùm ejuſmodi ejus quod verum electio, quod falſum rejectio, judicium ailquatenus in divinis illuſtratum neceſſariò arguit. Atque hæc mihi maximè arridet ratio, ut quâ ſive ex ætate provectiori, ſive ex ingenii debilitate infirmis, commodè ſuccurrat paſtor.

2°. Ut rectum, de iis qui rerum divinarum ſcientiâ claudicant, judicium ferat paſtor; diſcrimen faciendum: Sunt alii ingenio perſpicaci, memoriâ tenaci; ſunt alii hebetiores, ſemifatui, memoriâ labili. Non idem ab utriſque penſum exigendum, cui plus à Deo conceſſum, ab eo, non Deus ſolùm, ſed & paſtor plura repoſcat. Non acquieſcendum in minori cognitionis divinæ menſurâ, ad ulteriores progreſſus incitandi, quos non ingenii penuria, ſed inops ſocordia remoratur. Porro, ex iis qui aliquatenus ignari, ſunt

alii dociles, qui seriò pollicentur se operam daturos ut in scientiâ proficiant; sunt alii animo obfirmato & pervicaci, qui edocentibus obluctantur: alia cum his, alia cum illis, incunda ratio. Danda sc. opera quantum in se, ut qui crassè & obstinatè ignari, cùm tamen supperunt dotes quibus scientiam compararent, à sacro hoc epulo prohibeantur: de aliis verò, modò non prorsus & stupidi & indociles, præstaret multò, cum Hezekiâ, pro illis sanatrici oratione apud Deum intercedere, quàm rigidè arcere. Ἐπιείκεια Dei, ait Olevianus, *notanda est in tolerandâ sui nominis usurpatione in pietatis exercitiis. Ex. Gr. Lev. 27. legimus rata fuisse vota, quæ non contra legem Dei, unicam recti regulam, facta essent, in rebus mediis, non quia penitus Deo placerent, sed ne assueseeret populus ad impium ejus contemptum, si fraudator impunè Deo negaret quod promiserat.* Quod accommodari potest ad Eucharistiam non intermittendam à populo, licèt nonnihil rudi, nec tamen doctrinæ fidei prorsus ignaro, impio, & contumaci; qui enim ejusmodi sunt, non fuerunt impunè, nam adversus eos Ecclesia exercet spiritualem coercitionem, authoritate Christi. Quin & ipsa ruditas verbi correctione sic erudienda, ne in contrarium vitium incurratur, nempe profanum Dei contemptum, ex diuturnâ cultûs à Deo fidelibus mandati intermissione; quæ cautio etiam probationis pars est. An Deum, mandato à se honore, fraudari, nos impunè posse existimemus? Certè non magis, quàm ii qui indignè accedunt, impunè feremus. Atque sic, quomodo se gerat pastor in eos qui scientia deficiunt: Videndum, quomodo agendum cum iis qui Ecclesiæ scandalum præbent.

Olevi. de dupl. fœder.

Matth. 18 1 Cor. 5. & 2. 10.

CAP.

CAP. V.

De indignis à ſacrâ Cœnâ arcendis.

De ſcandalo publicè convicti à Cœnâ arcendi.

PRimò, Nullus à Cœnâ Dominicâ arcendus, qui non de ſcandalo dato juridicè poteſt convinci : Juridicè autem convictus ille, qui aut ex ſuâ confeſſione, aut idoneis teſtibus, reus comperitur. Aug. tom. 9. lib. de medicin. Pœnit. c.3. ut citatur à Gloſſa ad 2 Cor.5. *Nos à communione quemquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo judicio Eccleſiaſtico vel ſeculari nominatum atque convictum.* De Secretis non judicat Eccleſia, & privata ſcelera non habent vindictam. Vide Aqu. Sum.3. qu.81. art.2. & qu.80. art.6. In iis, qui ſcandalum dedêre, à Cœnâ Dominicâ excludendis, progrediendum, juxta ordinem quem præſcripſit Deus. Sunt aliquorum atrocia peccata, quæ, cùm clancularia, Dei judicio relinquenda : ſunt quæ, utcunque nobis nota, aliis tamen clam : ſunt alia pari atrocitate facinora, quæ publicè nota, non tamen ita ut adſint qui reum peragant teſtes : Non propter hæc quis à Cœnâ Dominicâ prohibendus : cùm de iis haud poteſt Eccleſia judicium ferre. Interim verò, ubi probabile eos reos eſſe, publicò verbi miniſterio vapulent, nec non privatim illis ſuggeramus de indignè ad Cœnam Dominicam accedentium periculo omnium maximo.

Vid. Juſtin. Novell.123. cap. 11.

Secun-

Secundò, Siquando manifestò scandali reus tenetur, qui Cœnæ particeps esse cupit; faciendum pastori, quod in se, ut abstineat. Illud autem à se duntaxat potest, quod jure potest. Authoritativè autem ut à sacrâ synaxi excludat, non est penes pastorem seorsum ab aliis. Est enim ejusmodi seclusio, Ecclesiæ, quæ multorum est, censura. *Si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi veluti Ethnicus. Vobis congregatis, tradatur incestuosus Satanæ*, &c. *Sufficit increpatio à pluribus profecta.* Et, ut unus exerceat quæ ad plures pertinet potestatem, tyrannidem sapit; adeóque semper in Ecclesiâ malè audivit ejusmodi jurisdictionis exercitium ἀυτοκρατοεικὸν.

De aliis indignis, quid Pastori agendum.

Matth. 18. 17. 1 Cor. 5. 2 Cor. 2. 6.

Facit autem quod in se, 1. Cùm pro virili id agit, ut periculum, cui se exponit indignè accessurus, quasi oculis subjectum cernat. 2. Cùm, per modum dissuasionis, indignos, ut abstineant, seriò hortatur; omnia coacervans argumenta, quæ verisimile apud illos efficacia futura. 3. Cùm non tam repellit, quàm eorum, qui scandalo notoriè obnoxii, ad mensam Domini accessum comperendinat, usque dum ii, in quibus potestas censurarum, suum fecêre cognitum judicium. 4. Cùm eos in quibus Ecclesiæ potestas manet, si non aliter in illorum cognitionem devenerit, certiores de scandalo dato fecerit, adeóque illorum opem implorârit. Si hâc non succedit viâ, quin quis perfrictæ frontis se ingerit indignus, etiam cùm ad mensam se sistit, symbola gratiæ accepturus, potest in publico conventu, solenni more, contra indignè accedentes protestari, vel etiam scripturâ aliquâ aculeatâ terrorem incutere, vel, si commodè potest, ei in aurem insusurret quantum ei imminet periculum. Sic olim Bernardus Monacho flagitioso, qui

qui noluit repelli; *Haud possum*, inquit, *te arcere; sed Deus judicet inter te & me.* Quod malè cessit, ut refert historia, monacho: de subito enim, postquam comederat, morte correptus est.

At numnon peccat pastor, etiamsi fecerit ut suprà, cùm penes eum videtur dare aut non? *Resp.* Id duntaxat penes eum facere, quod jure potest; at, sic ingerenti, non potest authoritativè Sacramentum jure subducere pastor; impingeret enim, sibi assumendo quod multis commune. 2. Tenetur pastor cœtui, qui, in genere, ut idoneus censetur, sacra hæc mysteria, non tam singulis viritim, nec enim sic Christus, quàm ad mensam circumstantibus pluribus tribuere. Sic enim illos conjunctim affatus est Christus, *Accipite, comedite; Accipite, bibite ex eo omnes.* Quod si quis se obtrudit, quem ut excluderet, fecit quod in se pastor, non tam ille dare, quàm hic arripere dicendus. 3. Utcunque agere videtur, qui Sacramentum indigno, inter dignos gregatim se admiscenti, porrigit; cùm tamen fecerit quod ei fas ut arceret pastor, non revera agit, sed patitur. Sanctæ illæ virgines, quæ sibi ne constuprarentur manus injecêre violentas, meritò culpantur: nec enim quis malo obsistendo tenetur, ultrà quàm fas, progredi; ubi fecerit quantum jure potest reniteudo, quicquid ultrà fit (ut de illis virginibus olim August.) ejus vexatio, non peccatum. 4. Pastor in sacris dispensandis Ecclesiæ minister, ejus authoritate ministratur: adeóque si illa indignos pro dignis habeat, cùm fecerit quod potest ut prohibeat pastor, in illam cudetur faba. 5 Cui ut uni ex multis incumbit officium, quod, ut illorum vicem supplens, peragit; quod sic facit,

cùm

cùm non penes eum ut contranitatur, non facere dicendus nomine proprio, sed nomine majoris partis. Sic in Collegio, ubi Præsidi non vox negativa, si major pars sociorum indignum elegerit; Præses, penes quem non erat electionem irritam facere; qui, pro forma, sic electum admittit; non hoc nomine proprio, sed nomine majoris partis, facere dicendus: adeóque illis est pro peccato, ei non nisi pro miseriâ. Atque sic de pastore, faciente quod in se ut repellat, statuimus; quòd ejus non culpa, sed miseria, cùm, eo reniteme, nihilo seciùs proruunt ad sacra hæc mysteria qui sive præ ignorantia, sive præ scandalo, indigni.

At objicitur porro, Dare eum, quod sanctum, canibus. *Resp.* 1. Qui omnium pessimi, usque dum Ecclesia eos, suâ sententiâ decretoriâ, pro canibus & porcis habendos declaraverit, non mihi cum illis ut canibus & porcis agendum. Latronem, qui mortem commeruit, nullus jure de vitâ tollat, usque dum judex & reum declaraverit, & sententiam tulerit. 2. Præceptum, de non dando quod sanctum canibus, eos duntaxat obligat, quibus Deus canes à sacris arcendi potestatem demandavit; at hæc non uni alicui, sed pluribus à Christo tradita.

Obj. At aliorum peccatis communicat pastor, qui sacra hæc dispensat. *Resp.* Nullus tenetur, ut non alterius peccati particeps sit, facere quod injustum: injustum autem illud foret, si ille solus arriperet sibi potestatem, quam societati presbyterorum crediderit Deus.

At tam Chrysostomus, quàm Ambrosius, videntur contrà sentire. Quorum ille sic, *Coerce, cohibe, si consul, si dux*, &c. *majorem tu illo habes potestatem.* Et Ambrosius ad Theodosium: Lib. 5. c. 17.

ut Th-

ut Theodoretus, *Istáſne, adhuc ſtillantes injuſtæ cedis amore, manus extendes? & iis ſanctiſſimum Domini corpus prehendes?* &c. *diſcede*, &c. *Reſp.* 1. Intelligendi, tam hic, quàm ille, ut non nomine ſuo, ſed nomine totius Eccleſiæ, & hic lapſum affando, & ille Diaconum ex delegatâ ei poteſtate provocando. 2. Si à ſe fecêre quod factum; etiam ſanctiſſimorum praxis ad Scripturæ Lydium lapidem exigenda, non ex illâ antiquitùs à Deo poſiti termini movendi. Atque hæc non tam mea, quàm Pauli Baineſii Cantabr. Theologi ſententia, in epiſtolâ manuſcriptâ ad J.C.

Quæritur hîc ultimò, in hâc tam fœdâ ἀταξίᾳ, ubi, ex diſciplinæ neglectu, ad ſacra hæc confluunt cœtus promiſcuus, quomodo animum ſuſtentet paſtor. *Reſp.* Primò, facienti quod in ſe, gementi ab id quod non penes eum facere, non accenſebit Deus, quod fit, pro peccato. Facit verò quod in ſe, qui multoties admonuerit, Act. 20. 25. toto conatu diſſuaſerit, fecerítque porro ut ſuprâ. Ezech. 33. 4. *Quicunque audiens ſonum buccinæ, non acceperit monitum, cædis ſuæ cauſa in ipſius capite erit*: & verſ. 9. *Si monueris, teipſum eripueris. Teſtor me purum à ſanguine omnium*; annunciando ſcil. illis omne Dei conſilium. Sic Bulling. *Admonendi ſunt omnes, priuſquam Cœna celebretur, ſeriò & ſignificanter, ut quiſque in ſemetipſum deſcendens ſeſe probet, deinde verò de pane hoc ſacro edat, ne indignè ad judicium ſibi manducet & bibat. Cæterùm, ſi qui, poſt ſinceram admonitionem accedentes, accumbant; accumbendóque quaſi profiteantur palàm, ſe eſſe, & cupere manere, Chriſti cultores, à quo ſperant peccatorum remiſſionem; non ſunt arcendi à miniſtris, neque iis ſacra deneganda.* Et Urſinus. Decad. 5. Ser. 9. pag. 365.

Mini-

Miniſter Eccleſiæ, ubi non viget excommunicatio, excuſatus eſt, modo non volens det Cœnam abutentibus, ſed inſtet monendo, & cupiat cavere abuſus; beati enim qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: Peccatum verò erit penes alios, nempe eos qui abutuntur, vel qui connivent. 2. Quod ad nonnullos, quorum naturalia infirma, difficile id ſtatuere, quòd hic vel ille ineptus prorſus ad ſacra hæc participanda. Opus gratiæ quandoque haud poteſt vel ab occulato agnoſci. Quod ad alios, qui inidonei ad miniſteria hæc accedentes, ſi ſolennioribus promiſſis de futuro ſe obſtringunt, ut meliora ſperemus jubet charitas. De aliis verò non impoſſibile, quandoque enim id evenit, quòd in inſtanti accedentium corda immutet Deus. Quod ad omnes, qui non ſunt ut munditiæ ſacra poſtulat, efficaci orationi eatenus aliquando annuit Deus, ut populum ſanavit. 3. Minorem contrahit reatum, qui in officio, quod præcipitur, deficit in modo præſtandi, quàm qui prorſus negligit. Peccat ille ex accidenti, ſc. ex defectu ſuperveniente; hic verò in ſubſtantiam præcepti, quo jubemur Domini mortem uſque dum advenerit annunciare. Peccat ille in unum duntaxat præceptum; hic in duo, quæ prudens ſciénſque omittit. Opus, quod intrinſecè bonum, non negligendum propter adnaſcentem malignitatem; ſecus non liceret peccatori Deum precibus invocare, ad quod tamen, ex divino præcepto, omnes promiſcuè Deum colere jubente, obligatur. 4. Sacramenti Cœnæ finis, quod ad Deum, primarius eſt, ut mors Domini commemoretur, ejus recordatio à quamplurimis fiat; quidni vel ex eo gloria accedat Deo, cùm à frequentiori cœtu, utcunque non ut oportebat expurgato, ſacrum hoc epulum celebra-

Rom. 11. 3, 4.

2 Chron. 30. 30.

lebratur? Si enim, vel ex corvis per inſtinctum Deum invocantibus, gloria ei accreſcit; ſic enim Creator, ut fons omnium bonorum agnoſcitur; quidni, cùm confertim in unum conveniunt homines, de quibus id fingendum, quòd non omni modo ad Chriſti opus redemptorium celebrandum idonei? Fateor, Deo ex eo auctior cederet gloria, ſi ab iis, qui vitæ puritate ſplendeſcerent, cultus hic exhiberetur; at, vel ex eo, nonnihil Deo redundat gloriæ, cùm, ut mundi per Chriſtum redemptor à cunctis agnoſcitur. Ad tam excellentis beneficii memoriam in Eccleſiâ perpetuandam, conveniunt cœtus, utcunque non debitè præparatus, numeroſior. 5. Non, cujuſcunque indignè ad Cœnam accedentis reatu, involvitur miniſter verbi, quòd noverit indignum, nec tamen ſecluſit. Novit Chriſtus Judam indignum, qui vel Paſchati, vel Cœnæ intereſſet; nec tamen exire juſſit: quod certò feciſſet, ſi ejus peccati, quod ei notum, particeps futurus. Hinc Beza contra Eraſtum ſic; Etiamſi oculis miniſter quemquam viderit agentem quod Cœnæ excluſionem meretur, jure tamen nec debeat nec poſſit, niſi vocatum, convictum, & legitimè, ſecundùm ordinem in Eccleſiâ conſtitutum, damnatum, à menſâ Domini cum authoritate prohibere. Atque, cùm apud nos rarior eſt adverſùs indignos ejuſmodi proceſſus judicialis Eccleſiæ, quæ non ſecernendo puros ab impuris officio ſuo deeſt, non miniſtris impingi debet hæc ſacrorum qualiſcunque profanatio. Atque ſic, de Sacramentorum adminiſtratione; adeoque, de toto munere paſtorali, quo eſt os Dei ad populum. Sequitur id, quo eſt populi ad Deum internuncius.

Pag. 26.

CAP.

Cap. IV.

In Precibus publicè fundendis, quid Pastori incumbit.

Pastor os est populi ad Deum, eum Invocando. Est enim id divinum institutum, ut suorum nomine, in cœtu publico, preces fundat pastor, populus corde assentiatur, assensum per Voculam *Amen* testetur. *Benedixit Esræ Domino Deo magno; & responderunt omnis populus, Amen. Qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus, Amen, ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas, nescit.* Dicendum hîc, 1. Ad quæ animum advertat, oportet, interorandum pastor. 2. Qui illum dirigant Canones. Pastor os populi, Deum invocando. Neh. 8. 7. 1 Cor. 14. 16

Pastor verò est os populi ad Deum sextuplici ratione.

1. Confitendo peccata. *Ecce coram te in reatibus nostris*, &c. *Peccavimus, perversè egimus, improbéque fecimus.* In confitendo peccata, nosmet ipsos, 1. Accusamus: particularibus peccatis, cum circumstantiis quibus exaggerantur, insistendo. 2. Judicamus; *Penes te, O Domine, justitiæ; at penes nos pudor faciei. Non sum dignus amplius vocari filius tuus.* Confessio debet esse, 1. Plena; non reticendum, quæcunque apud populum regnant peccata, & in oculos hominum incurrunt. 2. Debet esse humilis, cum summâ animi subjectione. *Pudet me, & erubesco fa-* Ezra 9. 15, Dan. 9. 5. Dan. 9. 7. Luc. 16. 18 Job. 42. 6

 ciem

Ezra.9.6. *ciem attollere ad te.* 3. Debet esse cum dolore & peccati detestatione, conjuncta.

2. Deprecando culpam; cùm gemitibus, ut suspiriis non exprimendis, iram Dei averti supplices petimus: Dei, per Christum, vultum benignum nobis effulgere instanter obsecramus.

Dan.9.16, 17. *Avertat se ira tua, excandescentia tua.* &c. *auscultа orationi servi tui, fac ut luceat facies tua super sanctuarium tuum. Domine, exaudi, condona.*

3. Implorando gratiam Dei renovantem, assistentem, corroborantem: imprimis, quà populus Dei deficit; mala, quæ nobis, vel Ecclesiæ cujus membra sumus, imminent, ut averruncet Deus exorandus.

4. Benedicendo publicis actionibus; ut verbi & Sacramentorum dispensationi: Sic Chri-

Mat.26.26 stus, Cœnam celebraturus, benedixit primò elementis. Hinc Ecclesia, fœdus conjugale pastoris benedictione consummari, petit. Cùm enim summus matrimonii finis est, ut Deo nascatur sanctum semen; meritò Ecclesiæ precibus, cujus os minister, consecrandum; si, quæcunque fausta fœliciáque cupit, ea à pastoribus Deo commendari cupit.

5. Gratias agendo; cùm Dei nomen, pro varietate beneficiorum, celebrandum. Hoc consilio, nonnulli è Psalmis Davidicis conscripti, ut

1Chro.16.7 formulas Eucharisticas, quibus populo præirent, haberent.

6. Intercedendo: cùm pro aliis supplex ad Deum confugit pastor. Cùm enim universa Ecclesia non nisi unum Christi mysticum corpus, alii pro aliis ad invicem orare tenentur. Nec pro iis solùm, qui intrà sunt, sed & pro extraneis.

1 Tim.2. *Adhortor, ut fiant postulationes, sive intercessiones,*

pro

pro quibuſvis hominibus; pro regibus, &c. *Precatio mea ad Deum eſt ſuper Iſraël ad ſalutem.* Atque ad hæc attentus ſit inter orandum paſtor. Sequuntur Canones. Rom. 10. 1.

Can. 1. Paſtor, cui populo in precando præeundum, quæ ejus conditio, ſedulò perquirat: Pro variâ enim populi conditione vocem mutet oportet. Hoc ut faciat, quærendum, quæ, apud ſuos obtinent peccata; quibus maximè indigent, gratiæ; quibus exercentur, tentationes; quæ illos, cujuſcunque generis, premunt gravamina; quæ illis imminent judicia; quæ in illos indies confert Deus beneficia. Haud aliter ſuis ſe inter orandum accommodabit, qui non hæc omnia in numerato habet. Per illũ enim populus ad Deum tranſmittit ſuam peccatorum confeſſionem; ſuas, pro ſpiritu gratiæ effundendo, pro peccatorum remiſſione, preces. Si judicia averti, ſi benè cœpta ſecundari, ſi ſub afflictionum qualiumcunque onere ſuſtentari, ſi ſacrificium laudis Deo offerri cupit; paſtorem, ut ſuo nomine omnia peragentur, intuetur Eccleſia. Optimè hîc omnia tranſiguntur; cùm, non tam ſuæ, quàm populi mentis ſenſa inter orandum effatur.

Can. 2. Adſit paſtori inter orandum demonſtratio Spiritûs. Spiritum demonſtrari, dico, cùm ejuſmodi affectus ſe produnt, qui à Sp. ſancto, in cordibus fidelium, inter orandum, exſuſcitantur.

Sunt hi, 1. Ardens deſiderium, quo, ut votis potiamur, ſummè flagramus. Hujuſmodi enim ſuſpiria inenarrabilia accendit, in ſuorum animis, ſpiritus gratiæ. Hinc proveniunt illæ multoties ingeminatæ precandi formulæ, Daniel. 9. *Auſculta, inclina aurem, audi; aperi oculos, vi-*

de deſolationes. Domine, exaudi, Domine condona, &c.

2° Interior peccatorum, & miſeriæ quam ex iis contraximus, ſenſus. Cor, ſuâ ſpirituali paupertate contritum, non, pro more tantùm, ſua enumerat peccata; ſed ex imo pectore ingemiſcit: ſua omnia, non ex cerebro duntaxat, ſed medullitùs proloquitur. Hinc eſt, quòd ſanctos Dei, tam in peccatis enumerandis, quàm in ſuâ deplorandâ miſerâ conditione, deficiunt verba. *Numeroſiores ſunt* (iniquitates ſcilicet) *capillis capitis mei. Peccavimus perverſè egimus, improbè fecimus, rebellavimus*, &c. *Penes nos pudor faciei, penes nos pudor vultûs.*

Pſal. 40. 12. Dan. 9.

3. Fidei exſuſcitatio & teſtificatio. Hanc & exſuſcitamus & teſtamur, cùm ſubinde promiſſa divina, quibus recumbimus, inter precandum repetimus. *Penes Dominum ſunt miſerationes*, &c. hîc, illic, per orationis ſeriem, ſparſa ſunt fiduciæ argumenta. Sic in Pſalmis Davidicis, qui ἐυχ]ικοὶ, nihil frequentiùs, quàm fiduciæ argumenta, occurrit.

Dan. 9. 9.

4° Cordis reverentia ſumma, quâ de Deo honorificè nos ſentire conſtet, inter orandum emineat. Divinam majeſtatem affamur, qui pulvis & cinis, qui vermes & putredo, qui minus nihilo & vanitate: Quæ nos decet & Dei exaltatio, & noſtri abjectio! Ut talem in ſe affectum gignerent viri Dei, exorſum, ut plurimum, à divinis ſive attributis, ſive operibus, ſumunt. *Domine fortiſſime, maxime, ſumme, reverende. Domine miſericors, ſervans fidem*, &c. Cavendum hîc, quibus loquendi formulis nos exprimimus; non humano more Deum affemur, nihil excidat quod aut dedeceat divinam majeſtatem,

Dan. 9. Jer. 32.

ſtatem, aut in animis audientium minùs reverendam de Deo ingeneret opinionem.

5. Zelus gloriæ Dei, ſive in iis quæ expetimus, ſive in quibus gratias agimus, pro re natâ, manifeſtandus. Id conſtet, nos non, quæ nobis ſolùm accommoda, quærere; ſed, ut inde Deus glorificetur. Siquando hoſtes Eccleſiæ debellari precemur, odium in vias nequitiæ teſtandum; nos zelo gloriæ Dei accendi ſentiant alii.

6. Eluceſcat, inter orandum, cum afflictis membris pia ſympathia. Ea eſt inter Chriſti membra arctiſſima conjunctio, ut *ſi unum patiatur, reliqua* 1 Cor. 12. 26
συμπάσχῃ, ſi unum gaudeat, reliqua congaudeant. Si iſtiuſmodi affectus precibus ſuis admiſceat paſtor, Spiritum Chriſti ei oranti adeſſe fidem fecerit.

Can. 3. Accommodet ſe paſtor, inter precandum, ſuorum & intellectui, & infirmitati. Intellectui ſuorum conſulit, cùm formulas loquendi obſcuras, circumductas parentheſes, longiores quàm par digreſſiones, verba quæ vulgo incognita, ſtudiosè declinet; cùm methodo utatur facili, & aſſuetâ, non confuſim omnia conglomeret. Hoc ſi non fecerit, haud poteſt qui ſupplet locum idiotæ, ſuum teſtari aſſenſum; nec enim orantis mentem ex verbis aſſequitur: *Tu quidem* 1 Cor. 14. 17
benè gratias agis, ſed alius non ædificatur. Imbecillitas autem ſuorum rationem habet, qui non longiùs, quàm par eſt, preces ſuas protrahit; poſt moram animus quorundam flacceſcit, tædium oboritur, remittunt de zelo & fervido affectu qui precantes decet. Valdè id periculoſum, officia pietatis ſic præſtare, ut, qui in iis nobiſcum verſantur, ea ob prolixitatem faſtidiant. Sic Petrus de Aliaco, lib. de Reformat. Eccleſiæ, c. de refor. Prælatorum: In divino officio, non tam

onerosa prolixitas, quàm devota & integra brevitas servetur. Atque sic tam de Pastore, quàm de ejus Munere. Sequuntur, Quæ in defungendo confirment: Si priùs quæstionibus duabus, quæ è pastoris munere sic explicato emergunt, brevì respondeverim.

CAP. VII.

Migratio ab Ecclesiâ ad Ecclesiam quatenus licita.

QUæritur, 1° An pastori liceat, suo arbitratu, ab Ecclesiâ ad Ecclesiam migrare. *Resp.* Quæstio hæc intelligenda, non de iis, qui pastoribus in subsidium veniunt; qui ad tempus duntaxat, ut illic dona exerceant, Ecclesiæ astringuntur. Possunt hi, ubi fidem, quam promiserant, præstiterint, aliò se recipere; ita tamen, ut si aliquando Deus illorum ministerium plurimis Christo lucrifactis obsignaverit, non temerè, ut sua quærant, stationes deserant. Adhibendus rectorum in Ecclesiâ consensus, ut id fiat quod maximè ex Ecclesiæ commodo. De pastore duntaxat, qui gregis alicujus curam in Domino susceperit, cui item grex ut pastori suo adhæret; hæc quæstio proponitur. Atque de eo, respondeo; Nequaquam, licere, ut aliò, pro libitu suo, se disponat. Primò, Quia non est sui juris; adeóque gregi injurius erit, si, citra ejus consensum, aliò quo velit, se propiiat: est enim inter pastorem & gregem id quod est instar vinculi conjugalis, quod non

Pastori non licet pro suo libitu migrare ab Ecclesiâ ad Ecclesiam.

non citra mutuum conſenſum dirimendum. Secundò, Quia quilibet legitimè deſignatus paſtor, quocunque miſſus, illuc à Deo diſpoſitus dicitur. Utcunque enim interveniat Rectorum Eccleſiæ miniſterium, in paſtoribus aſſignando ſtationes, Dei tamen vicem ſupplent. Hinc dicuntur Eccleſiarum paſtores, *à Deo præfecti*. Act. 20. Quod itaque connexuit Deus vinculum, idem Eccleſiâ mediante relaxet; ut enim nullus vocationis ſuæ author, ſic nec tranſlationis eſſe debet. Tertiò, Non quæ ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti, quærere tenetur paſtor. Id autem Jeſu Phil. 2. 21 Chriſti, quod maximè è re gregis cui ſe devoverit; at id gregi inprimis conducit, ut eo, cui ſe aſſuevit, gaudeat paſtor: nec enim poteſt, qui in populi ſpirituali conditione hoſpes, pari cum fructu apud eos verſari. Optimè Calvinus: In 2 cap. ad Phil. v. 2. *Ita reſpicienda eſt tibi vocatio tua, ut ab omnibus avocamentis ſenſus tuos omnes avertas; licet alibi opulentiùs vivere, at Deus te alligavit Eccleſiæ quæ tenuiter, modò te alat; alibi plus honoris, ſed cum tibi locum attribuit Deus, in quo humiliter vivas; alibi ſalubrior, vel amænior regio, ſed hîc tibi ſtatio ordinata eſt. Optares tibi cum humaniore populo eſſe negotium, offendit te ejus vel ingratitudo, vel ferocitas, vel ſuperbia, denique tibi cum ingenio & moribus gentis minimè convenit; atqui luctandum tibi eſt tecum, & vis quodammodo contrariis votis afferenda, ut Spartam quam nactus es colas. Non enim es liber aut tui juris.* Et Junius: *Quemadmodum, in Eccleſiâ Judæorum, Levitæ fungentes miniſterio in ſuâ ſtatione, non fungebantur abſolutè, ſed cum obligatione; qui autem obligati erant, non poterant abſolutè migrare arbitratu ſuo, ſed tantum certâ neceſſitate, adhibitâ cognitione, conſenſu, judi-* In Deut. cap. 18.

onerosa prolixitas, quàm devota & integra brevitas servetur. Atque sic tam de Pastore, quàm de ejus Munere. Sequuntur, Quæ in defungendo confirment: Si priùs quæstionibus duabus, quæ è pastoris munere sic explicato emergunt, brevi responderim.

CAP. VII.

Migratio ab Ecclesiâ ad Ecclesiam quatenus licita.

QUæritur, 1° An pastori liceat, suo arbitratu, ab Ecclesiâ ad Ecclesiam migrare. *Resp.* Quæstio hæc intelligenda, non de iis, qui pastoribus in subsidium veniunt; qui ad tempus duntaxat, ut illic dona exerceant, Ecclesiæ astringuntur. Possunt hi, ubi fidem, quam promiserant, præstiterint, aliò se recipere; ita tamen, ut si aliquando Deus illorum ministerium plurimis Christo lucrifactis obsignaverit; non temerè, ut sua quærant, stationes deserant. Adhibendus rectorum in Ecclesiâ consensus, ut id fiat quod maximè ex Ecclesiæ commodo. De pastore duntaxat, qui gregis alicujus curam in Domino susceperit, cui item grex ut pastori suo adhæret; hæc quæstio proponitur. Atque de eo, respondeo; Nequaquam, licere, ut aliò, pro libitu suo, se disponat. Primò, Quia non est sui juris; adeóque gregi injurius erit, si, citra ejus consensum, aliò quo velit, se propiiat: est enim inter pastorem & gregem id quod est instar vinculi conjugalis, quod non

Pastori non licet pro suo libitu migrare ab Ecclesiâ ad Ecclesiam.

non citra mutuum consensum dirimendum. Secundò, Quia quilibet legitimè designatus pastor, quocunque missus, illuc à Deo dispositus dicitur. Utcunque enim interveniat Rectorum Ecclesiæ ministerium, in pastoribus assignando stationes, Dei tamen vicem supplent. Hinc dicuntur Ecclesiarum pastores, *à Deo præfecti* Act. 20. Quod itaque connexuit Deus vinculum, idem Ecclesiâ mediante relaxet; ut enim nullus vocationis suæ author, sic nec translationis esse debet. Tertiò, Non quæ sua, sed quæ Jesu Christi, quærere tenetur pastor. Id autem Jesu Phil. 2. 21 Christi, quod maximè è re gregis cui se devoverit; at id gregi inprimis conducit, ut eo, cui se assuevit, gaudeat pastor: nec enim potest, qui in populi spirituali conditione hospes, pari cum fructu apud eos versari. Optimè Calvinus: In 2 cap. ad Phil. v. 2. *Ita respicienda est tibi vocatio tua, ut ab omnibus avocamentis sensus tuos omnes avertas; licet alibi opulentiùs vivere, at Deus te alligavit Ecclesiæ quæ tenuiter, modò te alat; alibi plus honoris, sed cum tibi locum attribuit Deus, in quo humiliter vivas; alibi salubrior, vel amænior regio, sed hîc tibi statio ordinata est. Optares tibi cum humaniore populo esse negotium, offendit te ejus vel ingratitudo, vel ferocitas, vel superbia, denique tibi cum ingenio & moribus gentis minimè convenit; atqui luctandum tibi est tecum, & vis quodammodo contrariis votis afferenda, ut Spartam quam nactus es colas. Non enim es liber aut tui juris.* Et Junius: *Quemadmodum, in Ecclesiâ Judæorum, Levitæ fungentes ministerio in suâ statione, non fungebantur absolutè, sed cum obligatione; qui autem obligati erant, non poterant absolutè migrare arbitratu suo, sed tantum certâ necessitate, adhibitâ cognitione, consensu, judi-* In Deut. cap. 18.

tióque Ecclesiæ ubi agebant: Ita etiam pios & religiosos Dei servos non convenit agyrtas esse, sive περιοδευτὰς, sed in statione suâ manere, nisi aut privata necessitate, aut publica, cum certo judicio & consentione eorum quibus obligati sunt, continget eos discedere. Nam ex ea licentia ruina ipsis, & periculum Ecclesiæ multiplex, obvenire solet; ut contrà, ex placida & religiosa statitione, fructus maximi ad utrasque solet provenire.

Potest quandoque ab Ecclesiâ licitè transferri.

Utrumque verò non potest pastor, suâ sponte, quò velit discedere; potest tamen Ecclesia, communi bono sic exigente, pastorem huc vel illuc transferre: Nec injustè facit, sic transferendo; cùm cujusque particularis Ecclesiæ salus in communi omnium bono involvitur. Hinc Socr. παρὰ τοῖς παλαιοτέροις ἡμῶν ἀδιάφορον ἦν ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μετάγειν ἐπίσκοπον, ὁσάκις χρεία ἐκάλει. Et idem plura eorum, quos huc illuc pro communi bono transtulit Ecclesia, exempla enumerat. Et Pelagius Benigno Archiepiscopo: *Scias, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis & utilitatis, aliud præsumptionis & propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem; i. e. Qui non avaritiæ causâ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, aut delectationis suæ, migrat de civitate ad civitatem; sed causâ necessitatis, aut utilitatis, mutatur: Nam plurimorum utilitas est unius utilitati vel voluntati præferenda. Aliud enim est mutare, & aliud mutari; aliud est sponte transire, aliud coactè, & necessitate, venire: undè non isti mutant civitatem, sed mutantur; quia non sponte, sed coacti, hoc agunt.* Calv. Ep. 336. *Sic cuique tenenda est statio, ne simus loco affixi, ubi aliter de nobis statuit Ecclesia.* Et Chemnitius: *Dominus messis potestatem habet transferendi ministros suos ab una*

Lib. 7. c. 36. Vide D. Field. lib. 5. p. 437, 438.

Loc. com. p. 3. pag. 321. Franc.

ab una Ecclesia ad aliam; eandē potestatem habet & Ecclesia, modò omnia legitimè fiant. Videndum hîc, 1°. Quid cavendum. 2° Quando translatio licita;

Primò, Id rectoribus cordi sit, ut neminem transferant, nisi prius debitâ inspectione adhibitâ, numnon aliter Ecclesiæ vacantis bono poterat consuli; nec enim grex pastore suo defraudandus, si quovis modo Ecclesiæ pastore orbatæ succurri potest. Est res lubrica, nec temerè tentanda, ut pastoris à populo fiat divortium. Fateor, publicum ecclesiæ bonum, privato debere præponi; at non nisi necessitas inevitabilis id flagitat. Secundò, Transferentibus id curæ sit, ne quid, grex cujus pastorem aliò ablegant, notabile damnum patiatur. Forsitan, si sic, nihil inde lucrabitur, quod præ se ferunt, commune Ecclesiæ bonum. Nec id à Deo, ut unius Ecclesiæ necessitati, ex alterius injuriâ quam non compensant, subveniant. Tertiò, Qui pastorem aliò disposituri, omnia diligenter perquirant, annon seipsum quærat qui transferendus. Videndum, sítne revera translationis, quæ suggeritur, causa; an subest alia. Levitis migrantibus prospexit Deus, si modò *cum omni animæ desiderio*, ut prodessent Ecclesiæ, advenêre. Et Antonius Papa, Episcopis Toletanis, sic: *Scitote mutationes Episcoporum, communi necessitate, atque utilitate, fieri licere; sed non, propriâ cujusque voluntate, & dominatione.* Atque sic cavendum. Dicendum, quando translatio est licita.

Quid cavendum.

Vide Chemnit. p. 3 pag. 329. Deut. 18. 6

Impossibile id, ut omnes casus quis enumeret, ubi varietas tanta, ac de novo, qui non anteà occurrebat, contingere potest aliquis. Quatuor proponam, in quibus translatio licita; ita tamen, ut non alios modò cum his analogiam servent, excludam. Primò, Si Ecclesia pastore

Quando licet.

pastore vidua, fuerit, à quâ multarum Ecclesiarum bonum pendet; ubi sic res habet, grex non tam suo jure cedere, quàm suam incolumitatem, ut in publico Ecclesiarum bono inclusam, quærere oportet. Ecclesiarum singularum fortunæ sunt, ut plurium merces in una nave positæ; si naufragatur hæc, damnum ad omnes redundat; sin incolumis ad portum appulerit, quilibet sorte suâ, in pluribus, communi navi fruitur. Sat id particulari alicui ecclesiæ, quòd pastorem suum ultro alteri ecclesiæ concedendo, & suo & aliarum bono prospexerit. Secundò, Si vinculum pastorale solutum fuerit; quod contingit aliquando ex mutuo consensu, ut incommoda majora vitentur; v. g. ut, si pastori, seorsim à gregè, imminet periculum nullatenus evitandum: aliquando, quòd in officio aliquo essentiali deficiat, vel grex, vel pastor; ut, si grex subtrahat reditus unde pastor, cum suis sustentetur, liberum hîc ei erit, ubi omnia priùs expertus est, & debitam animi moderationem in stipendio quod postulat testatus est, ut aliò se transferri patiatur. Levitas, portione decimarum subductâ, ad agros suos aufugientes, meminit Scriptura, at non culpat. Tertiò, Si animadvertunt, qui ad gubernacula sedent, quòd alicujus ministerium prorsus inutile, & est, & sic verisimile futurum; possunt, ubi probabile quòd alibi utilius futurum transferre. Inutile autem reddi solet pastoris ministerium, vel ex scandalo dato, cùm huic populo pro scandalo est, quod alteri non fiet; vel cùm penitus amissa authoritate vilescit persona; vel ex donorum cum grege disparitate; vel ex simultate, quam experientia diutina edocuit esse implacabilem, &c. Sic Musculus. Et Calv. en 229. *Si ita alienatos videas*

Neh. 13. 10

Loc. com. cap. de ministris.

magna

magnæ partis animos, ut operam tuam respuant, & doctrinam minùs revereantur, &c. *Si implacabilis erit offensio, præstaret hominem alio traduci, quàm suis esse contemptui, non sine probro & dedecore officii quo fungitur.* Quartò, Si ex cœli insalubritate, valetudinarius cùm fuerit minister, impar prorsus evadit muneri fungendo; potest Ecclesia, si occasio tulerit, in locum corporis imbecillitati accommodum transferre. Sic Atticus Episcopus Silvan. quem Philopolis episcopatu donaverat, μὴ ὑποφέροντα τὸ χεῖρον, λεπτὸν ἦν καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα, tandem Troada transtulit, his verbis affatus; Ἴσθι σοὶ τόπος εὔκαιρος, πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν, ἐν Θεᾷ ἐυβεπίζεται. Ita tamen transferendum judicent Ecclesiæ Rectores, ut primò & diutiùs exspectent, num non valetudo recuperabilis; & nil in hoc genere tentent, nisi medicorum adhibito suffragio. Socr. lib. 7. cap. 37.

Cap. VIII.

De Fugâ Pastoris, tempore persecutionis, quatenus licita.

Sequitur Quæstio secunda; An, & quousque, fuga tempore persecutionis licita. *Resp.* Fugam pastori licitam esse, evincunt & Scripturæ, & tam Christi, quàm aliorum, per omnia secula, exempla; ut Mosis, Heliæ, Apostolorum: nec non & lex naturæ, quæ vitam tueri jubet usque dum Deus reposcat. Nec valet quod aiunt nonnulli, acsi veritatis desertor qui

Fugam aliquando licere. Mat. 10. 16 23

qui fugit: *Est enim*, quod observat Petrus Martyr, *ipsa fuga confessionis species. Quis enim non maluerit domi suæ manere, bonis suis frui, suæ gentis hominum familiaritate uti, quàm pauper & ignotus in longinquam regionem peregrè proficisci?* &c. ut ait ille. De fugâ dicendum, 1. Quæ licita. 2. Quæ illicita. 3. Qualiter affici debet, cui fuga licita.

Epist.

Quæ fuga licita.

Primò, Licita illa pastoris fuga, si quando persecutio est personalis; qualis illa Athanasii, de quâ Sozomen. Est id Ecclesiæ officium, ut si quando pastori, seorsum ab illâ, immineat periculum, ut ejus incolumitatem omni modo quærat: est etiam è re Ecclesiæ, ut in tempora meliora suos conservet pastores. Sic August. de Athanasio. *Quantum profuit Ecclesiæ, quòd vir ille mansit in carne, catholica fides novit; quæ, adversus Arianos hæreticos, ore illius & amore defensa est.* Et idem; *Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui ita non requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria suis conservis*, &c. Secundò, Quando, ex fugâ, nil capiat detrimenti causa Dei; veritas, cui testimonium perhibendum, non deseratur: est, quando adversariis in veritate propugnandâ abundè satisfactum fuerit; est, quando ejus justæ defensioni omnis præclusa libertas, non λόγῳ, sed βεβήχῳ, non argumentis, sed vinculis & carceribus res tota transigitur. Consultiùs hîc faciunt, qui fugâ sibi consulunt, quàm qui adversariorum rabiei, causâ Dei in veritatis apologiâ nil indè lucrante, se exponunt. Tertiò, Quando, grege dissipato, omnis ei inserviendi adempta occasio. Sic August. *Non quisquam est qui dicat, ministros manere oportere, ubi jam non fuerint quibus necesse sit ministrare*

Lib 1. cap. 8

Ep. supra dict.

Illicita

Illicita paſtori fuga, Primò, Ubi tam grex, quàm Paſtor, unâ eâdemque perſecutione eandémque ob cauſam, involvitur. Siquando grex ſic periclitatur; paſtoris eſt, infirmis conſulere, lapſos erigere, omnes ad crucem ferendam, animoſe pereundo, provocare. Sic Auguſt. *Qui habent manendi neceſſitatem, non relinquentur ab iis per quos illorum eſt Eccleſiaſtica ſupplenda neceſſitas, ut aut pariter vivant, aut pariter ſufferant, quod eos pater familiâs vult perpeti.* Et idem Aug. *Cùm plebs manet & miniſtri fugiunt, miniſteriúmque ſubtrahitur; quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, ſed diabolus, qui plerumque fideles eſſe Apoſtatas, perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit, & peribit infirmus.* Et ibid. *Annon cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum devenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſiâ fieri ſolet, ab utroque ſexu, atque ab omni ætate, concurſus? &c. Ubi, ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos? &c. quantus eſt luctus fidelium? quantus gemitus omnium? &, quorundam, quanta blaſphemia; de abſentiâ miniſteriorum & miniſtrorum?* Et Calvinus ſic: *Si commune paſtori cum grege certamen, niſi ad extremum ſuſtinet, perfidus eſt officii deſertor.* Interim non tum paſtoris fuga, etiam communi periculo graſſante, illicita, 1. Si, gregi operam ſuam miniſterialem cùm obtulerit, illorum conſenſu & ſuaſu, ab adverſariorum rabie furioſa, ſe ſubterduxerit; cùm enim non ſui juris, illorum ſiquidem eſt miniſter, ab illis pro bono eccleſiæ diſponendus. *Sanctus Dei*, inquit Auguſtinus, *ne ſe committeret periculis præliorum, & fortaſſis extingueretur lucerna Iſraelis,*

Quæ illicita

Ep. 180.

1

2

In Act. cap 8. v. 1.

Israelis, à suis hoc petentibus sumpsit, non ipse præsumpsit; alioqui multos imitatores feciſſet ignaviæ, qui eum hoc feciſſe, non conſideratione utilitatis aliorum, ſed formidinis ſuæ perturbatione.

2. Si adſint alii miniſtri, qui fugientium defectum ſuppleant. *Rectè hoc fit,* ait Auguſt. (ſc. *ut miniſtri fugiant ab imminentibus periculis, ſe pro utilitate Eccleſiæ tranquillioribus temporibus ſervantes) quando non deſunt alii, per quos impleatur Eccleſiaſticum miniſterium, ne ab omnibus deſeratur.* Quod fecit Athanaſius: ſic & Paulus.

2 Cor. 11 *Quodſi è pluribus, qui Eccleſiis inſerviunt, diſceptatio erit, nec aliter terminari poteſt, qui maneant, & qui fugiant; ſorte legendi:* ut ibidem Auguſtin.

Secundo, Illicita paſtori fuga, cùm non datur, quâ evadat via, niſi quæ prohibita à Deo: nec enim faciendum quod malum, ut inde eveniat bonum. Malum verò, ubi ſub magiſtratûs cuſtodiâ, ſi ei non patiendo obtemperemus. Dominorum jugum non excutiendum à ſervis, quod duriuſculum & injuſtum. Apoſtoli, ubi

1 Pet. 2. 19 incarcerati, noluerunt, citra magiſtratûs conſcientiam, liberari; niſi quando cœlitùs à Deo liberati. Non itaque licet, ut vel fores effringendo, cuſtodes fallendo, promiſſa violando, quis à periculo ſe eripiat. Accedit, quòd, qui ſic à perſecutoribus comprehenſus, ut jam ſub illorum ditione, ille quaſi à Deo ad confeſſionem edendâ vocatus. Malè audit itaque ejuſmodi, omnis clancularia ſubductio, ut cauſæ ob quam patimur defertio.

Tertio, Illicita fuga, cùm periculum non præſens, & certum, ſed duntaxat cogitatione conceptum, eminùs conſpectum, vel ſuſpectum potiùs.

Mat. 10. 23. *Cùm perſequentur vos,* &c. non cùm illud in animo habent, aut comminantur quid facturi.

Jer. 10. 1 Sam. 23 *Non eſt penes hominem via ipſius.* Compertum id,

id, Deum impetum persequentium sedare, cohibere ut libet, divertendo aliò avocare. Adversariorum spiritus, vel virulentior, est in manu Dei, ut pro placito suo mitiget, ne feratur quò velit, reprimat. Dein, quilibet pastor est instar arietis in grege, ut dux in exercitu, ut antesignanus in populo Dei; si ille animo collabatur, præ metu quodam degeneri labascat, quis non animum despondebit? Ubi fides illa, quæ contrà lequentium minas sub pedibus conculcaret? Est certè nimia mollities, ut quis aut persecutione nondum obortâ in fugam se recipiat, aut propter pericula quæ uteunque imminent, non tamen adsunt, gregem deserat. Sic Augustinus. Non propter ista quæ incerta sunt, debet nostri officii esse certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies. Atque sic, Quæ illa fuga illicita. Sequitur ut dicam, quo animo fugiendum pastori.

Primò, non nimio consternetur timore. Est, quæ pastorem dedecet, ad quamlibet periculi speciem expavescens, turpior formidò. Qui sic fugiunt, lætiores illi, quòd periculum evaserint, quàm, quòd in Ecclesiæ bonum conservantur. Sic fugiendum etiam, cùm Deus ad fugam quasi viam aperit, ut sentiant alii, nos æquè ad manendum, ac ad fugiendum, paratos esse; ut potiùs ab aliis cogi, quàm sponte ad fugam propensi, videamur.

Secundò, Retineat fugiens pastor animum & abundè de iis quos reliquerit solicitum, &, siquando detur occasio, etiam ad gregem revertendi. Sic Apostolus, qui, persecutionibus abactus, nihilo sociùs erga eos, à quibus disjunctus, tenerâ commiseratione afficiebatur. *Testis est mihi Deus, quanto perè vos expetam omnes.* Atque sic, quomodo affici debet inter fugiendum pastor. Phil. 1. 8 1 Thes. 2. 17 & 3. 8, 9 Loc. com. de fugâ.

Quæ-

Quæstionem hanc de fugâ concludam cum illo Aretii. *Nemo rectiùs* (sc. de fugâ, vel apud gregem mansione) *judicabit, quàm is quem talia pericula deprehenderint, quique Spiritu Domini illustratus, instinctu divino, nihil sui quærens, ad gloriam Dei, & commodum proximi, & animæ propriæ salutem, totum se, & in fugâ & in perseverantiâ, mancipárit.* Cui consonat illud Amesii: *In hujusmodi casibus, honor Dei, ædificatio Ecclesiæ, & conscientiæ propriæ dispositio, in hanc aut illam partem, debent plurimùm valere.* Atque sic, de quæstionibus præpositis, responsum. Sequitur, ut de iis dicam, quæ in munere defungendo confirment.

CAP. IX.

Incitamenta ad Pastoris munus fideliter obeundum.

Argumenta hortatoria.

Quæ in munere defungendo confirment, sunt, vel προτρεπτικὰ, quæ animum faciunt: vel προφυλακτικὰ, quæ animum muniunt. Argumenta προτρεπτικὰ, hæc.

1. Ab authoritate Dei ad munus designantis. Ezek. 3. Act. 20. 28 Col. 4. 17 1 Tim. 1. 12

Primò, Recognoscat pastor, quis ad munus designavit. *Ego*, dicit Dominus, *dedi te speculatorem domui Israel. Attendite gregi cui vos Spiritus Sanctus* (utcunque hominum ministerio intercedente) *præfecit. Vide, quòd ministerium, quod accepisti in Domino, impleas*; ἐν κυρίῳ, i. e. διὰ κυρίου, ut Græca Scholia. *Me fidum duxit Dominus Jesus, ut qui me in ministerio constituerit.* Exigit autem persona hanc nobis provinciam demandantis omnimodam diligentiam. 1°. Quòd, si opus suum vel vindictâ effundendâ, negligenter facientem exsecratur Deus; annon multò magis

Jer. 48. 10

gis maledictus ille, qui in animabus, quarum, una toti mundo præponderat, Deo lucrandis perfunctoriè se gesserit? 2°. Quòd perfidiæ in Deum omnium turpissimæ nos reos constituit gregis cura negligentior. Ecquid Deo charius, quàm Christi sanguine redempta vel una animula? ecquod atrocius flagitium, quàm, in hoc negotio omnium maximo, perfidè cum Deo agere? 3°. Quòd optimè de nobis meruit, qui gregi nos præfecit. Suis enim ubertim effusis beneficiis infinities nos sibi devinxit, indies nova accumulat. Quantæ illud ingratitudinis, si quam ille commendavit animarum curam sùsque déque habuerimus? Si rex, vel, rege minor, pater negotio alicui gerendo nos præficiat; vel intensiorem adhiberemus operam, ut imperantis votis respondèrent singula; & quam gregis sui portionem nobis cordi voluit rex regum, pater misericordiarum, oscitanter curabimus? 4. Quòd, ad munus ejusmodi plusquam angelicum nos designando, maximo affecit honore, dignitate omnium celsissimâ cohonestavit. Ecquid honorificum magis, quàm, ut in eo, Deo inserviamus munere, in quo præivit vel filius Dei unigenitus? *Minister* ille *circumcisionis*, sive circumcisorum; venit ille *ut perditas Israelis oves lucraretur*. Ecquis splendidior apud homines titulus, quàm, ut quis potentissimi monarchæ sit legatus? Sumus nos Dei excelsi, in terris, Christi nomine, legati. Chrysf. ic. Qui terram incolunt atque in eâ versantur, iis commissum, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus neque angelis, neque archangelis, datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est, Quæcunque alligaveritis in terrâ, alligata erunt in cœlo. David, à caulis ovium ad pascendum Dei populum 2 Cor. 5.

evectus, pavit eos in integritate cordis sui, & in so-
Psal. 78.71 lertiâ manuum suarum deduxit eos. Dignitas mu-
neris ei pro stimulo, ad officium fideliter adminis-
trandum. Sic itaq; in munere fungendo, si flaccesc-
at animus, se exsuscitet pastor; Egóne opus Dei, o-
pus quo nil honorificentius, nil quod homine con-
decoret magis, negligenter curabo? Egóne cum Deo
optimè de me merito perfidè agam? quam mihi
concredidit animarum curam, non homo, sed De-
us, turpiter negligendo, sempiterno exitio prodam?

2. Ab excellentiâ operis. Secundò, Occurrat, quanti illud momenti, quod nobis curandum. Non corporum medela, non bonorum patrocinium, quæ tamen bonâ fide administrari oportebat, non quicquid in mundo gloriosum nostram flagitat opellam: Animarum salus, quæ toto hoc universo excellentior, & non nisi Christi sanguine acquisita, nos totos vendicat. Animas hasce, ut faucibus diaboli eripiamus, ut mundi & carnis quibus constringuntur laqueis eruamus, Christo denique ut sponsam immaculatam sistamus, nobis ex jussu divino incumbit. *Mitto te*, sic Paulum alloquitur Dominus Jesus *ut*
Act. 26.18 *aperias oculos illorum, & convertas eos à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum*, &c. *Quo-*
Rom. 10.14 *modo audiant*, sc. ut credant, *absque prædicante?*
Sè tibi & doctrinæ attentus eris, & teipsum ser-
1 Tim. 4. 16 *vabis & qui te audiunt. Servabit animam à morte,*
Jacob. 5. ult. *qui averterit peccatorem à viâ erroris sui. Minis-*
2 Cor. 3 8,9 *terium quod nobis concredidit Deus, est ministerium*
2 Cor 5.18. *spiritus, ministerium justitiæ, ministerium reconciliationis.* Quæ, si ulpiam, non hîc adhi-
benda opera impensior; ut munere hoc, cui tam
gloriosa ἀποτελέσματα accepta fert Spiritus san-
ctus, ritè defungamur? Non id mirum, quòd
alii mundo valedixêre, seipsos, ut aliis lucerent,
absumpsêre, nullas non devorârunt molestias, vel

Hercu-

Herculeos labores exantlârunt, ut opus ministeriale in electis Dei aggregandis adimplerent. En agricolas sudantes, anhelantes, serentes, occantes, cœli quandoque æstum, quandoque inclementiam perferentes, ut messem vel serotinam accipiant: En mercatores mare transfretantes, scopulos prætervigantes, vel mille vitæ discrimina nihili æstimantes, ut margaritos & gemmas, quandoque & viliores merces reportent: Et nos otio torpescimus, quibus hoc tam excelsum munus demandavit Deus? Sunt nobis animæ hominum, ab exitio æterno ad gloriam cœlestem, perennem, traducendæ: Electi Dei ex quibuscunque mundi angulis, congregandi: Corpus Christi ædificandum. Quin nosmet colligamus, hoc agamus, nullas carni, mundo, diabolo inducias concedamus, nobis enim obversatur vel animarum salus si attendamus, vel illarum perditio æterna si supinè negligamus. Annon omnis movendus lapis, ut quod tanti est negotium fœliciter succedat? Ipse Dominus Jesus è cœlo descendit, nostram induebat carnem, gloriam ad tempus sepositi, ad abjectissimam crucis mortem se humiliavit, idque ut suorum animulas ab inferno redimeret: Pudeat nos, si frons ulla reliqua, ejus in terris legatos in utramq; aurem dormire, opes, honores, titulos, siti hydropicâ consectari; hominum interim æternam salutem vilipendere. *Attendite, ad pascendum Ecclesiam Dei, quam ille suo sanguine proprio acquisivit.* Vel pretium, quod pro animabus nostris redimendis exsolutum, nobis, in munere diligenter obeundo, calcaris instar sit. Sanguinem nostrum effundi potius patiamur, quàm ut nostrâ incuriâ una anima, pro quâ præ doloris acerbitate Dominus Jesus aquam & sanguinem exsudavit, in æternum periret. Toe

E. h. 4.

Act. 20. 28

verò occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi & tacentes videmus. Annon viliſſimi cujuſcunque mancipii anima eſt res ultramundana, à Deo inſpirata, in omne ævum duratura; nonniſi angelicæ naturæ æquanda? ejus ſalus toti mundo anteponenda? Qui hanc negligunt, ut, quæ hujus mundi, acri indagine perſequantur, de grege nullatenus ſoliciti; non tam beneficiarii, quàm quæſtuarii; annon de animæ immortalitate ſubdubitare videantur?

Greg. in Ezek. homil. 11.

3. Ab amore & gratitudine in Chriſtum inibi teſtandis.

Tertiò, Provincia hæc paſtoralis ita nobis mandatur, ut, in illâ ornandâ, quàm ardenter Dominum Jeſum amplectimur, nobis teſtandum. Habent alii ſui generis officia varia, quibus ſui in Chriſtum amoris ſpecimen præbeant; id nobis, ut unicum cordationis in eum affectûs pignus, relictum. *Si amas me, paſce oves meas.* Hinc Chryſoſt. Licebat Chriſto hujuſmodi verbis Petrum affari, Si me ames, Petre, jejunia exerce, ſuper nudam humum dormi, vigila continenter, injuriâ preſſis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant: nunc verò, prætermiſſis omnibus hiſce, quidnam ille ait? Paſce oves meas. Nam quæ modò à me dicta ſunt, ea plurimi etiam ex ſubditis præſtare facilè poſſunt, non viri ſolùm, ſed etiam fœminæ: At cùm de Eccleſiæ præfecturâ, de credendâ huic vel illi tam multarum animarum curâ agitur; univerſa quidem muliebris natura, functionis illius moli atque magnitudini, cedat oportet; itémque & bona virorum pars. Atque non præcipit ſolùm, ſed iterum atque tertiò ingeminat Chriſtus; ut Petro, ejuſq; ſucceſſoribus, omnem excuteret torporem. Non paſcis igitur oves Chriſti? non amas: Non diligenter paſcis? non fervidè amas: Tantùm denique amas, quan-

Joan. 21. 15. De ſacerd. lib. 2.

quantùm pascis. Hunc verò quis, nisi omnium ingratissimus, non amaret? utpote qui nobis natus, nobis legem implevit, nostrâ vice maledictio factus, nostri causa, qui Deus, factus est vermiculus? ecquid amoris poterat deponi certius pignus? Christi in nos amor, tot indiciis illustris, nostrum in populum Dei affectum inflammet. Charitas Christi constringit nos, i.e. Dilectio, quâ nos complexus est Dominus Jesus, ad ingentes labores, electorum gratiâ subeundos, concitat, acriter urget. Qui de nobis optimè meriti, siquando illis grati animi testimonium exhibendum, quid illis in deliciis, quid arridet maximè, sollicitè exquirimus. Ecce, de nobis quantum meruit Salvator, non est Angelicæ linguæ enarrare; grati animi trophæum pastoris in grege pascendo sedulitati, nullum occurrit par. Siquando igitur nobis obrepserit in munere fungendo segnities, illa Christi ad Petrum cygnea cantio toties repetita, in auribus occinat. 2 Cor. 5.14

Quartò, Pastori continuò obversetur, quæ in die judicii, de munere vel benè vel malè gesto, reddenda ratio. *Excubant doctores pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Hujus comminationis terror animum mihi concutit*; Sic Chrysostomus. *Scientes terrorem Domini* (i.e. diem illum tremendum, in quo dispensationis nostræ rationem exiget Dominus) *homines ad fidem adducimus. Sanguinem* pereuntis, eò quòd non clanxerit buccinâ speculator, *de manu speculatoris reposcam. Quis tam saxeus, tam ferreus erit, quem sententia hæc non percellat*? ait Prosper. Et revera fulmina sunt, ut ait Erasmus, non verba, quæ tum demum vibrabit Judex, cùm in nubibus advenerit, cinctus myriadibus angelorum. Quæret tum Dominus, non quot beneficia accumulavimus, non quàm splendidè viximus, 4 A ratione, in die judicii, reddendâ. Heb. 13.17 Lib. de Sacerd. 6. princ. 2 Cor. 5 Ezek. 3.6 Lib. 1. de vitâ cont. cap. 20.

non quantum scientiæ habuimus, sed quomodo ex eâ Ecclesiam ædificavimus, quomodo oves perditas quæsivimus, vulneratas obligavimus, stantes corroboravimus, erroribus deviantes humeris reportavimus. Quàm illud futurum judicium horrendum, dies funestus, dies caliginis & tenebrarum! in quo pastoribus, otio & genio indulgentibus, magno cum tremore dicet Dominus, *Adipem comedistis & lanam induistis, quod opimum mactâstis, gregem verò non pavistis, perditam ovem non quæsivistis*, &c. Si illa Christi, qua Petrum, sub amoris testandi conditione, invitat, blandior oratio cerda non afficiat; saltem illud tremendum, quod de subito adveniet judicium, quo perculsi improbi montibus & Petris dicent, *Cadite in nos*, è suo veterno expergefaciat oscitantes & somniculosos pastores. *Pensemus*, inquit Gregorius, *lucrum quod Deo facimus nos qui, accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit, Negotiamini donec venio; Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostrâ negotiatione monstrabimus? quot ejus conspectui animarum manipulos, de prædicationis nostræ segete, allaturi sumus? In illo tanto examine, unusquisq; quid operatus est, ostendetur: Ibi Petrus cum Judæâ; & ibi Paulus, conversum, ut ita dicam, mundum ducens, apparebit*, &c. *ibi omnes dominici gregis arietes, cum animarum lucris, apparebunt. Nos miseri, quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro ostendere debeamus, non habemus? hîc pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus!* Hæc ille. Annon, illo die, plus inde solaminis, quòd ut lucernæ ardentes aliis ad salutem præluximus, quàm, quòd pompâ mundanâ ut terrarum Domini coruscavimus? quòd de grege soli-

Vide Hom. 17. in Evan

ſoliciti, quàm, quòd de rebus hujus ſeculi anxii? quòd in prædicando frequentes, quam, quòd in dominio exercendo ſervici? Crede mihi, exhilararet nos magis tum conſcientia muneris defuncti, quàm marſupia plena; in ſolidum nos reficerent tum animæ Chriſto lucrifactæ, cùm igne abſumentur, quos ovium Chriſti exitio accumulârunt alii, opum acervi. Si itaque hujus diei exſpectatio Paulum in opere miniſterii reddidit aſſiduum, alacrem, indefeſſum, cunctos fideles ad juſtitiæ praxin experrectos facit, vel Ethnicum Feſtum tremore affecit; quidni & paſtores, genio indulgentes, ex ignaviæ ſomno altiori excitet in vineâ Domini jugiter laborantes detineat?

Quintò, Vel Solatium, quod, ex munere benè geſto, etiam in hâc vitâ exoritur, paſtori animum addat. Etſi enim nullum deinceps maneret præmium, quod tamen in cœlo reconditum; ingens eſt illa lætitia, quâ vel in ſinu gaudeat quilibet operoſus paſtor. Ecqua enim exultatio, ecquod gaudium, ecquod tripudium, par lætitiæ quâ perfunditur paſtoris animus, ſi vel unam lucratus Deo animulam? Habeant alii ſua, in quibus gloriantur, opima beneficia, magnatum propenſiores affectus, honoris inſulas, gradus titulares, vocentur ab hominibus Rabbi: Sat id paſtori, ſi, cum prophetâ, dicere poſſit, *Ecce ego, & nati quos dedit mihi Jehova.* Dicant alii, Quis dabit Decanatum, aut Epiſcopatum ditiorem? Fidelis paſtor, cum rege Sodomæ ad Abrahamum, ſic dicturus, *Da mihi animas, facultates tibi accipe.* Non Cæſar quicunq; diademate inſignis, pro libitu, quem vult deprimens, quem vult honore afficiens; non Alexander ille magnus, fines imperii in ultimas terræ oras proferens, triumphârunt magis; quàm Apoſtolus Paulus, ubi omnia in Evangelii diſpenſatione ex

5. A ſolatio inibi percipiendo.

Gen. 14. 21

voto succedebant; *Quæ est nostra spes, & gaudium, & corona, de quâ glorior? annon & vos in conspectu Domini nostri Jesu Christi in ejus adventu? Vos estis gloria nostra & gaudium.* Quam gratiarum actionem Deo rependere de vobis possumus super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram Deo nostro? Et v. 8. *Nunc vivimus, si vos persistis in Domino. Est mihi gloriatio per Christum, in iis quæ ad Deum pertinent.* Sc. v. 19. quòd *ab Hierosolymis & circumjacentibus regionibus, usq; ad Illyricum, implerim prædicandi Evangelii munus.* Ita gestit animus præ lætitiâ, quoties secum recolit Apostolus, quàm latè Evangelium propagârit, quot è mundi & Satanæ laqueis suo ministerio pertraxerit. Vice versâ, nullum tormentum, crux nulla, æquè animum fodicabit, ac ubi malâ fide agentes pastores seriò id perpenderint, quot animarum acervos, suâ inertiâ & pigritiâ, Satanæ catervatim tradidêre. Nec proderit, quòd holosericis et purpureis niteant vestibus, pompâ magnatibus terræ pares, quòd divitiis affluant; cùm interim pannosa conscientia, cùm mens conscia ignaviæ, tanquam altera Erynnis, torquebit. Annon, si quando de malè gesto munere subrepat cogitatio, ut illo chirographo ad parietem Belshazzar sic illi consternati jacent, cingula lumborum dissolvuntur, genua alterum alteri collidunt, omnia singultibus cooperta? Quin igitur, si in solidum gaudere animus est, lætitiam nullâ interrumpendam nebulâ velis, sedulò muneri incumbendum. Erit conscientia, de munere ritè perfuncto attestans, ut paradisus in quo quis suaviter se oblectat. *Gloriatio nostra hæc est, viz. testimonium conscientiæ nostræ, &c.*

1 Thes. 2. 19 20. Cha. 3. v. 9. Rom. 15. 17 2 Cor. 1. 12

CAP.

Cap. X.

Incitamenta alia ad fidelitatem in munere Pastorali.

SExtò, Pœnæ, quas pastoribus perfidè agentibus & interminatur Deus, & etiamnum indies infligit, nobis terrorem incutiant. *Væ pastori meo nihili, derelinquenti gregem, &c. brachium ejus prorsus arescet, & oculus dexter ejus omnino caligabit*; corpore sc. & animo pœnas luet. *Væ pastoribus Israelis; gregem non pascitis, &c.* v. 10. *Sic ait Dominus Jehova, Ecce me contra istos pastores, &c.* parùm interest, quis à nobis, si Deus contra nos. *Ne consternator attonitus conspectu ipsorum, ut non conteram te in conspectu ipsorum. Væ mihi si non evangelizavero.* Væ autem, tam hoc apostolicum, quam illud propheticum, suo ambitu cuncta Dei judicia, vel quæ dira maximè, complectitur. Hæc verò annon indies in pastorem nihili effundit Deus severè vindex? En alios, Spiritus donis aliquando conspicuos, quibus talentum quod occultârunt ablatum. Quæ enim ad populum ædificandum contulit Deus χαείσματα, ea si in ejus commodum expromamus, ut panes quibus tot millia hominum saturavit Christus, inter frangendum augentur; *omni enim habenti dabitur, & is exuberabit; qui verò non habet, tolletur ab eo:* Ita benè multos videas, quos, præ dotibus, quibus insigniter ornati, aliquando suspexit Ecclesia Dei, qui socordi desuetudine ita sui dissimiles, ut non agnoscas eosdem. Alii verò ampliſſimis Ecclesiæ reditibus dotati, cùm tamen inertiæ se dedêre, aut ære alieno obstringuntur, aut, si opes viis & modis corraserint, non iis gavisus est tertius hæres. Justum id apud Deum, ut quam non laboris sed otii, non solicitudinis sed segnitiei ab Ecclesiis reportant mercedem, eam in dolium

6 A pœnâ. Zech. 11. 17. Ezech. 3. Jer. 1. 17. 1 Cor. 9. 16. Mat. 25. 29.

dolium pertusum ingerant. Si enim ex illo Apostoli effato, *Qui non laborat, ne manducet*, Monachis Ventricosis sui adempti sunt reditus opimi; quidni & pastores, non nisi abdomini natos, otio & voluptati deditos, ex ecclesiæ patrimonio, ut injustos possessores, extrudat? Quid enim inter Monachum & Pastorem interest, si uterque otiosus, uterque ecclesiæ inutilis? *En quosdam Pastores, quorum si cultum inspicias, si titulum intucare, si decimas exigentes videas; pastores esse dicas; si, pro conscientiæ medicina, requiras salubre animi consilium, si admonitionem, si consolationem, si sacræ doctrinæ pabulum; plusquam statuas esse dicas, qui adorari volunt, benè mereri nesciunt:* ait Erasmus.

7 A præmio. Septimò, Præmium illud cœleste & æternum, quod gregem pascentibus est repositum, in oculis ferendum. Habet hoc, si attento animo expendamus, præporentem in se inclusam ἐνέργειαν, qua & jacentes excitet, & currentes; ut alacrius

2 Tim. 4. 8. pergant, inciter. *Certamen bonum certavi, cursum absolvi, deinceps* (quod animo collabantem sustentabat) *servatur mihi justitiæ corona, quam reddet*

1 Pet. 5. 4. *mihi Dominus die illâ*, &c. *Pascite gregem; & cùm manifestus factus fuerit ille pastorum princeps, reportabitis amarantinam illam coronam gloriæ.* Servo, minâ suâ qui decem lucrifecerat, dixit Do-

Luc. 19. 17. minus, *Euge bone serve; quia in modico inventus es fidelis, habeto potestatem in decem urbes.* Ita ineffabile pondus gloriæ manet illos, qui gregem sibi commissam pascunt, illius inspectioni vacantes, non coactè, sed libenter; non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo. *Erudientes splendebunt quasi splendore expansi; & justificantes multos, ut stellæ in sempiterna secula.* Quid verò suppeditat mundus, sive divitias, sive honores, sive voluptates velis, quod, si cum gloriâ venturâ conferatur, non

non fordeat planè? Annon magnus ille Ecclesiæ Dei ἐμπειρικὸς, cuncta quæ sub sole pervagatus, vanitatis vanissimæ coarguit? Vaniores itaque, an insaniores dicam, Ecclesiæ pastores, qui, nescio quo fascino dementati, coronæ gloriæ immarcescibili præponunt hujus vitæ σκύβαλα abjectissima. Si modò ad fastigium honoris aspirent, affluant opibus, titulis insigniantur, mollem agant vitam; acsi cœlum digito attingerent, magno gaudent gaudio: de cœlesti gloriâ, de seculo venturo, parùm soliciti. Quis non credat ab Epicuro edoctos, Δὸς ἡμῖν τὸ πάρον, Θεῷ τὰ μέλλοντα, ita eà duntaxat quæ ante pedes sapiunt. *Quisquis certat, in omnibus est continens*, exquisitissimâ utitur diætâ, cunctis, quæ ei inter cursum remoræ sint, cautè abstinet, *ut sic tandem flacceſcentem coronam assequatur*: Et qui à Deo, in pulvere hoc Theologico, athletæ constituti, ut in præmium laboris cœlestis, gloriæ βραβεῖον accipiamus, annon hujus seculi sive commodis, sive voluptatibus nugigerulis valediceremus? Habent alii suas, quibus datur ad cœlestia tabernacula aditus, rationes varias; magistratus, si benè præsint; divites, si pauperibus eleemosynas largâ manu erogârint; privatus quisque, si in vocatione suâ particulari Deo inserviat: pastoribus, si non gregem sibi commissum pascant, omnis cœlestis gloriæ spes adempta. Quin igitur, ut, de iis quæ à munere fungendo avocent, ritè judicent, verticem montis gloriæ conscendant, exinde prospicientes, quæ filiis hujus seculi formam referunt Gigantæam, ut pomposæ mundi dignitates, &c. illa nobis vel atomo minutiora videbuntur, sub pedibus potiùs conculcanda, quàm ut cum periculo animæ prosequamur. 1 Cor. 9. 25

Octavò, Ecclesiarum Christi horrenda vastitas, florentissimarum rerumpublicarum subversio, non nisi 8 Ab Ecclesiæ periculo.

nisi pastorum in sacris fungendis oscitantiæ, ut primitùs, accepta ferenda. Dum enim hi non gregi, sed sibimetipsis pascendis intenti, populo nec peccata ostendunt, nec judicia denunciant; ecce invadunt Ecclesiã Atheismus, sacrorum contemptus, cujuscunque generis peccatorum fertilior seges. Mose diutiùs in monte commorante, populus ad idololatriam delapsus; &, cui id vitio vertitur,
Prov. 29. 18. nisi Aaroni? *Populus nudatus, quòd Aaron eum nudâsset. Cùm non est visio, nudatur populus*; sc. quibuscunque Dei judiciis exponitur. Prophetæ, qui Hierosolymitanum sub Nebuchadnezzare exitium prænunciârunt, quàm sunt in sacerdotibus & pastoribus objurgandis frequentes! acsi in illorum
Isa 56. 10. sive palpum sive incuriam totius vastitatis faba cuderetur. *Omnes bestiæ agrestes venite ad comedendum, omnes bestiæ sylvestres; Speculatores istius cæci, quotquot sunt non agnoscunt, canes sunt muti, non possunt latrare; indormiscunt, jacent, amant dor-*
Lam. 2. 14. *mitationem*, &c. Jeremias lugubri suæ in Lamentationibus cantilenæ interserit; ut calamitatum fontem, prophetarum subblandientes sermones;
Ezek. 34. 5. *Prophetæ tui vident tibi vanum & insulsum, neque retegunt iniquitatem tuam, ad avertendum captivitatem tuã.* Oves meæ *dispergunturpastore destitutæ, & cibo sunt omnibus bestiis agri dispersæ.* Britannia hæc nostra tum Saxonibus irrumpentibus facta est præda, incolis occisis, expulsis: hi insulam hanc nostram invasêre, cùm ordo Ecclesiasticus miserè corruptus. Sic Monachus olim Bangorienſis Gildas, *Sa-*
A pag. 58. ad finem edit. Jolecll. 1568. *cerdotes habet Britannia, sed insipientes; pastores, ut dicuntur, sed occisioni animarum lupos paratos, (quippe non commoda plebi providentes sed proprii plenitudinem ventris quærentes) Ecclesiæ domus habentes, sed non nisi turpis lucri gratia adeuntes; populos docentes, sed præbendo pessima exempla*, &c. *plebem ob peccata*

non

non corripientes, nimirùm eadem agentes, &c. *nefanda populi scelera tacentes, & suas injurias quasi Christo irrogatas amplificantes*, &c. *Uno perdito denario mœstos, ad unum inquisitum lætos*, &c. Et alibi Sacerdotes sic alloquitur; *O inimici Dei & non sacerdotes, veterani malorum & non pontifices, traditores & non sanctorum Apostolorum successores, ut non Christi ministri.* Vide locum. Centuria decima quam non peperit impietatem? sc. idololatriam, artes magicas, perjuria, seditiones, parricidia, libidines. De quo seculo sic Ausbertus, *Quid nos miseri agimus ministri? qui tantùm aliis inferiores sumus, quantùm eloquentiores verbis; qui alios exsuscitantes obdormiscimus: aliis lumen præbentes obtenebrescimus; nisi fortè divinâ misericordiâ virtutes, quas illi habent, nobis proveniunt.* Denique, cùm Mahumetismus & Antichristianismus orbem Christianum inprimis infestarent, quod factum anno Domini 1300, *tum*, ut refert Hugo, *Prælati vera idola facti sunt; tum demum templa Christianorum facta sunt Mahumetana delubra; Ecclesiæ, quæ suâ pulchritudine cum horto Edenis certâssent, internecinâ vastitate periêre; mundus denique Deum infensum horrendis judiciis agnovit: cùm pastores evaserunt lupi; angeli Ecclesiarum, Diaboli: qui præsides, otio, divitiis, voluptatibus immersi, Dominicum haud curárunt gregem.* Quin igitur faciamus quod nostrum, quotquot sumus pastores; ne, nostrâ incuriâ, Ecclesia tot martyrum sanguine fundata, in fidei fundamentalibus hactenus orthodoxè sana, tot nervosis Theologis veluti mundi majoribus luminaribus clara, jam malè habita, de sarcinis colligendis cogitet, aliò migret: Væ nobis, si nostrâ pigritiâ, ambitione, avaritiâ, populus, cùm non cognoscat Deum, in captivitatem abeat: si tota hæc terra, quæ nunc deliciæ orbis terrarum, tot amoris Dei certis indiciis nobili-

Lib. 5. c. 11 in Apoc.

In Psal. 104

bilitata, pacis juríque administratione per orbem celebris, sit ut tugurium in villâ, ut cegillum in cucumerario, ut perpetua desolatio. Sumus nos tam Ecclesiæ, quàm reipublicæ, instar stomachi corpori, sic Chrysost. Si stomachus sanus, totum corpus validum; si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum: Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; sin autem corruptum fuerit, omnium fides marcida. Et Gerson ex Hieronymo sic; *Veteres scrutans scripturas, invenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de domo Dei populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes à Deo positi fuerunt & prophetæ.* Obsecro igitur patres, fratrésque in Domino summè reverendi, colendi, per viscera Christi, per Evangelium Christi, quod est Britanniæ nostræ decus & diadema; per electos Dei, qui sub umbrâ Ecclesiæ nostræ delitescunt; per dulce nomen pacis; per omnes illas, quibus fruimur, charitates; gregi Christi maturè prospiciamus, ignaros scienter erudiamus, devios revocemus, perditos lucrifaciamus, cunctos ad vitam Deo & Evangelio ejus dignam incitemus. Cæteroquin, candelabrum à nobis auferetur; quod indies minantur peccati matura messis, nullus ex flagellis Dei profectus, Evangelii fastidium, pietatis odium capitale, à fide orthodoxâ ad Papismum? ad Pelagianismum fœda defectio; &, ut Gildas, *odium in veritatis professores ut ejus subversores; omnia tela, omne odium in hos.* Sic enim Beda, *Paulò ante adventum Saxonum, Pelagiana hæresis fidem Britannorum fœdâ peste contaminaverat.* O nos miseri! si his, tot ruinæ ingruentis prænunciis, accedat pastorum in grege Dominico curando somniculosior oscitantia.

Hom. 38. in cap. 21. Mat.

Tom. 1. tract. de de clar. defect. Eccl.

Lib. 1. c. 17.

9 A titulis quibus Pastores insigniuntur. Ezek. 33.

Nonò, Ne quid omittamus quod languentibus pastorum animis faces submittat, nomina illa

illa, quibus Spiritus sanctus pastores indigitavit, pensitanda. Speculatores dicuntur; quorum est nocturna diurnaque excubatio, ne ad mœnia appropinquet hostis. Pastores ovium; quos interdiu adveult æstus, noctu absumit gelu; qui gregibus insomnes per noctem arcendum. Milites; quibus multa perferenda dura & aspera; qui plurimis sunt expositi periculis. Operarii in messe Domini; quorum est, ut intensè operi incumbant, indefesso labore se exerceant. Ædificatores; quibus nullum, si quando cœperint intermittendum tempus, usque dum ædificium ad fastigium perductum, ei ultimam imposuêre manum. Agricolæ; quibus nullum ferè datur respirandi tempus, ita aliud ex alio succedit negotium. Annon tituli hi, quibus nos Deus insignivit, operam intensam, anxiam solicitudinem, laborem assiduum, Herculeum efflagitant? Ecquod habuit Deus, quo nobis efficacius quod nostrum suggereret, quàm nominibus officium inscribendo? *Annon mendacem facit Deum, qui nomen à Deo datum gerit, & nomini suo non respondet?* ait Francis. Torrensis, de resid. ad Seripandum. Quid animo fixum magis, quàm suum cujusque nomen? si quis hujus oblivisci tur, non ille mentis compos habendus. Nobis verò animarum curatoribus, qui præ otio & inertiâ turpiter languescimus, nomina aut ἀντιφραστικῶς imposita, pastores se, à minimè pascendo, aut illa nobis prorsus excidisse, videntur. Ita quis credat Scripturam nos appellâsse non pastores, sed depastores; non speculatores, sed depeculatores; non milites, sed molles; non operarios, sed voluptuarios? Quin igitur, si alia defecerint quæ animum faciant, προτρεπτικὰ, vel nomina nostra re cognoscamus, vel inde si quando segnescimus nos pudefaciamus. Egon' Speculator? Miles? Agricola? &c.

Gen. 31. Luc. 1.

Deci-

10 Ab Apostoli adjuratione.

2 Tim. 4. 1.

Decimò, Illa Apostoli, quâ nulla occurrit efficacior, adjuratio quem non otio dormientem expergefaciat? *Obtestor te igitur ego, in conspectu Dei, & Domini nostri Jesu Christi, qui judicaturus est mortuos & vivos in illustri suo adventu, & in regno suo; prædica sermonem illum, insta tempestivè, intempestivè, &c. Erit enim tempus cùm doctrinam sanam non sufferent.* Quanti hoc negotium, quod tam solenni obtestatione urget Apostolus! Aliàs, sat habuit hortari, obsecrare, præcipere; hîc, ut in re omnium maximâ, διαμαρτύρε): i. e. testes omni exceptione majores invocat. Aliàs, Angelos, Ecclesiam, Sanctorum conventum, ut illorum intuitu nos ad officium lacessat, appellat; hîc verò, divinam majestatem rectà petit, advocat in testem Deum præpotentem, omniscium, vindicem acerrimum, ubique præsentem, à quo nullum datur effugium. Aliàs, si Deum testem adhibuerit, in eo acquiescit; hîc, porro illud Jesu Christi nomen, quod mel in ore, melos in aure, jubilus in corde, annectit. Hoc nullum occurrit ad pastorem muneri suo obstringendum charius & tenacius vinculum; nullum, cor tam vividè afficiens, argumentum. Aliàs, sat habuit, si Domini Jesu mentionem fecerit, ejus nomine duntaxat obtestatus est; hîc, ut in nubibus gloriosè & potenter advenientem, vivos & mortuos judicaturum, describit, ut vel tam tremendi judicii intuitu pastoribus somniculosis socordiam excuteret. Quàm malè conveniunt Apostoli in obtestando vehementior zelus, & nostra in munere fungendo iners pigritia! Dei, cui ἔνδικον ὄμμα, inspectio, & nostra in grege curando socordia! quàm hæc dissona, Christus à nobis in die ultimo rationem muneris gesti reposcens, & nos opus, quod in Domino accepimus implendum, floccifacientes. Accedit porro, quod eadem

1 Cor. 11. Heb. 12.

jam

jam Ecclesiæ conditio, idem imminet, quòd tum, periculum. Nam, si unquam, tempus illud nunc præ foribus est, cùm doctrinæ sanæ non auscultabunt, sed auribus prurientes, ipsi secundùm suas peculiares cupiditates coacervabunt Doctores, & à veritate quidem aures avertent. Strenuè igitur, & toto conatu, operi ministeriali incumbendum. Sit instar classici, quod dormientes excitet, hæc omnium gravissima Apostoli obtestatio; in auribus semper sonet hoc tam solenne πρόσταγμα.

CAP. XI.

Quomodo animus, sub cruce, sit sustentandus.

ARgumenta Προφυλακτικὰ, quibus se confirment pastores Evangelici, vel respiciunt crucem in genere; vel, qui ex nullo aut saltem exiguo suorum profectu exoritur, animi angorem.

Atque primò, Ne multiplicibus, quæ Evangelii dispensationis comites individui, molestiis succumbat quis; recurrat ad vocationis suæ sacrarium, inde solamen petat; quòd, cùm à Deo vocatus, non nisi ejus consilio obveniunt quæcunque occurrunt difficultates; Potest qui à Deo munere constitutus, magnâ πληροφορίᾳ opem ejus implorare, exspectare. Sic Jeremias, in iis quibus undique circumseptus malis, Dei manum auxiliarem, vel vocatione nixus, audacter vendicat. Si igitur imperatorum legati, ejus quam à suis acceperint delegatæ potestatis memores, vel quæcunque occurrunt obstacula, illa perrumpunt; asperrima quæque fortiter perferunt; nullos malevolorum cachinnos, aut linguas mordaces reformidant:

Sub cruce, quomodo sustentandus animus.

Jer. 17. 6.

quidni & Christi ministri, cùm à quo missi recognoscant, animos sibi sumerent erectos, alacres? improborum clandestinas molitiones, infinitas quas facessant molestias, dicteria, scommata, ne pili faciant? *Oppugnabunt te, dicit Dominus, sed non prævalebunt tibi: nam adsum tibi, dictum Jehovæ, ad eripiendum te.* V.8. *Ne timeto ab ipsis, nam adsum tibi.* Quin fremat igitur mundus, insaniat diabolus, cœlum & terram misceant improbi, nos Christi ministri, de auxilio divino ex vocatione certiores, vultus tetricos, minas amarulentas, subdolas machinationes, terribilem quâ armantur, potestatem, nihili æstimemus. *Stellas*, i. e. ministros verbi, *dextra sua tenet*, i.e. fortiter custodit, Christus: Nullus, non qui vel potentissimus, avellet de manu ejus. Sumus nos Domini, in messe congregandâ, operarii: ne vel villicus quis suos in messe operantes, usque dum frumentum in horreum congregaverint, à se abduci patietur.

Jer. 1. 9.

Secundò, Crucem, ut muneris benè gesti τεκμήριον, exosculemur quotquot in vineâ Domini operarii. Sumus, Deo sic ordinante, sal terræ; peccata hominum ut putrida ulcera, cruda vulnera: salem si infuderis vulneri, annon infundenti succensebit vulneratus? Sermo Dei quovis gladio bipenni est penetrantior, pertingit usque ad divisionem animæ & Spiritûs: quis non sic transfigentem, si poterat, contracideret? Sermo Dei est ignis, qui non cutem radit, sed corda depascitur; est malleus, cujus attritu, qui peccato consopiti, è veterno suo excitantur: quis somniculosior continuo strepitu pulsantem feret? quis ignem, cor intùs corrodentem, æquo animo patietur? Homines quibuscum nobis res est, non sunt homines, sed ursi, sed leones suâ feritate truculenti: num leonem aut ursum quis sine certo periculo irritabit? cùm, qui non nisi crabro-

1 Cor. 15.

brones concitaverit, haud impunè feret? Non cum mundo solùm, sed cum toto infernali agmine, nobis depugnandum; quicquid vel dira malitia, vel fraus subdola in nos poterit, id certò exspectandum. Nulli hominum ordini æquè infestus diabolus, ac ministro, quod suum, fideliter facienti. In hunc, malorum spirituum copias succenturiatas emittit, impiorum linguas exacuit, nullas non creat turbellas. *Ipsi nôstis, nos ad afflictiones constitutos esse.* Hinc Elias, ærumnis, quas in ministerio obeundo sensit, impar, vitæ mortem præposuit, *Satis est nunc Jehova, accipe animam meam.* Jesaias, Jeremias, quibus cùm pervicaci populo negotium, uterque vociferatur; ille, ut Dei zelo absumptus, *Macies, macies*; hic, *Venter meus, venter meus*, acsi cholico dolore torqueretur. Et alibi, *Quare è vulva egressus sum, ut viderem molestiam & mœrorem? & pudore consumerentur dies mei?* Et revera, non est ministri Jesu Christi vita omni modo ut oportet; nisi anxia, molestiarum portione plena, periculis undique exposita. Hinc se, præ pseudoapostolis, ministrum Christi arguit Apostolus, à laboribus, plagis, carceribus, &c. *Nec enim est*, ut Calvinus, *regimen Ecclesiæ jucunda occupatio, in qua nos suaviter & animi gratia exerceamur; sed dura & aspera militia, Satanâ quicquid potèst contra nos moliente, & omnem lapidem movente, ut nos in Ecclesia turbet.* Et Erasmus sic: *Evangelium Christi sincerè prædicantibus, nunquam deest crux.* 1 Thess. 3. 3. 2 Cor. 11. 23

Tertiò, Sic à Deo statutum, ut non solùm populum erudiamus qui ministri; sed, ut & ei, afflictiones ferendo, præluceamus. *Tu assequutus es*, non solum *doctrinam meam*, sed & *toleran-* 2 Tim. 3. 10. 2. Tim. 2 3
tiam & persecutiones. Tu tolerans esto afflictionum, ut bonus miles Jesu Christi. In omnibus nos appro- 2 Cor. 6. 4
bamus

bundâ, ut Dei ministri, tolerantiâ multâ in afflictionibus, necessitatibus, &c. Plerique ex
Phil. 1. 14. fratribus, freti vinculis meis, amplius audent sine metu sermonem Dei loqui, &c. Ita pastorum, in persecutionibus nomine Christi tolerandis, constantia, fortitudo, suorum animis spiritus ingenerat imperterritos. Præterquam enim, quòd exemplis vulgus hominum quò velis impellas; si-quando ductores suos veritatem quam docuerint patiendo obsignantes conspexerint; & eos ut à Deo missos suspiciunt magis, & fidei quam profitentur indivulsè adhærescunt. Non itaque ægrè feramus, si præ miseriis, quas Evangelii causâ perpetimur, spectaculum fiamus mundo, angelis, hominibus, si mundi purgamenta, & tanquam omnium
1 Cor. 4. 9, 13. ramentum. Sat erit; si hâc ratione gregi simus exemplaria, si ministerio inde alipuid accedat lucri. Atque hæc pastorem, sub cruce qualicunque ingemiscentem, refocillent. Sequuntur, quæ eundem, ne animo collabatur, confirment, Quòd votis & laboribus non respondeant proventus.

CAP. XII.

Ubi proventus laboribus minùs respondet, quomodo sustentandus animus.

Si labores minùs feliciter succedant, quomodo ferendum.

PRimò, Occurrunt tum Jesu Christi ἀρχιποιμένος, tum Prophetarum & Apostolorum exempla: Hi omnes, se-spe suâ decidisse, conquerentur. *Ego*, dicit Christus, *frustra laboro, inaniter & vanè vires meas consumo; veruntamen officium meum penes Jehovam, & opus meum penes Deum meum. Invito, & renuitis; extendo manum meam, & nemo advertit*, &c. Querela Christi hæc, qui sic loquutus ut nullus uspiam: Labor tuus nullus est, si cum ejus jugi
Isa. 49. 4. Prov. 1. 24. Joan. 7. 46.

labo-

labore conferatur; ars tua nulla, ad ejus artem: *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare liberos tuos, & noluisti? Ito ut dicas populo huic, Audite indefinenter, neq; cognoscatis: Eloquêris ad eos omnia verba ista, sed non te audient. Accede Domum Israelis, ut alloquaris eos verbis meis: v. 7. Domus verò Israelis nolunt auscultare tibi.* Quis in munere fungendo animum despondeat, quòd messis non compenset operam; cùm non alia ejus conditio, quàm summorum Dei præconum, quàm Christi θεανθρώπου;

Mat. 23. 37
Isa. 6. 9
Jer. 7. 27
Ezech. 3. 4

Secundò, Æquè promovemus Dei gloriam, cùm reprobos excæcamus, ac cùm salvandos Deo adducimus: in utrisq; eminet Dei gloria, in utrisq; sumus gratus Deo odor. *Sumus Deo odor suavè olens, tum in iis qui pereunt, tum in iis qui salvantur.* In illis, elucet gloria justitiæ; qui, cùm Spiritui sancto in verbo restiterint, suo merito se damnatos viderint: in his, glora misericordiæ, cùm, salutem in Christo exhibitam amplectendo, se servatos agnoverint. Pereat itaq; opera, non peribit gloria excelsi, non merces nostra. Remunerabit sc. nos Deus, non secundùm proventum, sed secundùm laborem. Si semen à te jactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit; tu tamen communicati consilii mercedem feres à Deo; nec minùs accipies præmii non auditus, quàm accepturus eras si ille obtemperâsset; ait Chrys. Tonsor non amittit de pretio, sive Æthiopem, sive venustiorem abluat; æquè solvitur pro utroque: Perinde idem manet præmium satagentem ut animas lucretur, ac lucrantem; cùm utrisque par labor, utcunque impar proventus.

Hom. 1. de Laz.

Tertiò, Cogitandum, quòd sic à Deo decretum, ut in vineâ suâ alii serant, alii metant; alii, ut arva, sic homines, præparent, semen in terram projiciant; alii messem percipiant. *In hoc est sermo verus,*

Joan. 4. 36. *rus, quòd alius est qui seminat; alius qui metit? Ego misi vos ad metendum quod vos non laborastis; alii laborarunt & vos in illorum labores introistis:* sc. Prophetarum, & Baptistæ, erat satio; Apostolorum futura messis. Nec iniquè nobilcum agi conqueramur; si nobis serendum, ut alii metant: Dominus Jesus non dedignabatur Apostolis, in eo quod postea accreverit fœcundo incremento, suo ministerio viam munire. *Opera quæ ego facio, qui credit in me faciet & majora istis faciet:* sc. Apostolorum

Joan. 14. 12. ministerio plures in Ecclesiam aggregandi, quàm Christi jugi operâ. Nec sic de Christi gloriâ detractum, etiamsi Apostoli prædicationis suæ gloriosiora ἀποτελέσματα ædidere. Abundè nobis erit, si consilio Dei obtemperemus in electorum salute promovendâ, sive præparando, sive inchoando, sive perficiendo. Sat erit Davidi, utcunq; templum ædificare, ei non concessum, quod ei exstruendo materiam comparavit: Quidni & nobis, si sic Deo visum, sufficiat; quod populum, ex quo dein Ecclesia Dei ædificanda, ministerio nostro præparavimus?

Quartò, Verbi, quod medullitùs recipitur, efficax operatio varia est: nunc occulta in gremio cordis latens; nunc se exserens, & in oculos hominum incurrens: nunc subitò efloreſcit,

Marc. 4. 26. nunc tardiùs provenit. *Ita enim est regnum Dei, ut quispiam jaciat semen in terram & dormiat, & exsurgat nocte & die, & semen germinet & assurgat, quomodo, ipse nescit. Agricolas pastoribus imitandos proposuit Dominus*, (sic Calv.) *qui, sub spe metendi, semen in terram projiciunt; neq; anxiâ inquietudine torquentur, sed eunt cubitum, & surgunt; hoc est, pro more, intenti sunt quotidiano labori & se nocturnâ quiete reficiunt, donec tandem suo tempore maturescat seges.* Utcunque igitur nobis obrutum videatur verbi semen; bono tamen animo simus, cùm,

quod

quod nobis periisse videatur, tempore constituto fructum feret: Plurima quæ Christus discipulos docuit, partim exciderunt, partim non fuêre perceptæ, quæ, post Christi resurrectionem, in mentem venêre; cùm penitùs elapsa videbantur, revixêre.

Quintò, Multiplex illud quod à ministerio provenit bonum, etsi nullus efficaci vocatione pertrahatur, pastorem sub onere defatiscentem sustentet, 1°. Quòd peccantibus pudorem incutit, impudentiam retundit, haud patitur in utramque aurem dormire. Etsi non virtus est, gradus tamen ad virtutem, minùs impudenter peccare: *Genus virtutis est, esse minùs vitiosus*: Salvian. sic Chrys. *Pone neminem nostris dictis fuisse persuasum; ne sic quidem nobis nihil lucri adferet sermo noster. Nam, etiamsi nonnulli ingressi sunt cauponam, non tamen, cum pari quâ solebant impudentiâ sunt ingressi; ad ipsam etiam mensam crebrò nostrorum verborum recordati sunt, subiit illis nostra reprehensio, rediit in memoriam nostra objurgatio, ac recordantes pudore suffusi sunt. Erubuerunt tacita cogitatione, nec simili impudentia quæ solebant, fecerunt. Hoc autem initium est salutis, optimæque mutationis si quem penitus sui pudeat*, &c. 2°. Quòd peccatores fiant ἀναπολόγητοι, ut qui nihil habeant quod obtendant, cùm publico ministerio eorum convincatur judicium, rei coram Deo manifestò tenentur, ut qui αὐτοκατάκριτοι. Summè ex eo glorificatur Deus, cùm vel qui nequissimi cogantur agnoscere, *quòd propheta fuit in medio ipsorum*; propheta, inquam, peccata eorum detegens, judicia Dei prænuncians, eos omni modo à nequitiæ viis avocans. Gloria ex eo accrescit Deo, cùm peccatores, etiam nolentes, agnoscant eum ut justum in suis judiciis; se verò ut miseros & rebelles peccatores deplorabunt. Sic ille, Prov 5. 3°. Quòd sanas oves, in suâ conditione confirmemus; ad ulteriores

Hom. 1. de Laz.

teriores progressus provocemus; ne errore, aut carnis mundive illecebris à Christo abducantur, piè invigilemus; adversus Satanæ ignita spicula, periculosas tentationes, corroboremus. Siquidem non videtur minoris esse virtutis, eos, qui Christo nomen dedêre, in suâ integritate, conctantente diabolo, fremente mundo, subblandiente carne, fixo pede stabilire: quàm, è perditâ suâ conditione alios asserere. Eleganter Chrysost. *Non erexi ægrotantes, veramen eos qui valent, reddidi firmiores; non abduxit à vitio sermo noster, sed tamen eos qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores.* Atque sic de περιφυλακτικοῖς. Et toto quidem officio Pastorali, quantum præsens institutum postulat. Orandus autem est miseri cordiarum pater, ut plures indies huic tanto muneri idoneos reddat, operarios in messem suam mittat, in opere confirmet, & amplo proventu beet; ad sui nominis gloriam, ipsorum coram Deo solatium, & Ecclesiæ Domini nostri Jesu Christi commodum & incrementum. AMEN.

FINIS.